


7
S-A
8
9
2 F
M
15

AQVILA
VAGA.
SVB QVA

EX DIVERSIS NATIONIBVS ET FAMILIIS

A VVILHELMO HOLLANDO vſquè ad SIGISMVNDVM LVTZELBVRGIVM

OCCIDENTIS IMPERATOREM XXXIX.

ELOGIIS, HIEROGLYPHICIS,
Numiſmatibus, Inſignibus, Symbolis, Imaginibus Antiquis ad viuum exhibentur exculpti, & longa hiſtoriarum ſerie exarati.

Vt nihil relictum ſit, quod priſci, vel hodierni habeant annales;

Sed Diplomata, Leges, Indulta, Genealogiæ, Donationes, Priuilegia offeruntur congeſta.

INSERVNTVR ET REGVM PRINCIPVMQVE

Imagines, Nummi Honorarij, Caſtrenſes, Triumphales, Votiui, Miſſiles, &c.
qui ſanguine, fœdere, bello Imperatoribus iuncti, occurrunt in Opere.

Accedit cuique Cæſarum tractatus Sacrolegalis, & Hiſtoricopoliticus, Hiſtoricis, Concionatoribus, I. Conſultis, atquè expolita eruditionis ſtudioſis perutilis, & neceſſarius.

A V C T O R E

JOANNE PALATIO

I.V.D. in Veneto Gymnaſio Profeſſore Publico, &c.



SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, M. DC. LXXIX.

SVMPTIBVS AVCTORIS.

Proſtant ſub Signo Fortunæ, & Nauis, aliorumquè.

SERENISSIMO PRINCIPI
FERDINANDO MARIÆ
VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI
Electori Romani Imperij
COMITI PALATINO RHENI,
LANTGRAVIO LEVCHTEMBERGENSI, &c.

D. D. D. IO: PALATIVS.





Vod reliquis plerumque Scriptoribus difficillimum accidere solet (Princeps Serenissime) vt posteaquàm de laborum suorum Patrono deliberauerint, tum demum contentiosè laborent, quo potissimum pacto sint eidem accepti, hac ego cura liber, solutusque accedo. Neque enim quod tuum est, vel ipsius natura lege non gratum tibi contingere posse arbitror, quando nihil non domesticum, nihil adfero tibi non cognatum. Sed neque decebat alio Bauaricam Aquilam aduolare, quàm ad patrios Lares, vbi longissimo temporum tractu, cum Gentilitio Boicæ Maiestatis consorte Leone, felicissimo connubio est nidulata. Exinde nempe, Henrici, Caroli, Ludouici gloriosi non minùs Aquilarum quàm Leonum pulli, Hyperbolicæ Magnanimitatis & fortitudinis cognomina prodiere. Exinde tòt auspicatissimos Cæsares, quibus iugales facti Aquila & Leo, vel per præruptas bellicis furoribus semitas, vel quosuis altos arduos regnantium cliuos ad summa gloriæ immortalis fastigia conniuente totius orbis applausu euexere. Verùm non tanta fuit temporum inhumanitas, vt posteaquam inconstantis Fortunæ aleà, inter Boios, Cæsares esse desierunt, reliquas quoque Augustissimi nominis prærogatiuas cum successorum dispendio aliò transtulerint; vsque adeò Serenissima Bauariæ Domus semper Principum Heroum colonia fuit.

Maiores videlicet isti tui fuere, Serenissime Princeps, quos eo quidem pacto gloriosa memoria suspicimus, vt tamen in te solo nihil magnificum, aut laudabile desideretur eorum, ad gloriæ commendationem, quod in illis fuit. Vsquè adeò magnæ animæ in affines virtutes conspirant, quibus, vel Antecessorum facinora, ad res præclarè gerendas, est stimulus: vel hæreditatis iura in eandem transmittunt ad parem gloriam, obligationem. Et verò pridem sensit Bauaria quanta contentione gloriosis praeuntium vestigijs institeris, quibus successisti dignitate. Nota pridem est, illibata in Deum Religio, cui subditas prouincias, semper ita addictas esse voluisti, vt præter hanc, nullam solidiorem esse regnorum basim, exemplo tuo docueris & confirmaris, quandoquidem ab illa, à prima veluti sphæra, reliquæ Principum felicitates impelluntur.

Nota

Nota Iustitia & æquitas; siquidem ita seueritatem cum clementia coniunxisti, vt plures semper terrore correxeris, quàm pœnis absumpseris; ita iustus, vt tamen in manu Principis, existimaris potiorem esse laudem ferri hebetioris, quam acuti: Ita æquus, vt tamen iura, amore potius clementiæ, quam seueritatis duxeris conseruanda.

Quid porro de prudentia dixerim, quâ semper ita extitisti vtraquè fortuna superior, vt nec rebus afflictis aliunde suppetias, nec prosperis moderamen petieris, quam ab hac virtute, vt si ad istius libellam probè Principum consilia castigentur, palam omnibus fieret, non aptatis rerum euentibus; sed prudentia & ingenio sceptrorum fortunam sospitari. Testis est mihi Orbis vniuersus, quando nouissimis hisce temporibus, dum inter potentissimos Europæ Principes, dissidia intercederent, à partibus adsœdera ineunda prouocatus, ita nemini adhæsisti, vt tamen à nullo dissideres: atque sic Paci obnoxius, delectos sub signis milites habebas, vt & ad bellum accinctus omnino esses, potentissimo cuique metuendus, si quis hostem experiri maluisset.

Atque vt reliquas prætercam præstantissimas animi dotes, quibus profunda Antecessorum tuorum vestigia exequasti, vnam eamque coronnidis instar, Veneror humanissimam connatam tibi humanitatem, quà nedum domesticorum, qui iure obnoxio Maiestati tenentur, verùm & exterorum, qui spontè mouentur, propensionem, arctissimè tibi deuinxisti. Quæ causa est, vt quando nullius dedignaris obsequia, optatissimis tuis auspicijs, meus iste, qualiscunque sit labor, in lucem publicam euadere contendat; Quod quidem eo libentiùs, quòd iàm Aquilam Sanctam ad aras Immortalis tui nominis non nisi auspicato, vt arbitror præmiserim, confidens fore, vt si quid hisce laboribus ad publicam gratiam deest, vbi vsitata tua perspectaque benignitas eos complexa fuerit, gratiosi omnibus futuri sint & accepti.

MONARCHIÆ OCCIDENTALIS

LIBER VIGESIMVS OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

VVILHELMVS HOLLANDVS

OCCIDENTIS IMPERATOR XXVIII. &

RICHARDVS COMES CORNVBIAE, & ALPHONSVS SAPIENS REX CASTELLÆ IMPERATORES ELECTI.

1. *VVilhelmus Comes Hollandiæ Imperator.* allusio ad imaginem. 3. *effigies.* 4. *felix ante imperium.* 5. *extra vitia non cum virtute.* 6. *Fresones vincit.* 7. *occiditur.*

VVilhelmus Hollandiæ Comes: *Richardus* Comes Cornubiæ: & *Alphonsus* cognomento *Sapiens*, Rex Castellę, cum nomine tenùs dicti fuerint Imperatores, nec habenas habuerint imperij; sola effigies cum eorum numismatibus objicitur, sed sinè hieroglyphico.

ALLVSIO AD IMAGINEM.

DVctus ad Imperium, Fato, an Virtute, Vilhelmus;
Ex Rebus Gestis, Exitus Acta probat.
Publica Res siluit, Regni cum sumpsit Honorem;
Amplificare studens, Rura, Laresque, Domum.
Regia nil igitur Virtus operatur in Astris;
Et Quod Fata sinunt, Mens rata Nulla regit?
Absit: Sideribus, Fatoque, & praualet omnis
Virtus; Quam Sapiens Mente, Manuque colit.
Moribus Astra iuuant; Industria perficit Actus
Humanos, Ratio quandò laborat Opus.
Deserat Imperium, Rex non decoratus, & Armis;
Legibus armatus Qui nequè, Regna tenet.
Pallas Quem refugit; Quem non Bellona tuetur;
Stare Domi discat; Cum petit Arma, perit.

M. Ant. Moles S. Th. D. Neap.

ALIVD.

PRincipis ornatus summo VVilhelmus honore
Dignum nil gessit, quod sit in ore virùm.
Publica contempsit quęcumque negotia; agendo
Sed priuata, diè, nocteque totus erat.
Viuere non tulit hunc Ciuilis longius Ordo,
Nam Duce vix facto debuit ense mori.
Ehu penitus Mundi regna, hoc viuente, cadebant;
At surrexerunt, hoc pereunte, magis.



VVILHELMVS HOLLANDVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XXVIII.

Sal. An. 1248.

Aquila fatigata Romana
VVilhelmi dum in ſinu quieſcit, faceſſit.
Glorioſus inter Principes,
Infelix inter Cæſares,
Felix niſi regnaſſet.
Depreſſit illum fortuna, cum erexit.
Veh tibi : ſi feſſam inuenis, time feram.
Imperij ſemitam Mars ſternit;
Cum *VVilhelmus* Comes Hollandię
Flandrorum triginta millia ſtrauit.
Victoriam ſceptro terruit.
Quod acceperat, vt aſcenderet;
Deſcendit, quia accepit.
Priuatus Imperatori ſimilis fuit;
Imperator priuato.
Gauiſa Germania, cum Principem fecit,
Doluit, cum habuit.
Extra vitia, non cum virtutibus
Vel virtute dextera, fortunâ ſiniſtrâ
Imperator dictus
Sui triumphator ſæpè, aliorum nunquàm
Conradi cędem quæſiuit, non inuenit.
Domum, fecit Auguſtam, imperium anguſtum;
Et odia priuata publico gladio vindicauit.
Vbi excitauit triumphum, non euitauit ſepulchrum.
Prius tumulum quàm thalamum natura erexerat.
Fato ſuccubuit, quia non credidit.
In hoc ſolummodò Cęſar, quia cęſus.

IV. *Friderico exhauſtorato VVilhelmus obijcitur; belli fortuna antequàm regnaret felix: ſuſcepto imperio, infelix nil memorabile geſſit.*

V.

VI. *Freſones hoſtes ſuos armis vindicat imperij, & ære dato à Pontifice.*

VII. *A Friſijs ceditur poſtquam victis; ibiq. humatur in tumulo, iam anteparato, vt fuerat prædictum.*



Monetam, & ſignum *VVilhelmi* Cęſaris vide in pagina ſequenti.

Moneta Argentea Wilhelmi Rom. Regis



Numisma Richardi Filii Jo. Regis Anglorum electi in Cesare



Aurea Moneta Alphonsi Regis Hispaniarum in Cesare Electi.



Aurea Moneta Rudolphi Rom. Imper.



Iutha Rudolphi R. Imper. Filia ex Octavio de Strada



Catharina Filia Rudolphus. 1. Imper.



Clementia Filia Rudolphi. 1. Imper.



Moneta Aurea Adolphi Regis Rom.




Numisma Alberti 1. Imper.



Symbolum Alberti. 1. Imper.

Symbolum Adolphi Rom. Regis.



CATENA HISTORICA.

CAPVT SECVNDVM.

1. *VVilhelmi* 2. *Com. Holland. & Imper. genesis.* 5. *forma corporis.* 6. *vxor.* 7. *liberi* 11. *Imper. eligitur.* 12. *cingitur.* 13. *coronatur.* 14 *an venerit in Italiam.* 15. *occiditur.* 16. *ei mors prædicitur.* 17. *epitaphium, moneta, signum.*
2. *Adæ Holl. Com. gesta, effigies.*
3. *Florentius Com. Hollandiæ in Asiam pergit.* 4. *armorum peritus, effigies, occiditur.*
6. *Elisabeth vxor VVilhelmi Imper.*
7. *Florentius V. vindicat cædem patris, effigies.* 9. *alienam vxorem stuprat in contumeliam.*
10. *Beatrix filia VVilhelmi Imper.*
11. *Ioh. Com. Holland. effigies, mors.*
19. *Conradinus in Italiam descendit* 20. *victus.* 21. *capitur.* 22. *capite damnatur.* 25. *constantia.* 27. *an Pontificis consilio sublatus.*
20. *Carolus Andegauensis vincit Conradinum.* 23. *crudelis.* 28. *mortuo insultat.* 29. *regnum amittit.* 33. *moritur.*
23. *Fridericus Austrius capite damnatur.*
25. *Robertus Comes Flandriæ tentat impedire mortem Conradini.* 26. *occidit Robertum Barium.*
28. *Petrus Rex Arragoniæ reprehendit Carolum Andegauensem.* 32. *coronatur Rex Siciliæ.*
31. *Vesper siculus.*
34. *Carolus Claudus capitur: effigies.*
35. *Stephani II. Regis Hungarorum: effigies, gesta.*
36. *Roberti Pij Regis Neapol. effigies mores, mors.*
37. *Iohanna Regina Neapolis nubit Andreæ Hung. Regi.*

VVILELMI GENESIS.

I. 

Vilhelmus II. Hollandiæ Comes, & Rex Romanorum auũ habuit *VVilhelmum I.* Hollandiæ Comitem XIII. qui *Theoderico VII.* Hollandiæ, fratre suo mortuo, principatum inuasit: exclusa *Ada* Theodorici filiã, quæ primo imperij anno, inuitis Optimatibus nupta *Ludouico Comiti Lossensi* fuerat; hanc *VVilhelmus I.* bello vicit, & in insulam *Texlam* relegauit. Ibiq. non diu superstes, nulla relicta sobole moritur: & Middelburgi sepelitur.

ADÆ EPITAPHIVM.

Regia progenies, Ada nomine; cũcta bonorũ II.
Natura huic sexu quæ dare, Fors ve potest,
Corporis atq. animi fueram sortita: propinquis
Non modo Principibus, sed Ioue digna viro:
Successura Patris soli nata vnica, Matre
Auspice, Lossensi ni data nupta forem,
Ciuibus inuitis alieno tempore: belli hæc
Causa fugæ, obsidij, carceris, exsilij.
Donec ter senam trepidanti condere messem,
Stamina mi abrupit de tribus vna soror
Heu, fatis properata meis. sic pausa malorum
Pax patriæ, & patruo, sic mihi parta quies.









VVil-

III. *VVilhelmus I senior* ille est, qui *Florentium* patrem comitatus in Asiam, & Friderico duci Sueciæ sociatus, ad annos quinque post obitum patris in Terra Sancta permansit: & in diuersis belli campestribus contra Paganos Victoriæ palmam multis ciuibus acquisiuit. Eius industria dicuntur Christiani *Damiatam* obtinuisse. Filium ex vxore suscepit *Florentium IV.* nomine, Comitem XIV. Hollandiæ, qui ex *Mactilde* filiâ *Henrici* ducis Brabantiæ, sorore *Andreæ* Hungarorum Regis, *VVilhelmum* genuit Imperatorem.

IV. Fuit *Florentius* vir Strenus, & dimicandi peritiâ nulli secundus. Magnitudine rerum gestarum huius viri accensa vxor Comitis *Claremontensis* maritum orauit, vt Ludos militares ex industria pararet; rata futurum, vt *Florentius* studio dimicandi cum suis accurreret; & die venit cõstituto certaminis. Tunc læta mulier, *Florentij* virtutem quum ipsa subinde laudibus ferret, suspicans maritus adductũ sibi ante oculos thori insidiatorem, contractis clam armatis, in locum descendit certaminis, omnisq. rei ignarum *Florentium*
V. obtruncat, An. Sal. 1234. V. Kal. Aug. Ex
Formæ corporis. his nascitur *VVilhelmus II.* Comes Hollandię XV. Vigesimũ agens annum, adhuc imberbis, robore decorus, cute candidus, crine nigerrimus, statura procerus, ac membrorum dispositione totius corporis collaudandus, vxorem duxit.

Vxor, & Liberi.

VI. *Elisabetham*, filiam ducis Brunsuicen-
VII. sis, ex qua genuit *Florentium V.* Comitem Hollandiæ XVI. qui annum agens decimum septimum; vindicaturus VVilhelmi patris cædem, Frisijs bis indicto bello, pugnauit prosperè. Quo tempore, sene prodēte quodam, inuentum patris corpus, quod vsq. in eam diem interfectores occulerant, Middelburgum in Selandiam deportandum curauit, & regia pompâ sepeliuit in
VIII. Præmonstratensium Fratrum monasterio; quo non est hoc tempore structurâ magnificentius in ditione Burgundica. Iustis peractis, cum Flandris, qui mox ad subigendam VValachiram adfuturi dicebantur, nauali prælio certare constituerat. Priusquam tamen in hostem duceret, intercedente *Ioanne* Brabantiæ duce, facta est pax, & confirmata nuptijs *Beatricis* filiæ *Guidonis* Comitis Flādrix, quam Florentius in vxorem duxit. Extremo vitæ tempore, magis contumeliæ cau-
sâ, quàm impulsu libidinis, corrupit vxorem IX.
Gerardi cuiusdam Velseni, quem ipse priùs ad summos honores prouexerat. Conspirauit iste vnà cum Hermanno VVoerdeno corruptæ patre, & Traiecti duobus & viginti vulneribus confodit.

Genuit etiam *Beatricem*, quæ nupta fuit Ferdinando III. Castellæ Regi.

Ex *Florentio V.* & *Beatrice* natus est *Iohan-* X.
nes I. Hollandiæ Comes XVII. Huic nupsit *Elisabeth* filia Regis Anglorum An. 1298. Quum pater eius fato concederet apud Regem *Eduardum* in Anglia erat: sed flagitantibus Hollandis, statim a cæde patris Domum reuersus cum ad mensam sederet cum coniuge hilaris & iucundus, veneno perierunt ambo innocentes. Hic solus inter omnes Hollandiæ principes sine liberis absque militari nomine defunctus est. Rem ita narrat *Megerus*: Cum ferè puer esset, moriente patre, consilio Regis *Eduardi*, & *Guidonis* Comitis Flandriæ aui sui, tutorem accepit *VVlphardum a Bursalia*, Veriensem Toparcham, virum strenuum fidelem, *Iohanni* verò *Hannonio* inuisum. *Hannonius* itaq. Gallorum fœdere fretus occultè percussores submittit, & *VVlphardum* occidendum curat. Profectusq. mox in Hollandiam, tutelam Iohannis arripit: illoq. tandem veneno sublato, principatum inuadit tanquam proximus hæres. Erat quippe, matre natus *Adelide Florentij* amitâ.

Imperium.

Cum *Henricus* Landgrauius Thuringię ex XI.
vulnere ad Vlmam accepto obijsset Anno 1247. vel 1248. & *Fridericus II.* ab *Innocentio* Papa deturbatus esset imperio, Principes *Henricum Ducem Brabantiæ* in Cæsarem nominarunt, at iste in *VVilhelmum* ex sorore nepotem conuertit honorem, qui cum annum ageret vigesimum à *Sigefrido* Coloniēsi, & Treuirensi, præsente Apostolico Legato, *Petro Caputio*, Moguncia est coronatus. Priusquàm coronaretur, militaris ordinis re-
gulam præscripserunt sequentem. XII.

Quoniam VVilhelmus designatus Romanorum Rex adolescens est armiger, visum nobis est, vt cum festinatione præparentur omnia, quæcumq; sunt necessaria, vt secundum ritum

ritum Christicolarum Imperatorum Miles fieret, antequam Aquisgrani diadema Regni susciperet, & ut secundum Christianam institutionem Miles effectus, & Regulam Militaris ordinis professus; ex eo disceret, cuiusmodi iugum in ordine suo susceperit, & quale votum in processione suæ Regulæ emiserit.

Itaq; ex consensu nostro, præparatis in Ecclesia Coloniensi omnibus, post Euangelium solemnis Missæ, prædictus VVilhelmus armiger coram Cardinale Apostolicæ Sedis Legato productus est per Regem Bohemiæ, dicentem in hunc modum: Vestræ Reuerentiæ, Pater almifluæ, præsentamus hunc electum armigerum, deuotissime supplicantes, ut vestra Paternitas votiuam eius professionem suscipiat, quo militari nostro collegio digne asscribi possit. Dominus autem Cardinalis in Pontificalibus assistens ornamentis, eidem armigero dixit: secundum etymologiam eiusdem nominis, quod est Miles: Oportet, ait, vnumquemq; militare volentem, esse magnanimum, ingenuum, largifluum, egregium & strenuum: magnanimum quidem in aduersitate, ingenuum in consanguinitate, largifluum in honestate, egregium in curialitate, & strenuum in virili probitate, sed antequam votum tuæ professionis facias, cum matura deliberatione iugum regulæ prius audias.

Ista itaque Regula est militaris ordinis, in primis cum deuota recordatione Dominicæ passionis, Missam quotidie audire: pro fide Catholica corpus audacter exponere; sanctam Ecclesiam cum ministris eius à quibuscumq; grassatoribus liberare; viduas, pupillos, ac orphanos in eorum necessitate protegere; iniusta bella vitare, iniqua stipendia renuere; pro liberatione cuiuslibet innocentis duellum inire; tyrocinia non nisi causa militaris exercitij frequentare; Imperatori Romanorum, seu eius Patricio reuerenter in temporalibus obedire: Rempublicam illibatam in vigore suo permittere, bona feudalia Regni vel Imperij nequaquam alienare: ac irreprehensibiliter apud Deum & homines in hoc mundo viuere. Hæc statuta militaris regulæ si deuotè custodieris, & pro virili diligenter adimpleueris, scias, temporalem te honorem in terris, & post hanc vitam requiem æternam in cœlis mereri.

Quibus expletis, Dominus Cardinalis coniunctas manus eiusdem tyronis clausit in Missali, supra lectum Euangelium, ita dicens: Vis ergo militarem ordinem in nomine Domini deuote suscipere, & regulam tibi verbotenus explicatam, quantum potes, perficere? Cui respondit armiger: volo. Et tum Dominus Cardinalis subsequentem professionem armigero dedit, quam idem armiger palam omnibus in hunc modum legit: Ego VVilhelmus Comes Hollandiæ, militiæ Princeps, sacrique Imperij vasallus liber, iurando profiteor regulæ militaris obseruantiam, in præsentia Domini mei Petri ad Velum Aureum diaconi Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati, per hoc sacrosanctum Euangelium, quod manu tango. Cui Cardinali: Hæc deuota professio peccatorum tuorum sit vera remissio. Amen.

Istis itaq; dictis Rex Bohemiæ ictum impegit in collum tyronis, ita dicens: Ad honorem Dei omnipotentis te militem ordino, ac in nostrum collegium gratanter accipio: sed memento, quoniam Seruator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphizatus & illusus coram Pilato Præside, & flagellis cæsus, ac spinis coronatus, coram Herode Rege chlamyde vestitus & derisus: & coram omni populo nudus & vulneratus in cruce suspensus est, cuius opprobria meminisse te suadeo: cuius Crucem acceptare te consulo: cuius etiam mortem vlcisci te moneo.

Quibus ita solemniter adimpletis, nouus tyro post dictam Missam cum stridentibus buccinis, prostrepentibus tympanis, & tinnientibus cymbalis contra filium Regis Bohemiæ tribus vicibus concurrit in hastiludo, & exinde cum gladijs emitentibus dimicationis tyrocinium fecit.

Erant autem in electione & Curia præsentes,
Petrus Caputij Card. Legatusq; Sed. Apostolicæ,
Rex Bohemiæ cum filijs suis,
Arnoldus de Isenborch Archiep. Treuirensis,
Conradus de Hoystaden Archiep. Coloniensis,
Gerbardus Archiep. Moguntinensis,
Henricus de Geldria Electus Leodiensis,
Otto de Hollandia Episcopus Traiectensis,
Cum nouem alijs Archiepiscopis & Episcopis
Marchio Brandeburgensis, cum pluribus Ducibus & Marchionibus & Vasallis Imperij.

IM-

IMPERIALIS PROCESSVS,

In Vnctione Regis Romanorum, & in eius Coronatione & Consecratione seruandus.

IN Coronatione & vnctione Regis Romanorum debet esse talis processus. Primo post electionem concorditer vel à maiori parte factam, comparebit Rex Romanorum nouiter electus in Ecclesia Aquensi, & ibidē Archiepiscopus Coloniensis ex iure Regni debitus consecrator indutus suis Pontificalibus ornamentis, & similiter Archiepiscopus Moguntinus, & Treuerensis Archiepiscopus erunt induti suis Pontificalibus ornamentis, & desuper plumalibus, cum debito ordine ministrorum cruce, thuribulo, & textu Euangeliorum, præcedentibus, qui obuiam ibunt Regi electo venienti ad fores Ecclesiæ Aquisgranensis, vbi Archiepiscopus Coloniensis eum recipiet, dicens: Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Et Clerus:* Qui fecit cœlum & terram. *Archiepiscopus.* Sit nomen Domini benedictum. *Ministri:* Ex hoc nunc, &c. *Archiepiscopus dicet collectam illam:* Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum N. Regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, vt ita præsentis seculi cursum cunctorum in communem salutem disponat, quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat, per Dominum, &c.

Et hac collecta dicta, Archiepiscopi Moguntinensis & Treuerensis, præsidente Archiepiscopo Coloniensi, suscipiant Regem, vnus ex vno, & alter ex altero lateribus, per manus ipsum ducent ad chorum Aquensem, & sic præcedente Archiepiscopo Coloniensi cum Clero, cruce, thuribulo, textu Euangeliorum, & reliquijs, præcedentibus. Clerus vero cantet: Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c. *cum versic. Psalmi:* Si me audieris, &c. *Et tunc cum perductus fuerit Rex electus ad chorum, prosternet se super tapeto posito ad gradus altaris, & Rex totus se prosternet ad longum, vbi Archiepiscopus Coloniensis super eum prostratum dicet:* Domine saluum fac Regem. Oremus. Deus qui scis genus humanum nulla posse virtute subsistere, &c. *Item:* Oremus. Sempiterne Deus, qui cęlestium terrestriumque moderator, famulum tuum ad Regni fastigium dignatus es promouere, &c. *His dictis eleuet se Rex, & ponat se super sedem Regiam, & addatur ei Regina, si præsens fuerit; & collocetur iuxta Regem in latere sinistro: ac Archiepiscopus Moguntinus à dextro, Treuerensis vero in sinistro latere iuxta Reginam se ponant. Et tunc Archiepiscopus Coloniensis, induta casula, celebraturus Missam, dicat:* Confiteor Dei omnipotenti &c. *Quo dicto incipitur Missa solenniter:* Ecce aduenit Dominator. *Versic.* Iudicium Regi da. *Et tunc dicentur duæ collectæ: illa scilicet:* Deus qui miro ordine Angelorum, &c. *De tribus Regibus, ac* Alleluia, *& Sequent.* ad officium totum de tribus Regibus, lectio Esaiæ Prophetæ:* Surge illuminare Ierusalem, &c. *Si autem esset tempus Quadragesimale, dimissis* Alleluia *& prosa, cantabuntur tractus* Desiderium animæ eius, *vsq; ad versic.* Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. *Et tunc surgat Rex, & deposito pallio Regio, ducetur per Archiepiscopos Moguntinensem & Treuerensem ad gradus Altaris, & prostratus in totum, in modum crucis cantetur litania à duobus Clericis, in quo loco suo erigat se Archiepiscopus Coloniensis, qui prostratus cum Rege baculum in manibus suis tenens, dicet inter cantandum Litanias per Clerum:* Vt hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris. *Clerus:* Te rogamus, &c. *Item Archiepiscopus Coloniensis:* Vt eum benedicere† sublimare† & consecrare† digneris. *Clerus:* Te rogamus, &c. *Item Coloniensis:* Vt eum ad Regni & Imperij fastigium fœliciter perducere digneris. *Clerus:* Te rogamus, &c. *Deinde illi duo Clerici complent Litaniam:* Vt Pontificem nostrum, &c.

*fort. ac off.

Et finita Litania, eriget se D. Coloniensis, & Rex similiter se leuet. Et D. Coloniensis à Rege quæret: Vis sanctam fidem Catholicam à sanctis Apostolis traditam tenere, & operibus fide dignis seruare? *Respondebit ei Rex:* Volo. *Item Coloniensis quæret:* Vis sanctis Ecclesijs Ecclesiarumque ministris fidelis esse tutor & defensor? *Respondebit Rex:* Volo. *Item Coloniensis quæret tertio:* Vis Regnum Dei tibi à Deo concessum, secundum iustitiam prædecessorum tuorum regere & efficaciter defendere? *Respondebit Rex:* Volo. *Item Coloniensis:* Vis iura & regna Imperij bonaque eiusdem iniuste dispersa conserua-

re &

re & recuperare, ac fideliter in vsus Regni & Imperij dispensare? *Respondebit Rex*: Volo. *Item Coloniensis quaeret*: Vis pauperum & diuitum, viduarum & orphanorum aequus esse iudex & pius defensor? *Respondebit Rex*: Volo. *Item Coloniensis quaeret*: Vis integerrimo in Christo Patri & Domino Romano Pontifici & sanctae Romanae Ecclesiae defensionem debitam & fidem reuerenter exhibere, &c. *Respondebit Rex, positis duobus digitis manus suae dexterae super altare*: Volo, & in quantum diuino suffultus fuero adiutorio, & precibus Christianorũ adiutus, quantum valuero, omnia praemissa fideliter adimplebo, sic me Deus adiuuet & sanctum eius Euangelium.

Et tunc reducitur iterum ad altare, vbi Dominus Archiepiscopus Coloniensis à Principibus Alemaniae, Clero & Populo circumstantibus quaeret, & sic dicet: Vultis tali Principi & Rectori vos subijcere, ipsiusq; regnum firmare, fide stabilire, atque iussionibus illius obtemperare, iuxta dictum Apostoli: Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, siue Regi quasi praecellenti? *Ad quam quaestionem Archiepiscopi Moguntinensis & Treuerensis, Principes Alemaniae, Clerus & Populus, assistentes respondebunt dicentes*: Fiat, fiat, fiat. *Quia tamen Rex quandoque non intelligit Latinum idioma, praemissa per Archiepiscopum Coloniensem aut Clericos eius praemissas interrogationes declarabit.*

Quo facto, Rex prosternet se in longum, & Coloniensis dicet super eum benedictionem; Oremus. Benedic Domine hunc Regem nostrũ N. qui regna omnium moderaris à seculo, &c. *Item Coloniensis super eum dicet*: Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, &c. *Post*, Amen, *iterum eriget se Rex & Dominus Coloniensis vnget caput eius, pectus inter scapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa scapulas, de oleo Catechuminorum, dicens*: Pax tibi. *Ad quod Clerus*: Et cum Spiritu, &c. *Et tunc Coloniensis dicet*: Vngo te in Regem de oleo isto, in nomine Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. *Et interea Clerus cantet*: Vnxerunt Salomonem Zadoch Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Syon: & procedentes laeti dixerunt, Viuat Rex in aeternum. *Postea Coloniensis vngat palmas manus, dicens*: Vngantur manus istae de oleo sacro, vnde vncti fuerunt Reges & Prophetae, & sicut vnxit Samuel Dauid in Regem, vt sis benedictus & constitutus Rex in regno isto super populum istum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum, quod ipse praestare dignetur, qui viuit & regnat Deus, &c. *Interea Clerus iterum cantet*: Vnxit te Deus, &c. *Et factis vnctionibus istis, statim sint parati Capellani Domini Regis, & cum lana mundissima detergant omnia loca, vbi oleum appositum est.*

Et tunc ducetur Rex ad armarium, & indutum ibidem sandalijs, alba stola ad modum crucis in pectore sine Cappa: & ita redeat ad sedem suam circa altare. Et tunc Coloniensis dicet collectam: Prospice omnipotens Deus serenis obtutibus gloriosum Regem N. & sicut benedixisti Regem Abraham, Isaac & Iacob, &c. *Item aliam Collectam*: Spiritus Sanctus gratia humilitatis nostrae officio copiose in se descendat. *Item alia*: Deus qui es iustorum gloria & misericordia peccatorum, &c. per omnia secula seculorum. *Assistentes respondeant*: Amen. *Coloniensis*: Dominus vobiscum: Sursum corda: Gratias agamus, &c. Vere dignum & iustum est, &c. *Specialem praefationem, vt in Ordinario Episcopi Coloniensis habetur. Item collecta alia*, Quoniam Dei filius IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui à Patre oleo exultationis, &c. *His dictis postea Regalia tradentur Regi hoc ordine, & locentur primo ad sinistram altaris in mensa. Et tunc Coloniensis, Moguntinensis & Treuerensis simul traddent Domino Regi gladium, & dicet Coloniensis*: Accipe gladium per manus Episcoporum vice & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum. *Hinc accinctus gladio, accipiat à Domino Coloniensi armillas, pallium, & annulum, dicente sibi Coloniensi*: Accipe Regiae dignitatis anulum, & per hunc Catholicae fidei cognosce signaculum, &c. *Postea Dominus Coloniensis tradet ei sceptrum & pomum, & dicet*: Accipe virgam virtutis & aequitatis. *Hinc Domini Coloniensis, Moguntinensis & Treuerensis simul supraponent Regi coronam Regiam, scilicet Caroli Magni de Nornberg adductam: & pariter dicant*: Accipe coronam Regni, &c.

Hinc Domini Moguntinensis & Treuerensis ducent Regem ad altare: & Rex positis manibus supra altare, hanc professionem faciet in suo

suo vulgari, id est, Teutonico, prius tamen in Latino.

N. N. Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, amodò & deinceps legem & iustitiam, pacemq; sanctæ Dei Ecclesiæ seruare, populoq; mihi subiecto prodesse, & iustitiam facere, & iura Regni conseruare, saluo condigno diuinæ misericordiæ respectu, sicut cum auxilio Principum & fidelium Regni atque meorum melius inuenire potero. Sanctissimo Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ cęterisq; Pontificibus & Ecclesijs Dei condignum & canonicum honorem exhibere volo. Ea etiam, quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesijs seu Ecclesiasticis viris collata sunt, & erogata, inuiolabiliter ipsis conseruabo, & faciam conseruari. Abbatibus, & Ordinibus, vasallis Regni, honorem volo portare & exhibere, Domino nostro Iesu Christo mihi auxilium pręstante, fortitudinem & decorem.

Post istam professionem Maguntinensis & Treuerensis Archiepiscopi ducent Regem ad solium suum, Clero cantante officium, quod incipit: Desiderium animæ tribuisti, &c. *Et verficulum:* Qui præuenisti eum. *Hinc ducetur Rex superius ad altare Apostolorum Simonis & Iudæ, in Ecclesia Aquensi: & deinde dicet Archiepiscopus Coloniensis Regi:* Ita retine amodo locum Regni, quem non iure hæreditario, nec paterna successione, sed Principum electorum in Regno Alemaniæ seu verius Romanorum tibi noscas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis, & traditionem præsentem, & omnium Episcoporum cæterorumq; seruorum Dei, &c.

His itaq; cum Rege peractis, si Rex habuerit Reginam, quæ affuerit, iungatur Regina ante altare coram Domino Archiepiscopo Coloniensi, qui super eam prostratam dicat benedictionem: Omnipotens sempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem, &c. *Et tunc proijciat se Regina per modum crucis in longum ante Dominum Coloniensem, qui iterum dicat super ea benedictionem:* Deus qui solus habes immortalitatem, &c. *Hinc detegatur pectus Reginæ per suas pedissequas, & Archiepiscopus Coloniensis circa præcordia pectoris Reginæ de oleo sacro vngeт eam dicens:* Spiritus S. gratia humilitatis nostræ officio in te copiose descendat, &c. *Hinc Coloniensis, Moguntinensis, & Treuerensis Archiepiscopi pariter supraponant coronam ad caput Reginæ, dicentes:* Officio indignitatis nostræ in Reginam benedictam ponimus coronam Regalis excellentiæ. *His dictis Capellani Reginæ accedant & detergant loca cum oleo deuncta, cum lana munda & alba. Et postea pedissequæ Reginæ ipsam reinduant. Quo facto ducatur iuxta Regem, & sedeat in latere sinistro Regis, & prius Clero cantante:* Te Deum laudamus.

His peractis legitur Euangelium secundum Matthæum: Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis. *Deinde dicitur,* Credo. *Offertorium,* Reges Tharsis, &c. *Et Rex sceptrum in manu tenens offerat ad altare, vbi Missa cantatur: deinde offerat Regina: postea Principes Moguntinensis, Treuerensis: postea alij Princeps Electores secundum gradum suum. Et procedetur in Missa vsque ad illum locum,* Et pax eius.

Completo officio Missę, et mox post electionem Rex confirmet priuilegia Principum Electorum, et iuret, quod postquam vnctus fuerit et coronatus et diademate Imperiali per Romanum Pontificem ornatus, iterum Principum Electorum priuilegia confirmabit.

Quibus sic peractis, Rex cum Principibus Electoribus ingredientur auditorium. Et si tunc fuerint aliqua negotia specialia et ardua Regni tractanda, illa tractabunt. Et ita Rex ipse processu temporis cum suis Principibus ac Proceribus Regnum Romanorum administrabit, pacem conseruãdo, oppressos releuando, iniustos reprimẽdo, et iustitiam defendendo in iure, et ita cum Dei adiutorio Regnum et regimen sacri Romani Imperij fœliciter continuando. Quod ille ei misericorditer præstet, qui sine fine viuit & regnat per omnia secula seculorum benedictus. Amen.

Quando fuerit coronatus? scriptores variant. An. 1249. scribit *Truthemius* sequenti formula. XIII.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1249. *VVILHELMVS Comes Hollandiæ, apud villam VVornich in Regem Romanorum à Principibus electus, Aquisgrani ad Kalendas Nouembres, in festo Omnium Sanctorum, per duos Episcopos Mindensem & Monasteriensem, benedicendum Archiepiscopo Coloniensi in templo præsentatum; duo alij Episcopi Traiectensis & Leodiensis, in modum Diaconi dalmatica indue-*

duerunt, quem præfatus Conradus Archiepiscopus cum magna solennitate in Regem Romanorum vnxit & coronauit.

Consecratione autem peracta, idem Archiepiscopus locauit eum in sedem Regni, dicens: Super thronum sedis gloriosæ sedeas, & iudicium & iustitiam in terra facias.

Christianus Archiepiscopus Moguntinus cum oleo sanctificato dexteram eius foris inunxit, dicens: Consecrare te dignetur omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui Dauid per manum Samuelis Prophetæ inungi iussit super populum Hebræorum.

Arnoldus Archiepiscopus Treuerorum manus super caput eius imposuit, dicens: Descendat in te spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis & consilij, replearisque spiritu timoris Domini.

Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Archidapifer Regni globum aureũ in manus illius posuit, dicens: Accipe globũ sphæricum, vt omnes terræ nationes Romano Imperio subijcias, & Augustus gloriosus appellari valeas.

Marchio Brandeburgensis, Camerarius Regis, annulum in manum tradidit, dicens: Accipe signaculum Monarchiæ, vt Romanum Imperium in suo vigore conserues, & inuicta virtute ab omni Barbarorum incursione defendas.

Dux Saxoniæ, Regis Ensifer, gladium ei dedit, dicens: Accipe sceptrum Regium, vt rebelles secura correptione potenter affligas, omnesque beneuolos in tranquilla pace gubernes.

Rex autem Bohemiæ, Pincerna Imperij, de consensu Archiepiscopi Coloniensis, coronam argenteam capiti Regis imposuit, dicens: Accipe diadema splendidum, vt sis virtuosis actibus adeò coruscus in terris, quatenus merearis coronam æternæ felicitatis habere in cœlis; Amen.

Posthæc omnes inferiorum partium Principes & Nobiles obedientiam ei præstiterunt.

XIV. An venerit in Italiam? digladiantur historici, quibus nec vna mors *VVilhelmi*. In Frisios, qui Hollandiam inuaserant, mouerat *VVilhelmus*, vt suæ ditionis fines tueretur: Cumque regrederetur victor, a quibusdam fugitiuis in arundineto latitantibus, cuspidibus transfigitur. Equitabat cum paucis, viciniam explorans, vt reduceret; delatus in glaciem cecidit. Frisones, qui latitabant, erumpunt, & priusquàm ei subueniretur, cæsus partim, partim galeà suffocatus, perijt. An. 1256. Scribunt, nescio quem coniectorem ipsi fuisse vaticinatum, Frisiorum manus eius capiti fore fatales. Refert *Krantzius* ne hodie quidem constare, quo loco ipsius corpus tumulatum sit. XV. *occiditur.* E contra *Steno* refert, cum *ad quandam ciuitatem* eiusdem Prouinciæ venisset, fertur ibidem inuenisse sepulchrum opere mirifico constructum, & dum a ciuibus quæreret, cuius esset hoc sepulchrum? dicebant nondum ibi quenquam fuisse sepultum, sed ab antiquis patribus eorum constructum esse, per fatum cognoscentes, quod in eodem loco deberet Romanorum Regum aliquis tumulari. XVI. *Ei mors prædicitur.* Deuictà itaq; Frisia, cum victor exiret, a quibusdam fugitiuis ibi latitantibus occiditur, & in prædicto tumulo ab indigenis sepelitur.

ELOGIVM. XVII.

PRincipibus Batauis Solij successor auiti,
Lugduni e sacro nomina fonte tuli.
Illa mihi patria est: sexennem, patre perempto
Accepit fidei tertius Otho suæ.
Tu mea, tu patriæ auxisti pomæria tutor
Vindice te Batauum res stabilita mihi.
Vix mea ter senas ætas adoleuerat annos,
Cum data Brunsuic stẽmate nupta mihi. (mis
Hinc ad bella vocor, quam formidandus in ar-
Res gestę testes, totq; trophęa tibi.
Quis, nisi ego opponi Frederici Cęsaris iræ
Et facere ipsi ausus Granopoli obsidium.
Hic vbi Romani mihi capta insignia Regni;
Post etiam imperij tradita summa fuit.
Inde aulæ mihi cum tures: Grauesanda valere
Iußaq; consilijs Haga patere meis.
Pulsus erat solio affinis: grauis vltor in hostem
Armor: & Hannoniæ traditus ille suæ.
Classe petor: Tricena hominum nam millia letho,
Soluere pro ducibus lytra coacta parens.
Est aliquid, morinas toties strauisse cateruas
Gallica plus ductu signa fugata meo.
Margari, Cęsareis quid frustra obniteris armis?
Cedendum Hannoniæ deditione tibi. (Delfis
Sed nec parce minor. Sua quis data commoda
Nescit, & Haganis otia parta meis?
Quis Rhinlanda nouis Collegia honoribus aucta
Illa instaurandis præposita Aggeribus.
Omnia impleui quantum est Belliq; Togæq;
Munia, vix quinas natus Olympiadas.

Restabant Frisij: quos dum compescere luctor,
Insidijs victo victus ab hoste cado.
Magna mihi at cæso præbet solatia Natus,
Hæredem laudis quem precor esse meæ.
Quò mitis? spes est mihi Vindicis: ac licet infans,
Vlcisci patriam iam parat ille necem.

EPITHAPHIVM.

XVIII. *QVis credat? Batauis prima florente iuuēta*
Princeps, et tibi Rex, maxima Roma, fui.
Mox ciuile forum dirimendis litibus Hagam
Institui, pacis non leue præsidium.
Inde rebbellantes vno certamine Flandros
Aut straui, aut misi, sed sine veste domum.
Post victor, Frisios repetens, cado. Quid gemis? (hospes.
Insanis, ni optes sic quoque posse mori.

ALIVD EX MYCILLO.

HIc quoque Cæsareas quondā tētauit habenas:
Sed breue vis regni, gloria multa fuit.
A Frisijs cæsus, vacuum rectore relinquit
Annos, imperium, post tria lustra, duos.

CONRADINVS.

SVblato *Manfredo*, *Conradinus*, cuius exitum præterire non licet, vt Imperatorum ex linea Sueua concludamus periodum, *Conradi IV.* filius, hæres regnorum Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, collectis magnis *In Italiā descēdit.* in Germania copijs, & secum ducto *Friderico* Austriæ duce, a Ghibellinis vocatus, in Italiam descendit, auita repetitum regna. Obuios & hostes habuit *Clementem* Papam & *Carolum Andegauensem*. In eos literis pugnauit & armis. Literis vt ex edicto sequenti:

XIX. Conradi V. Edictum.

De iniurijs sibi per Pontifices Romanos illatis.

Conradus Secundus Dei gratia Ierusalem & Siciliæ Rex, ac Dux Sueuiæ vniuersis sacri principibus Imperij.*

Ex abundantia cordis os loquitur, & iniuriæ nobis illatæ violentia referat hostium labiorum, quam nequiuimus nullatenus patientiæ silentio præterire; salua tamen in omnibus Ecclesiæ Catholicæ, quam cultu sacro & debita reuerentia toto corde & corpore veneramur, quod ad nostram cautelam vlterius insidias, versutias, astus, fastusq; altius formidantes coram Deo, qui corda scrutatur omnium, coram vobis & Christianis publicè protestantes.

Cum enim magnificus Rex Conradus, diuæ memoriæ pater noster, testamento solemniter condito, quodam tempore mortis suæ, nos tenellum infantulum in cunabulis vagientem, nondum à nutricis vberibus ablactatum, in manibus sanctæ matris Ecclesiæ reliquisset, sperans quod nos benignè suscipere, & in brachijs caritatis tractaret susceptum, & tractatum fauorabiliter honoribus promoueret. Sed audite, qualiter iste Summus Pontifex, qui erat dictus Innocentius, nocuit innocenti. Nam repente plusquàm decuerit Papam, vt ardentibus desiderijs æstuabat, quod à patre nostro in parte remanserat, & pro nobis pacificè tenebatur, hæreditarium regnum nostrum, quod dudum antiquitùs progenitores nostri proprijs assecutum sanguinibus cum multis quæsiuere laboribus, quæsitum possidere diutius, & possessum varijs decorauerunt ornatibus, & diuersis decoribus ornauerunt, inuasit personabiliter cum exercitu numeroso, & sub prætextu licito, quod se nostrum in eo baiulum prætendebat, totum suo dominio vindicauit confestim, veruntamen apprehensa possessione prauium intentionis nephandæ propositum manifestans, & dicti regni tamquam in eius Regem in se præcisè transferens potestatem, paulatim nomen ibidem delere nostrum, extinguere fidem nostram, & iura populi Regis suffocare perpetuò satagebat: adeò quod de nobis non sinebat ibi fieri mentionem: & in terras nostras munificè distribuere cœpit in suos consanguineos & nepotes, velut qui corrigias parciebatur in amplas corium alienum. Ecce qualem in nobis, proh dolor, in exercuit pietatem: Ecce quomodo nostræ tutelæ decenter officio satisfecit. O sæua patris acerbitas, quæ filium sine fraude dotis vel filium suis euris expositum sine cura postposuit, qui filium innoxium, sed potius obnoxium exhæredationis pœna perpetua condemnauit.

Postmodum verò cùm ille patruus noster Manfredus Tarentinus Princeps, qui forte fide bona pro nobis à principio laborabat, sufferre diutius tantam nequitiam nequiuisset, potenter resumsit denuò causam nostram, & sub specie fidelitatis nostræ & sub nostro titulo baiulatus

tus, post multos belli strepitus, post diros conflictus, post altercationes innumeras, ipsum regnum non propter eorum iniuriam directorum ab Ecclesia manibus violenter eripuit, & illud aliquamdiu sub fide nostra reseruauit. Qui tandem succedentibus prosperis, quæ frequenter hominum animos solent ad insolentias alterare, oblitus sui sanguinis, oblitus Domini naturalis, fide (sed si fidem habuerat) in perfidiam permutata reciprocauit ad se negocium dicti regni. Mentitus est regnicolis mortem nostram, & sophisticans in eo se Dominum, Pseudoregem se fecit, ibi nobis ex huiusmodi fraudulentia supplantatis. Et ibi fuit error peior priore. Nam grauiorem se fecit in eo nobis aduersitas præterita reditura. Oh dolor, oh nephas, oh miseria pupillorum, quibus inde prius offensio oritur, vnde defensio sperabatur! O cæca cupido dominij temporalis, qua sacra Pontificis, & consanguinei lenitas ad iniquam fallaciam seducuntur!

Excessu prædicto taliter ab eodem Manfredo temere perpetrato, licet bonæ memoriæ Dominus Alexander, qui iam in sede Apostolica præsidebat, contra illum grauiter indignatus, non quod à nobis subtraxerat, sed quod ab eis extorserat regnum nostrum, in eius confusionem vehementer intendere videbatur. Vnde ad nos super habendo tractatu venerabilem direxit Episcopum Verulamensem: nihilominus tamen eodem præsente nobiscum, ad suggestionem forte suorum fratrum de nobis gerentium contrariam voluntatem, per nuncios & litteras Reges & Principes alios ad eiusdem regni nostri commercium similiter inuitabat, aut quia non erat datum à Deo desuper aut prædestinatum à fatis, vt per eos nancisceremur gratias & honores.

Quod quidem apparet & per effectum operum patuit subsequenter in Domino Vrbano, qui nobis extitit inurbanus, ad Pontificatus officium eleuato. Nam dum inter eum & ipsum Principem de pace diutiùs ageretur, ventumq; foret ad punctum finaliter, quo firmanda concordia credebatur, pro facto secundum ipsius formã, idem Apostolicus æquis pater ad ius nostrum ipsi Manfredo & ipsius heredibus concedebat, & etiam confirmabat, vltroq; stipulabatur eidem, quòd contra nos in regni defensionem sibi iuxta posse suum Ecclesia non deesset: vt ob id ligata gemina potentia fidelium baiulorum nostrorum, qua nos ad eiusdem regni solium resurgere non possemus. Ha Deus, non sufficiebat eisdem baiulis pupillum exheredasse solummodò, nisi coniurati sunt inuicem, qued perpetuo deprimerent nos heredem! Cùm autem tractatus ipse, sicut Domino placuit, caderet incompletus, & dictus Apostolicus in excidium Principis exarderet, non personam nostram, cui regnum rationabiliter debebant, quæ ad illius regimen magis accommoda, magis apta, magisq; sufficiens extitißet, vnde sopita quieuisset pace tranquilla, populus Christianus gauisus extitisset; at velut qui non venit mittere pacem, sed gladium declararetur in scandalis, ex quibus effusio sanguinis sequeretur, hominem extraneum & de regno prædicto penitus alienum Karolum scilicet, in nostrum præiudicium, ad nostrum impediendum negocium inuocauit ipsum consilijs & auxilijs contra illum.

Post cuius felicem obitum iste successor eius sanctißimum pater noster Clemens non clementiam sed inclementiam potiùs operatus in nobis, constituit in regno prædicto nostrum Camerarium ante Regem, qui demum per omne nephas regnum ipsum obtinuit, vt nobis incognitum non existit. Sed audite pro Deo inuidiam per Deum & homines detestandam. Non Sarracenos Luceriæ, contra quos Dominus Papa crucem sumẽdam fecerat prædicari, & in quorum excidium gentes senuctæ fuerant & adauctæ, saluos illæsos seruauit, & Christianos miseros non solum exhausit rebus, sed occidit innumeros, & afflixit mille generibus tormentorum. Aperite oculos & videte, qualiter sub specie recti mundum decipiunt & claudunt Presbyteri. Videte, si eis interim in ipso regno sit credendum. Heu heu quantis iniurijs, quantis fraudibus, quadtisque doloribus hereditas nostra conuersa est ad alienos, & regnum nostrum transijt ad indebitum possessorem!

Postquam autem in ipsum Manfredum irruit ira Dei propter commissum in nos peccatum, vt firmiter opinamur; fuitq; per ipsum Karolum superatus & etiam interemptus, regno perdito nobis & sibi cum sua persona perdita culpa sui: dum nos inter sepem Imperij laterémus, quasi iacentes humiliter attoniti & absconditi sub obscuro, factis seu dictis neminem offendentes, tanquam pupillus verè desperatus & ab omnibus inhonoratus, idem Pontifex generalis rimatus est ad instar sollicit venatoris, vbi nos in Germania viuentes inuenit, ferens abhominabilem vitam nostram, & verens ne caput altiùs aliquo modo leuaremus, velut qui quæris mano-

manopilum & sioponodum, vt habeat nocendi materiam & occasionem inueniat malignandi: pro eo quod nostri in litteris regni nostri Siciliæ titulus scribebatur, intendebat (vt audiuimus, licet non credamus) contra nos puerum iuuenem inculpabilem de pharetra sagittam emittere, & excommunicationis sententiam fulminare, non reputans esse satis, quod contra Deum & omnem iustitiam ablatum fuerit nobis regnum illud Siciliæ, nisi finaliter tolleremur à terra. Ha Deus, quomodo sic vniuersi Pontifices in nostri iuris iniuriam iurauerunt? Ha Deus, si hoc in virido, quid in arido fiet nobis? Si hoc in tanta pueritia passi sumus, quid ab eis in antiquitate præstolamur?

Adhuc etiam idem Pater à persecutionum instantia non desistens, sed omnem viam & modum excogitans, quibus nos posset perpetuò conculcare; si dici verum liceret, ad illicita manus suas, & falcem mittens in nostram messem, præfatum Karolum per Italiam vniuersam Romani Vicarium Imperij statuit in nostram iniuriam manifestam, vt commodiùs vires nostras reprimeret, & accessum nostrum ad ipsum regnum faciliùs impediret. Sed ad id in potestate deficit auctoritas, & in auctoritate potestas inane pro certo redditur nomen & officium ingratum. Quid vmquam mali fecimus, ò sancta mater Ecclesia, quod nos tuum deuotum filium, olim pupillum tuæ tutelæ commissum per tuos Rectores sic aspere nouercaris? In quo vmquam te offendimus, ò venerande Pater, quod ita conuersus in vitricum multimodè nos persequeris?, & iniustè forte vastamen tibi reputas, & grauamen iniuriamque, quod viuimus super terram? Cum, sciat Deus, nos alia nesciamus.

Denique cum viuere nequiremus vlteriùs contra tot molestias & pressuras, & ignoraremus quid facere deberemus, ille decorus Deus, qui non relinquit in se sperantes, ecce suam aperuit nobis viam, sed in misericordia: quia nostri fideles tam de Imperio quàm de Regno, zelo eximiæ fidelitatis accensi tot & tantas iniurias in nobis sustinere vlteriùs nequeuntes in nostrũ adiutorium vnanimiter surrexerunt, exponentes pro nobis non solum bona, sed animas & personas, & nos ad recuperationem nostrorum iurium magnificè suscitarunt. Qui apertis thesauris suis pretiosa nobis munera obtulerunt, aurum sicut Regi magno, pro stipendio gentis nostræ nobis affluentiam monstrantes. Nos igitur cognito quod erat omnino necessarium, muniuimus & armauimus iustitiam causæ nostræ, vt illud magnificum genus nostrum, quod iam longis & antiquis temporibus imperauit, nostra non degeneraret in persona, & iniuriosè taliter ipsum pessundari non contingat, sed alta potentia nostræ domus, si Deus annuerit, nostris temporibus releuetur: non vt aduersus ipsum Pontificem generalem, contrarium aliquid cogitemus intendere, quem patrem nostrum reputamus & Dominum, (& vtinam ipse nos filium & deuotum relatione debita recognosceret vt deberet) sed in eundem Karolum, inimicum nostrum nostrorumq; iurium detentorem & contra eum volumus omninò martialibus schachis ludere pro nostra iustitia, & de nostris iuribus in gladijs disputare. Deus autem respiciens è cœlo iustitiam foueat, abhomminetur superbiam, & ferens de sancto throno suo sententiam iudicet æquitatem.

Vestram igitur dilectionem precamur attentè, quantum possumus, & hortamur, quatenus super his causæ nostræ, quam vobis nudam claramque describimus, cognita veritate penes conscientias vestras habeatis nostram innocentiam excusatam, & ad falsam suggestionem forsitan aliquorum de nobis contrarium non credatis, imò nobis in hac iustissima causa dare velitis auxilium, consilium, & fauorem: eundem Summum Pontificem per vestras litteras speciales exorando, vt nobis in iure nostro faueat, & erga nos se gerens benignè rancorem mitigando intuitu vestro temperet motus suos, & vt conceptam erga nos iram suæ indignationis dignetur vobis intercedentibus exarmare......

Armis congressus est An. Sal. 1268. die 22. Augusti, vel 28. Nouembris ad lacum Tuscinum, magnaque clade victus & captus cum *Friderico Austriaco*. Euaserat quidem, sed ex anulo agnitus, ex fuga retractus est. Ita res habet. *Conradinus* fugerat cum *Friderico Austrio* per ignotam Italiam, trepidi & agasonum habitu se occultantes. Ita Asturam ventum. Vbi consilium cœperunt nauis conscendendæ, & Pisas dirigendæ sociam & fidam vrbem. Iam erant in naui, sed panis deerat, commeatus, & pecunia. Quum anulum alter a digito detrahit, siue pignus nauiculario, siue pretio permutandũ. Miratur artifex in anulo gemmã a sordido homine deferri, & suspectans *Vnde habeat?* quærit, ille

can-

candide. *A duobus iuuenibus, ingenui cultus & Sanguinis, sed habitu & veste squalidis, neq; vltra se scire.* Defertur res ad dynastam
XXII. vrbis *Iohannem Frangipanum*. Is adolescentes retrahi, & ad se duci. Dictum, factum: sistuntur, agnoscuntur; putabant se extra periculum, quia extra hostile solum erant, esse. Aliter accidit auaritia dynastæ: nam is *Carolo* indicat, qui statim cum copijs terra marique aduolat, captiuos Neapolim trahit. Quid expectas? aliquid regium? pudor est Andegauensis stirpis, aut macula, quod dicam. Diù deliberato, concluditur tollendos adolescentes, & publicè capite minuendos. Quid vt sicarios aut prædones? qui ius suum repetierant? qui bellum intulerant, & iure ac more gentium administrarant? Omnia in hoc facto sæuitiam habent & barbariem: & si Pontificem etiam obtendant, atque illum consensisse aut suasisse. Alterum potest, vix alterum: sed æstimatio aliorum etiam esto, in re autem istud. Producuntur in scenam publicam, concursus ad tale spectaculum è tota Italia, omnes ignoscunt, sed nemo succurrit. *Conradinus* animosè loquitur,
XXIII. *Carolum* accusat, se excusat: Deum vindicem
capite damnat. inuocat, & ius suum in hæc regna *Henrico* Castellano, amitæ suæ filio donat. Huic rei tesseram, chirothecam exuit, abijcitq. Tum
XXIV. *plectitur fridericus Austrius* *Fridericus* primum ingeniculare iubetur, & caput inciditur, quod sublatum è tabulato *Conradinus* (quis sine motu audiat) pectori admotum, deinde ori applicuit, & sortem eius miseram defleuit, cui author ipse esset. Tum & ipse in genua prouolués fortiter expectat carnificem, qui caput amputat: & cum fecisset, statim alius hunc interficit, ne extaret, qui iactaret generosum illum sanguinem a se sublatum. *Carolo* sunt, qui adscribant, sed falsò, nam neque hoc vnum
XXV. regale habuit. Consilium fuit *Roberti* Flandriç comitis, qui vehementissimè obstiterat, *Carolumque* admonuerat, victorem generosum decere moderatum, & clementem esse; sed nihil effecit. Quare cum mortem *Rober-*
XXVI. *tus* impedire non posset, protonotarium *Robertum Barium*, qui è cathedrà capitalem sententiam tenuissimæ conditionis homo pronunciauerat, tanquam vita indignum ense confodit. *Carolus* immane illud feritatis adiunxit, quod ipse spectator supplicij esse sustinuit, in alta quadã turri occultus. Quod ad Pontificem attinet, sunt authores, *Carolum* XXVII. *odiu Papa in Cõradinum.*
per litteras ad eum retulisse, *quid de iuueni bus decerni placeret*: illum autem respondisse, non intercedere se, quo minus lege ageretur. Aiunt alij adiecisse: *Vita Conradini, mors Caroli*. Principum ne (saria cæde non adhuc contentus *Carolus*, epitaphio mortuis etiam XXVIII
insultauit acerbo, quod nec pium, nec religiosum est habitum.

Asturis vngue Leo pullũ rapiens Aquilinũ,
Hic deplumauit, acephalumque dedit:

Impletum tunc est vaticinium de termino Ducibus Sueuiæ ad imperandum concesso; si non aduersus Sueuos conficti sunt sequentes versiculi. Vir quidam) inquiunt, Sanctus, pro bono felici que Ecclesię statu Deum precans; nec sciens quicquam de Imperatoris obitu: cum ab oratione surgeret, in manu sua carmina inuenit sequentia.

Rex ruet: & regnum rapiens, Rex alter habebit
Henricus Philip. Otho IV.
Ille potens medio cadet; hoc & vterque carebit
Imperf.
Surget ab occiduo Rex, vt leo: Regna tenebit
Frider. II.
Et post hunc nisi tres: & Regius ordo silebit
Conradus - Manfred. - et Conradinus Sueuor.

Petrus Rex Arragoniæ audita barbarie, litteras misit ad *Carolum*, Sacris increpans verbis. *Tu Nerone Neronior, & Saracenis crudelior es*. Quibus tamen artibus vicit, hostem *Carolus*, iisdem & ipse perijt. Vtraq; XXIX. *Gallorum feuitia.*
enim occupata Sicilia, Magistratus ex Gallis solumodò constituit, qui iura dicerent; Sed hi tanto fastu, libidine, auaritia, impleuerunt omnia, vt Siculi rebus & honore spoliati, post XVII. annorum tyrãnidem, tacita murmura conferre cęperunt. In primis ad *Nicolaum III.* Pontificem legatos mittunt, qui eum (teste *P. Emilio*) tali exordio affati: *Qui* XXX.
tollis peccata mundi miserere nostri. iterum *Qui tollis peccata mundi miserere nostri*. tertium *Qui tollis peccata mundi, miserere nostri, filia nostra malè à dęmonio vexatur*: & ad Gallorum feritatem, & tyrannidem compescendam longa serie recitatis criminibus excitant. Inde per *Iohannem Prochytam* (cuius vxorem stuprauerat *Carolus*) Paleologum Imperatorem Constantinop., & *Petrum* Aragoniæ Regem sibi contra *Carolum* conciliant, deniq; communibus suffragijs coniurant, de omnibus Gallis in tota Sicilia nullo sexus,

sexus, ætatis, conditionis discrimine habito,
vno eodemq; tempore, cum primum circa
Vesperas campanæ signum auditum fuerit,
improuisò occidêdis. Anno igitur Sal. 1282.
Cal. April. feria III. Paschatis, dato signo
campanæ, & conuenerat, ad Vespertinas
preces, Siculi in Gallos nil vmquam veritos
summa violentia, & quasi impetu de repen-
te insurgunt, omnibus, qui quidem arma
ferre poterant, monachis quoque punctim,
cæsimq; rem agentibus. Vltioni sic indulge-
bant, vt etiam prægnantes exenterarint, &
paruulos, ne quid Gallicæ stirpis superesset,
XXXI. *Vesper Siculus.* saxis illiserit. Bihorij tantum spatio octo
Gallorum millibus interfectis. Hinc factum
vulgo prouerbium : *Vesper Siculus*. Cæde
XXXII. *Petrus Arragonius coronat.* confecta, *Petrus Aragonius*, qui ad Hippo-
nem Africæ euentum Siculæ conspirationis
præstolabatur, accersitus, Insulam proce-
rum deditione occupauit, seq; Regem Apu-
liæ & Siciliæ iussit coronari.

Cum autem *Carolus Andegauensis* nun-
cium de cęde suorum Romæ agens accepis- XXXIII *Carolus Andegauẽsis moritur.*
set, dixisse fertur. *Quando fortunam mihi
aduersam esse vis, Deus facito vt sensim amit-
tam, quæ breui spatio temporis parta sunt.* Cum
ergo frustra tentasset recupare Siciliam, mę-
rore animi extinctus est An. C. 1285. die 7.
Ian. Eius filius etiam *Carolus Claudus* dictus, XXXIV.
à *Petro Aragonio* captus, & in carcerem con-
iectus misere vitam finijt. Huic nupta erat
Maria filia *Stephani IV*. Vngarorum Regis,
qui *Belæ IV*. infausti fęlix filius, paternarum
virtutum hæres, ac iniuriarum gloriosus vin- XXXV. *Stephanus IV. Rex Vng.*
dex *Othocarum*, qui patrem *Belam* in Mora-
uia vicerat, magna clade superauit; inde in
Bulgariam mouens, Buda Bulgarorum me-
tropoli expugnata, Regem cum populo sibi
suisq; mancipauit. Plura nè facere mors ob-
stitit inuida.

Deportato *Carolo Claudo*, Neapolitanum XXXVI.
regnum tenuit *Robertus* Pius filius *Caroli
Claudi*, & auctoritate Romani Pontificis, an-
no 1309. excluso *Carolo Vmberto* Hungaro-





rum Rege nepote *Caroli Claudi*, ex filio *Caro-
lo Martello* Rex Salutatur. Regnauit annos
tres supra triginta. Moritur Anno 1343.
absq; filijs; testamento iubens nuptias cele-
brari inter *Iohannam* neptem ex filio cum
Andrea nepote ex fratre, Hungarorum Re-
ge; vt regnum in familiam fratris recaderet,
ad quam de iure spectabar.





RI-

RICHARDVS COMES CORNVBIÆ, ET ALPHONSVS SAPIENS CASTELLÆ REX

CAPVT TERTIVM.

4. Conradini mentio a Pontifice prohibetur in electione Imperatoris.
5. Richardus Comes Cornubiæ eligitur Imperator. auro vota parat. 51. eius iura in Imperio. 11. Imperium derelinquit, moritur. 19. Constitutiones. 1. Genesis vxor, 2. numisma.
6. Gerardus Mogunt. Ep. auro libertatem redemit. 6. Richardum Cornubiæ eligit Imperatorem.
7. Alphonsus X. Castellæ Rex eligitur Imperator. 8. eius mores. 9. lentè procedit. 11. eius iura in Imperio. 14. Lugdunense petit Concilium. 15. a Papa suadetur renunciare. 16. eius postulata. 17. Papæ succenset. 18. regno exuitur. 19. leges. 21. moneta. 3. vxor.
8. Ludouici Bauari crudelitas in vxorem, & alios innocentes. 9. Annam ducit.

Richardum & Alphonsũ Aquilã discerpẽtes Imperij inspice in hieroglyphico: camque semianimem, & pene extinctam, emulantium dilaceratam dissidijs: & inde quàm perniciosa sit Imperio discordia, pende; iuxta id. *Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.*

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

DVm studet Imperiũ Regi deferre Senatus,
Rixosus cuncto clamor in orbe furit.
Nam pars vna Patrũ Richardo tradere regnũ,
Alteraque Alphonsum sceptra tenere cupit.
Sors hominũ infelix! ambo sunt nomine Reges,
In proprio nullus sed tamen orbe iubet.
In binas Aquilam partes extollite gentes
Diuisam, nam nunc dilacerata perit:
Scilicet Imperium discors, plenumque tumultu,
Tristia Fortunæ non nisi Fata subit.

Io: Bapt. Pong.

ALIVD.

IMperium Alphonsus captat, captatq; Richardus,
Prendit vterque quidẽ, nemo tamen tenuit.
Regem nempè fugit regnandi dira cupido,
Abstulit & Comiti sceptra, cruenta manus;
Attamen hoc inter discrimen cedit vtrumque,
Quod nẽpe Imperium huic mors, negat ille sibi.

Excell. Frantzinus S. Th. D.

ALIVD.

IMperij hanc Aquilã Quinã discerpere tẽtant;
Hinc, ac indè Pares, Viribus, atque Manu?
Quid iuuat in Regno Discordia tanta Potentũ?
Reges Vna simul non capit Aula, Duos.
Flagitat Alphonsus, poscit sceptrũq; Richardus;
Et dum Lis pendet, labitur Imperium!
O Vtinam faceret tantùm hìc Contentio finem:
Contages Proceres carpit, & Arma, Duces.
Proh scelus! Ambitio cum pullulat inter Amicos:
Hostis, & Octimanus, nostraque Regna rapit.
Crescit Luna magis: Dum Cornua gyrat in Orbẽ;
Aggressa hunc Orbem, Plena fit Exuuijs.
Da Generi humano reliquos Democrite, Mũdos:
Imperio abscisso, Mundus in Orbe, ruit.

M. Ant. Moles S. Th. D. Neap.



I. EX *Ioanne* Anglorum Rege & *Elisabetha* Richardus nascitur. Fratrem habuit *Henricum III.* qui Primogenitus in regnum successerat. Vxorem habuit *Sanciam*, siuè *Sauciam* Raimundi Comitis Prouinciæ filiam, ex quâ duos genuit *Henricum* &
II. *Edmundum* Comites Cornubiæ in Anglia. Vide numisma pag. 4.

Alphonsi Genesis, Vxor.

III. Alphonsus X. Castellæ & Legionis Rex filius *Ferdinandi III.* & *Beatricis* filię *Philippi* Imperatoris; Vxorem habuit *Violantam* filiam *Iacobi* Regis Aragonum, quam plurimum dilexit. Sed cum nullam prolem ex ea susciperet, repudiare eam cogitans, *Christianam* puellam, forma conspicuam, filiam *Daciæ* Regis in matrimonium per oratores postulauit. Quæ cum adduceretur, præter omnium spem, repentè reginæ *Violantæ* venter intumuit, ac filiam *Berenguelam*, dehinc *Ferdinandum Sanctium*; *Ioannem*, *Iacobum*, *Petrum*, *Leonoram*; & *Beatricem* peperit.

Imperij Occupatio.

tres competitores imperij.

IV. VVilhelmo extincto, triceps monstrum apud Samnites natum, tres dicitur præfigurasse competitores Imperij, *Conradinum*, *Richardum*, *Alfonsum*. Aduersus *Conradinum* Alexander Pontifex, *Fridericorum* mores & turbulenta ingenia suspectans, *Gerardum Moguntinensem* Archiep. monuit, ne in Augustali suffragatione sineret, vllam *Conradini* pueri haberi rationem, vt ex sequenti epistola.

Pontifex obstat Cōradino.

Alexand. P.P. Archiep. Mogunt.

Firma profectò consistit domus, quæ solidis fulcita est columnis, & Ecclesia tunc multo stabilitur robore, cum Prælatorum virtute ac constantia communitur. Inter quos quia honore ac potentia eminere dignosceris, conueniens est & debitum, vt fauorabilius & vehementius eidem assistas Ecclesiæ: ac à te ipsa in opportunitatib. præsidia sentiat potiora. Quia si eius augetur status & optatis proficit incrementis, vna tu cum ea suorum profectuum participatione concrescis, & si, quod absit, aliquibus molestaretur aduersis, & sinistris pungeretur euentibus, suæ te molestiæ minime præterirent, sed simul cum ipsa gustares suarum amaritudinem punctionum. Imo sicut locum in ea obtines magis conspicuum, & excelsum, sic plus te illius lætificaret prosperitas, & tribulatio conturbaret, nec ipsa quæ plurimum in tuis congaudet commodis, de tuis posset aduersitatibus grauiter non dolere. Quanto autem affectu te ac alios Alemaniæ prælatos Romana semper prosecuta fuerit Ecclesia, quantisque vos & Ecclesias vestras studuerit assiduè magnificare, ac præseruare fauoribus, clarè liquet, cum nunquam in beneficijs & gratijs circa vos & ipsas Ecclesias defecerit suæ irriguum largitatis: nec vsquā vobis in necessitatibus ipsius defuerint auxilia, quæ vestri, tamquam proprij zelatrix honoris indefessè curauit, quoties oportuit vestris adesse negotijs: sicut promotrix sollicita, & auditrix per omnia studiosa. Nec immerito quidem, cum & in suis agendis vos inter cæteros promptos cooperatores repererit, & præcipuos senserit Adiutores, propter quod decet, & expedit, vt attentè pro ipsius vigiletis honore, quę vestris diligenter intendere vtilitatibus non desistit. Sane intelleximus, quod instat tempus electioni, celebrādæ de Rege, in Imperatorem postmodum promouendum, insuper quo tanto propensior adhibenda est diligentia, & cautela, quanto altius & difficilius est negotium quod geritur in hac parte; quantoq; res, si aliqua in ea interueniret negligentia, seu improuidentia, vel desidia, deteriorem habere posset affectum, & exitū noxiorem. Vnde hic vehemēter vigilandum est: hic perspicaciter intuendum, hic considerandū prudenter; hic maturè deliberandum, hic aperiendi sunt oculi, hic habendæ sunt aures intentæ; hic mens esse debet non rudis & torpida, sed diligens, peruigil & consulta, vbi de Aduocato Ecclesiæ agitur, de ipsius defensore tractatur: ne pro Aduocato impugnator, & pro defensore assumatur vel eligatur offensor. Quare vndique summæ cogitationis præferenda est acies, & circumquaque districta explorandum indagine, vt talis (cooperante Domino) reperiatur & eligatur, qui fidelis & deuotus existat, & de prosapia processerit Deuotorum, ac idoneus & sufficiens meritò reputetur, ad obtinendum tanti honoris culmen & Imperij Regimen exercendum. Qualiter autem quondam Fridericus olim Romanorum Imperij & sui progenitores, & posteri, erga matrem Ecclesiam se gesserint, & qualem ei retributionem de beneficijs ab ea perceptis impenderint, patens est & cognitum toti orbi. Quoniam hi, aliorum persequutorum excedentes tyrannidem, grauioribus eam affecerunt iniurijs & oppressionibus durioribus afflixerunt, & velut in exterminium eius intendentes furoris arcum

& feritatis gladium acuentes diris illam vbilibet tribulauere flagellis, & vsque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt. Nam in hoc prauo genere, Patrum in filios cum sanguine deriuata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Ex quo liquido perpendi potest, & conijci, si ex ipso aliquæ posteritatis reliquiæ remanserunt, quid sperandum sit in futurum de illis, quid in posterum exspectandum. Vita namque & gesta prædecessorum peruersa iniquitatem prænunciant successoris, nec horribilis & scelesta illorum memoria, quicquam boni de ipsorum posteritate credere vel sperare permittit. De colubro quidem egreditur regulus, & arbor mala noxios fructus profert, prauumque principium numquam bonum pollicetur effectum. Et ideo de Conrado puero, nato quondam Conradi prædicti Frederici secundi filio est præcauendum omnino, nec vllo modo intendatur ad eum, nec nominetur ad hoc, nec aliquatenus eligatur, maxime cum propter infantiam, nimiumque defectum ætatis sit ad ista prorsus inhabilis. Puer ipse est, nec ius quod ex lectione prouenire vel consurgere consueuit, sibi posset competere, nec in sua cadere, vel retineri persona? cum propter puerilem ætatem quæ discretione careret, & legitimum consensum vel dissensum non habet, electioni, si de ipso fieret, consentire non posset, nec ipsius consensus aliquam haberet efficaciam vel vigorem. Et ex eo etiam idem puer in Regem eligi vel nominari non debet: quia cum per electionem huiusmodi de aduocato vel defensore idoneo debeat Ecclesiæ prouideri, & ipse puer sit, omnimodè ineptus & inutilis ad talis defensionis officium seu ministerium exequendum, oporteret eandem Ecclesiam, si contingeret eligi dictum puerum, manere diutius, non absque quibusuis, forte dispendijs, defensionis commodo destitutam: Nec per hoc etiam consuleretur amplo & spacioso Regno Theutonico de Rege vel Rectore condigno, cum male possit alios regere, qui non nouit gubernare se ipsum: nec benè vel dignè aliorum gubernaculo præesse valeat, qui regimine ducitur alieno, & cui propter tot patentes defectus, necessaria est alterius custodia & tutela. Propter quod regnum ipsum longo tempore, non sine multo discrimine sub opportuni regiminis operatione langueret. Ideoque Fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attentè, ac per Apostolicam auctoritatem tibi in virtute Sanctæ obedientiæ, sub debito fidelitatis, quo nobis & Ecclesiæ Romanæ teneris, ac sub pœna excomunicationis, quam ex nunc in te proferimus, districtè præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Conradum puerum, nullatenus in Regem eligas nec nomines, neque consentias in eundem, ita quod excomunicatus existas, si contra mandatum nostrum facere vel venire præsumpseris, & eundem Conradum nominaueris, vel elegeris, aut in ipsum consenseris, seu opem vel operam, consilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, impenderis: & etiam si eius electionem non impedieris toto posse, vt si forte ad ipsius electionem vel nominationem processeris, scias te prius excommunicatione ligatum. Alijs vero coelectoribus tuis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus auctoritate nostra firmiter inhibeas, ne ipsum ad hoc nominent vel eligant, nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excomunicationis sententiam, si contra hanc tuam, Imò nostram inhibitionem venire tentauerint. Ita quod si eum nominare, vel eligere, aut in ipsum consentire præsumpserint, noscant, se prorsus excommunicationis vinculo innodatos: vt ex hoc ipso (si de prædicto puero quicquam in hac parte attentatum fuerit) sit prorsus vacuum, irritum & inane. Mandatum itaque ac præceptum super hoc Apostolicum sic fideliter, sapienter, & efficaciter adimplere studeas, omnem opem, & operam adhibeas, vt aliquis fide clarus, & deuotione syncerus, cui ad hoc suffragentur merita, eligatur, quod exin nos & Romanam Ecclesiam tibi, & Ecclesiæ tuæ arctius obliges, nosque lætari possimus, id, in hoc quod intendimus, tuo solerti studio salubriter prouenisse. Ad hæc, nihilominus in omnes electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare, vel eligere, seu in ipsum consentire, aut opem, vel operam, consilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, dare præsumpserint, excomunicationis sententiam promulgamus: quam per te antequam ad nominationem, vel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis coelectoribus præcipimus nuntiari. Quod si non feceris, eo ipso te noueris laqueo excomunicationis astrictum. Datum Anagniæ 5. Calend. August. Anno Pontif. nostri secundo.

Conradus Coloniensis Antistes *Richardo Conu-*


V. *Richard. eligitur Imperator.* *Cornubiæ comiti*, certam regni spem ostendebat, si eligentium animos & vota auro prensaret. *Ludouico Seuero* marcarum myriadem, Moguntino octo marcarum millia
VI. esse à *Richardo* donata legimus. Coloniensis quoque magno ære conductus est. Moguntinus id temporis captiuus ab *Alberto Brunsuicensi* tenebatur. Vbi primum libertatem Anglico auro redemit, domum redux comitia ad Idus Ianuarias Francofordię indixit, vbi *Richardus* emptis suffragijs Rex creatur.
an.1257. An. 1257. Missus ilico Epis. Coloniensis in Angliam ad euocandum *Richardum* venit
coronat. & Aquisgrani ipso Christi Cælos ascendentis die coronatur.

VII. *Alfonsus X. eligitur Imperator.* Alia ex parte *Arnoldus* Archiep. Treuirensis repudiata quindenum millium argenti Anglici marcarum corruptelà, cum Duce Saxoniæ, cum Marchione Branderburgico, Spirensi, VVormaciensi Episcopis, alijsque proceribus, haud longe à Francofurto, in lectissima nobilissimorum virorum coronà *Alfonsum X.* Castellæ & Legionis Regem, filium *Ferdinandi III.* & *Beatricis*, *Richardo*
VIII. *mores.* prætermisso, cooptauit. Erat *Alphonso* mite ingenium, ingens animus, belli pacisq; artibus peræque instructus, gloriæ quàm voluptatum cupidior, deditus otio literarum, nec tamen à negotijs alienus: sed quia auidus corradendæ pecuniæ tam suis, quàm extraneis minori erat in pretio. Comitia tamen magni fuerunt, quod genus maternum duceret a Germanis Imperatoribus, vt pote filius *Beatricis*, filiæ *Philippi* Imperatoris. Missi igitur Constantiæ & Spiræ Antistites, qui eum ad imperium capescendum sollicitarent.
IX. Ille autem siue quod suorum studijs difideret, filiorum ætate nondùm matura, siue quod ob intestinos motus domestica peregrinis anteferret, venire distulit. Carpebat interim electionem *Richardi* inutili disceptatione, quasi regna perinde ac scholastica subsellia, disputando caperentur. Ita Germania distracta dissidijs, insidijs, rapinis latè patebat.

X. *Ludouici Seueri crudelitas.* Bauaria etiam non sine luctu. Ad Rhenum abiens *Ludouicus* cognomento *Seuerus*, Mariam coniugem, *Henrici* Magnanimi Brabantiæ ducis filiam Donavverdæ apud *Elisabetham Conradini* matrem, suam sororem. Reliquerat interim *Maria* vxor binas epistolas, marito alteram, alteram *Rauchgrauio* dedit per hominem ignarum literaturæ, ea tamen cautelà, vt Ludouico literas cerà miniatà signatas; alteras atro munitas sigillo Comiti traderet. Tabellarius verò imperij oblitus, literas nigricante signo clausas duci reddidit. Sola inscriptio zelotypiam excitauit in duce: a quo resignata epistola legitur, singulæ voces morosè expenduntur. Paucæ literæ, quæ arcanum inuoluebant, eiq; incognitæ ream dederant vxorem, quasi ab alio adamatam. Hinc in furorem versus tabellarium veluti lenonem e vestigio confodit, & citatis itineribus Donavverdam aduolat: arcis præfectum, officij causa prodeuntem iugulat. *Helicam Prenbergiam* virginem nobilem, *Mariæ* fidam pugione transfigit: Gynecæi moderatricem honestissimam ex arce præcipitat: *Mariam* tandem coniugem manu carnificis trucidat. Nocte proximà, vbi furor posuerat, facinoris atrocitate territus, adeo expauit, vt prodigiosa canitie mæror cæsariem florentissimi iuuenis tinxerit: nondum enim vigesimum septimum annum excesserat. Mariæ innocentia, si Esfordianis fides est monumentis, *Ludouico* diuinitùs est reuelata. Comes flagitiosę familiaritatis suspectus, quem ferunt fuisse ex stirpe *VVittelspachij*, percussoris *Philippi* Cęsaris, prouincia excessit, verbis passim ac scriptis Mariæ integritatem testatus. *Ludouicus* ab *Alex. IV.* Pontif. Rom. delicti veniam exorauit, quæ data, si ad expiationem piaculi cęnobium conderet. Extruxit ergo Fuldense Monasterium ad tertium à Monachio lapidem, cuius in fronte hæc leguntur

Coniugis innocuæ fusis monumenta cruoris
Pro culpæ pretio claustra sacrata vides.

Melioribus postea auspicijs *Annam* Conradi Gloggouiensis Silesiæ Ducis filiam sibi matrimonio iunxit Anno 1260. Hæc omnia sub Germano Interegno. XI. *Annam ducit.* Moritur postea *Alexander IV.* Rom. Pontifex & Apostolicā Sedem obtinuit *Vrbanus IV.* Coram quo de Imperio disceptantes *Richardum* Cornubiæ Comitem, & *Alphonsum* Castellæ Regem, conatus est Pontifex ad concordiam reducere. Quod vterque sibi tribueret, videantur in diplomate Pontificio, quod super ea controuersia vulgauit *Vrbanus* in Vrbe Veteri. XII.
vi. Cal. Septemb. An. 1263.



Vrba-

Vrbanus Episc. Seruus seruorum Dei Richardo in Rom. Regem electo.

QVi cœlum terramque tegit, is nimirum cœli nouit ordinem, & in terra potest cœlestis ponere ordinis rationem. Is eximiam de superis ad inferiora deriuans, sicut in firmamento cœli duo luminaria magna constituit, vt mundum vicibus suis illustraret, sic & in terris maxima dona sua, sacerdotium videlicet & Imperium, ad plenum spiritualium mundanorumq; regimen, ad firmamentum Ecclesiæ militantis instituens, vtriusq; potestatis ita discreuit officia, vt eorum officiosa diuersitas, nulla sibi aduersitate dissentiat: sed in commissi executione regiminis, ex officij debito in voti vnitate concordet, & ipsorum proculdubio pro futura concordia alterutrius alternis fulta præsidijs, ac vtriusq; mutuis fota fauoribus opus iustitiæ liberius operetur, pacem mundo pariens, tranquillitatem inducens & nutriens vnitatem, Imperium siquidem ad salutem sacerdotali auctoritate dirigitur; & ipsius adiutum suffragijs, sedatis procellosis interdum imminentium tempestatū turbinibus tranquillum redditur, & quietum. Sacerdotium vero pium, & tutum habere debet refugium: Imperialem mansuetudinem cum sua veneratione coniunctam: vt Imperij Rom. fastigium, & eius culmini præsidens, specialis Aduocati, & Defensoris præcipui circa Eccl. gerat officium, & in ipsius fortitudine brachij defensētur Ecclesię libertates, & iura manu teneantur ipsorum, extirpentur hæreses, cultus Christianæ Fidei amplietur, & inimicis consternatis eiusdem in pacis pulchritudine sedeat populus Christianus, & in requie opulenta quiescat. Verum humani generis inimicus pacis impatiens, amator litium, discordiæ seminator, vtriusq; profectibus inuidens, clarę me. Vilhelmo Rege rebus humanis exempto inter se & clarissimum in Christo filium nostrum Regem Castellæ ac Legionis illustrem in Rom. Regem electum, circa obtinendam eiusdem Imperij dignitatem, contentionis materiam suscitauit: vt vobis circa hæc contendentibus, careret Imperialis regiminis commodis orbis terrę, & tanti brachij tam vtilis, tam necessarijs, tam cari carentiam, ex ipsius vacatione diutina molestam admodum, & nociuam, damnosa experimenta Ecclesia prædicta sentiret. Sentit itaq; sentit mater Ecclesia tam populi sibi commissi, quam suam grauem de huiusmodi contentione iacturam. Creuit namq; peruersorum audacia, & ipsorum abundante malitia, dum eorundem vacante Imperio, ipsi Ecclesiæ defensionis debitæ suffragia subtrahuntur; liberius peccatis insistitur, hæreses pullulant, scandala suscitantur, multiplicantur cædes & strages, iniuriç inualescunt; in persecutionum turbinibus Petri nauicula fluctuat: & interdum, qui fidelium ipsius censeri nomine gloriantur, in arcum peruersum, fidei debitum non seruando conuersi, tam in suis iuribus iniuriose impetunt, & molestant, illa nunc denegando pro libito; nunc illicite occupādo: propter quod eadem Ecclesia non immerito huiusmodi vacationem deplorat Imperij: & de animarum periculis, quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria, ingemiscit. Ex eo insuper quam dure, quam grauiter materna eius viscera quatiuntur, quod ipsa tam charos filios, tam inclytos Principes in suo sentiens vtero collidentes, prudenter aduertit tuam, & prædicti Regis potentiā in Christi blasphemos, & inimicos nominis Christiani potēter & magnifice more solito exercendam in proprium & grande domesticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari. Hæc igitur, & alia incommoda dissensionis huiusmodi eadem Ecclesia materno pēsans affectu, in his auxilij sui dexteram non subtraxit, sed vigilauit attentius, & attentione solicita vigilanter intendit, multaq; solicitudine peruigil laborauit, vt discriminibus tantis occurreret, teq; ac ipsum Regem à discordiarum dispendijs præseruaret. Et licet inter vos iudicij partes assumere, non sine causa distulerit, præsertim cum tam tui, quam ipsius Regis Nuncij, in recordationis felicis Alexandri Papę prędecessoris nostri, nostra, & fratrum nostrorum pręsentia constituti, super prędictis, Iudiciarium Apostolicę sedis examen expresse vsq; ad hęc tempora declinarint: dilationem tamen huiusmodi, etiam illa vtilitatis vtriusque patris consideratio, & paternæ pietatis cautela, pro vobis

bis cõsilium căpiens persuasit, vt vestris animis ad hoc habilitatis, interim ad reformanda inter vos amicitiæ fœdera, congruentia tempora captarentur; vt remedia promptiora paterent, per quę occasione discordię sublata, vos glutinum solidę charitatis vniret; ac in vestrę soliditate concordiæ, quam tractatus, qui super hoc, inter vos dicebantur haberi, permittere videbantur, sed sui Principis ducatu pacifico daretur eidem Sabbatissimus Imperio; & sedatis scandalis, quietis optatæ iucunditas proueniret; pestis exterminaretur hæretica; animarum pericula vitarentur; Ecclesia Cęsareo munita pręsidio, & ab hostilib. erepta persecutorum incursibus respiraret, ac eorum qui sub simulatæ fidelitatis audacia nocent fidentius, temeraria nocendi confidentia refrenata, suorum iuriũ integritate gauderet. Hæc quidem hactenus expectauimus anxij: hæc desiderauimus anxia expectatione diutius: in his prædecessoris, nostra, & fratrum ipsorum solicitudo non defuit: secundum Apostolicę circumspectionis iudicium, de contingentib. nihil omittens. Et quamquam, vt votis nostris satisfieret in hac parte, hucusque ex alto non fuerit concessum, tamen ad id nostra semper suspirauit intentio, ad id plenis desiderijs anxiamur non proponẽtes à cæptis desistere: quin circa negotium huiusmodi, sub spe illius, qui facit magna & inscrutabilia, qui facit concordiã in sublimibus, prosequi pacis semitas intendimus, quidquid per Nuncios & Proceres partium coram nobis nouissime his diebus propositum, petitumue fuerit, & responsum. Et quidem venerabilis Frater noster Laurentius Episcopus, & dilecti filij Archidiaconus Roffensis, ac Robertus de Baro Proceres & Nuncij tui, à te plenariam potestatem habentes, vt in nostro Consistorio tua proponerent negotia, & peterent cum solennitate, qua conueniret, vocationem tuam solenniter ad coronam, ac vniuersa & singula circa hęc gererent fideliter, ac procurarent, quæ per veros Nuncios ac Proceres ad hoc specialiter deputatos legitime possent agi, peti, & etiam procurari coram nobis & eisdem fratribus proponere curauerunt: quasdam consuetudines circa electionem noui Regis Romanorum, in Imperatorem postea promouendi, apud Principes, vocem in huiusmodi electione habentes, qui sunt septem numero, pro iure seruari, & fuisse hactenus obseruatas, à tempore cuius memoria non existit: secundum quas infra annum, & diem, postquam vacat Imperium talis debet electio celebrari: quacumque parte ipsorum anni & diei, quam ad hoc idem Principes duxerint deputandam, & ad Archiepiscopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum alterum, altero nequeunte, vel forsitan non volente, pertinet ad electionem ipsam celebrandam diem præfigere, ac cæteros Electores Principes conuocare: Quibus omnibus vel saltem duobus ex ipsis die præfixa conuenientibus apud oppidum de Frankenford, intus vel extra ipsum oppidum in terra, quæ dicitur Frankforde, loco quidem ad hoc deputato specialiter ab antiquo, ad electionem ipsam procedi potest, & debet, secundum morem ipsius Imperij approbatum: & electione taliter celebrata, electus, si electioni consenserit, ante Aquisgrani per dies aliquos facta mora, infra annum & diem post celebratam electionem eandem, quando electus voluerit, per Coloniensẽ Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, inungitur, consecratur, & etiam coronatur. Quo facto via præcluditur cõtra electionem, vel electum iam Regem Romanorum effectum dicendi aliquid, vel etiam opponendi: sed idem electus prædicto modo inunctus, consecratus & coronatus pro Rege habetur: & ei tanquam Regi debet à subditis & vasallis Imperij obediri: suo more homagia & fidelitatis Iuramenta præstari: assignari ciuitates, oppida, castra, & specialiter castrũ de Treueris: ac alia iura Imperij infra annum & diem à tempore coronationis eiusdem: ita quod si qui de vasallis Imperij ea homagia non præstiterint consueta, & non reddiderint ciuitates, castra, & alia supradicta, illis quę ab Imperio tenet, eodem sunt & ipsi priuandi. Etsi votis Principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum conuenientium, diuisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, ad prædictum Comitem Palatinum, tanquam ad huius discordiæ Iudicem, est recursus: nisi forsan super electione, vel coronatione huiusmodi suborta discordia, per appellationem vel querelam prædictorum Principum ad examen Sedis Apostolicæ, quo casu, ipsius est in tali casu cognitio, defera-

feratur. Intelligitur autem is electus esse concorditer, in quem vota omnium electorum Principum, vel saltem duorum tantummodo in electione præsentium diriguntur. In discordia vero, is etiam reputatur electus, de quo in loco non solito, electio celebratur, & in termino, de communi consensu dictorum Principum, non statuto: quem si forsan prędicti Principes infra annum & diem, à die vacantis Imperij concorditer statuant, licet non exprimant, quod ipsum peremptorium esse velint terminum, terminus tamen ab eis pręfixus taliter peremptorius reputatur. Porro ijdem Proceres, his & alijs quibusdam pręlibatis consuetudinibus adiecerunt, quod vacante Rom. Imperio, die per omnes prædictos Principes, pro celebranda Regis Romani in Imperatorem postea promouendi electione, statuto, in Octauis Epiphaniæ Anno D. M.CC.LVI. apud memoratum oppidum de Frankenford quinque tantum de dictis Principibus, tum per se, tum per alios, videlicet bonæ memoriæ Moguntinus Archiepiscopus, qui legitimo impedimento detentus, ipsi Coloniensi Archiepiscopo ea vice, in hoc commiserat vices suas, & dilectus filius nobilis vir Comes Palatinus apud Frankenford: bonæ memoriæ vero Treuerensis Archiepiscopus & dilectus filius nobilis vir Dux Saxoniæ intra dictum oppidum conuenerunt. Cumque idem Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxonię præfatos Archiepiscopum Coloniensem & Comitem, nec ipsum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vellent, super hoc sæpius requisiti, dicti Archiepiscop. Coloniensis & Comes, attendentes, ex lapsu temporis periculum imminere, si forsan non fieret electio illa die, quæ ad hoc fuerat peremptorie constituta, præsertim cum de anno, & die, post vacationem Imperij quindecim solummodo dies superessent, infra quos nullo modo potuissent propter locorum distantias, & alias facti circumstantias pręfati Principes iterum conuenire, cum Prelatis, Ducibus, & alijs ibidem præsentibus deliberatione præhabita, de ipsorum communi consilio & assensu ad electionem procedere decreuerunt. Et tandem præfatus Coloniensis pro se, & dictis Moguntino, cuius vicem gerebat, & Comite præsente ac consentiente, Dei nomine inuocato, te in Regem Romanorum elegit, & mox electionem huiusmodi, Magnatum & aliorum astantium copiosæ multitudini publicauit: cui electioni, per charissimum in Christo filium nostrum Regem Boemiæ Illustrem post paucos dies consensu præstito, demum tu, ad tuorum electorum & aliorum Imperij optimatium, qui propter hoc ad te in Angliam accesserunt, instantiam, & requisitionem instantem eidem electioni, post diligentem super hoc tractatum habitum, consensisti, ac personaliter Alemanniæ regnum ingressus, & moram apud Aquas Grani quantum decuit faciens, nec inueniens resistentem, postmodum fuisti per sępe dictum Coloniens. Archiepiscopum, ad cuius id spectabat officium, consecratus, inunctus, coronatus, ac inthronizatus regio more, in sede Magni Caroli, nullo se inibi coronationi tuæ re, aut verbaliter opponente. Recepisti quoque homagia Magnatum regni eiusdem, ac fidelitatis etiam iuramenta. Obtinuisti ornamenta & insignia Imperialia, quibus Rex Roman. solet ornari, cum Romæ inungitur ac consecratur per manus summi Pontificis, & sacrum Imperij suscipit diadema: & sine quibus aliquis ad vnctionem, consecrationem & coronationem huiusmodi non solet, nec debet admitti. Reddita insuper tibi fuerunt quamplurima oppida, castra, villæ, & iura Imperij tanquam Regi, tuque ipsius Regni possessionem adeptus, ipsam tenes, & per sex annos, & amplius tenuisti. Ex his autem Proceres tui arguere videbantur, quod cum memorati Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxonię recusando dicta die procedere, reliqui vero non veniēdo ad terminum concorditer assignatum, se alienos ab electione reddiderunt, ea vice, tu ab omnibus Principibus, vel saltem ab ijs, in quos totaliter ius eligendi reciderat, censeri debes electus: pro certo ac indubitato ponentes ius in regno, & Imperio supradictis, tibi electo; prædictis consuetudinibus obseruatis, vbi, & à quibus id fieri debuit, & nulli alij acquisitum, ac regium nomen & Imperij diadema indubitate deberi. Supplicauerunt instanter & humiliter petierunt, tibi & huiusmodi nomen adscribi: maxime cum antedictus prædecessor noster id tibi, de fratrum suorum consilio, adscripsisset: te in eisdem Regno & Imperio, quibuslibet alijs præferendo: sicut per ipsius literas ostendere nitebantur teque per nos

inun-

inungendum, consecrandum & coronandum in Romanorum Imperatorem, Aduocatum ac defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema, de nostris suscipiendum manibus, sine dispendio vlterioris moræ, vocari, & Apostolicum tibi fauorem impendi, præsertim cum non tantum maior pars Principum prædictorum, imo omnes, excepto nobili viro Marchione Brandeburgensi, qui etiam paratus est tibi obedire, vt ijdem Nuncij proponebant, electioni de te factæ consentiant: & tibi, tam ipsi, quam alij Magnates Alemaniæ generaliter, tamquam suo Regi obediant, & intendant: petitionem suam, illa indubitata, sicut asserunt, in Imperio, & iure munita consuetudine fulcientes: qua dicta electione in Rom. Regem, secundum solitum morem Imperij, vbi, & à quibus debet, & postmodum per supra dictum Coloniensem Archiepiscopum inuncto, consecrato, & coronato, eo ipso nomen Regium adquiri: & si electæ personæ impedimenta non obuiant, vocandum sine dilatione aliqua per Summum Pontificem ad coronam: ad id non solum more Imperij approbatum, sed etiam quondam felicis recordationis Innocentij Papę III. Prędecessoris nostri Decretalem Epistolam allegantes, ac dicentes: per contradictionem memorati Regis, vel electionem, quæ de ipso facta dicitur, petitionem premissam non debere aliquatenus impediri: cum secundum prædictas consuetudines, & termino ad hoc statuto, de communi prædictorum Principum cōsensu transacto, & post electionem tuam legitimam non cassatam, à solo nominato Treuerensi, qui propter noua pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc excommunicatione ligatus, nulla omnino forma seruata, in camera eiusdem Treuerensis Archiepiscopi, contemptis alijs Principibus, clandestine acceptata; cum nullam ab eisdem Principibus super hoc potestatem haberet: quam, etiamsi ab aliquibus habuisset, sicut quædam pro parte altera exhibitæ literæ innuebant, formam tamen ipsius, quæ secundum tenorem literarum ipsarum, ad certam diem se tantummodo extendebant, non eligendo ipsa die minime obseruabit. Ex parte vero supradicti Regis Castellę, per venerabiles F.N. Garsiam Siluensem, & Fr. Dominicum Abulensem Episcopos, ac dilectum filium Magistrum Iohannem Capellanum nostrum Archidiaconum Compostellanum, ipsius Proceres, actores, & negotiorum gestores generales, & speciales omnes in solidum, ita quod occupantis non sit melior conditio, mandatum habentes ab ipso, ad petendum pro eo, & suo nomine à nobis, & prædictis fratribus nostris coronam Imperij: & assignari sibi diem ad recipiendam ipsam; & ad agēdum, respondendum, defendendum, & tractandum iura sua, & Imperij, & quicquid honori eius expedire viderent, siue in ordinario, siue in extraordinario iudicio ageretur, fuit è contra propositum: Quod prædictus dies Octauarum Epiphanię, non ad eligendum, sed ad tractandum super electione futuri Regis, & Imperatoris, & ad assignand. diem ad celebrand. electionem eandem, non per omnes, sed per quosdam ex ipsis Principibus, extitit assignatus: qua die prædicti Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, per se ac dilectum filium nobilem virum Marchionem Brandeburgensem, qui eidem Archiepiscopo Treuerensi vices suas commiserat, necnō & Proceres memorati Regis Boemiæ, ad prædictum oppidum, tanquam viri pacifici accesserunt. Supradicti vero Coloniensis Archiepiscopus, & Comes, cum ingenti armatorum multitudine, ad loca circumuicina ipsi oppido venientes, requisiti per Treuerensem Archiepiscopum, Ducem & Proceres prædictos, qui eorum impressionem verisimiliter formidabant, vt idem oppidum intrarent cum societate decenti, de assignando die ad electionem celebrandam, prout terminus exigebat, si ad hoc essent habiles, vna cum ipsis pacifice tractaruri, non solum id facere contempserunt, verum etiam proprij persecutores arbitrij præsumpserunt te in Regem Alemaniæ, non sine multo contemptu aliorum Principum, nominare. Memorati autem Treuerensis Archiepiscopus, Dux & Proceres nominationem huiusmodi attendentes penitus esse nullam: præsertim cum dicti Coloniensis Archiepiscopus pro eo, quod bonæ memoriæ P. S. Giorgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem tunc Legatum in Alemaniæ partibus manus iniecerat: ac venerabilem F. N. Podebiun. Episcopum præsumebat detinere captiuum: propter quod, per eundem etiam Legatum extitit excommunicatus. Comes vero pro-

D pter

pter clericorum & religiosorum cædes, & notorias captiones, & quia contra sententiam fel. record. Innocentij Papæ IV. prædecessoris nostri, quondam Friderico, olim Rom. Imperatori, & Conrado nato eius præstiterat publice consilium, auxilium & fauorem, erant ipsius electionis tempore, tam à Canone, quam ab homine varijs excommunicationibus innodati: & Moguntinus Archiepiscopus, cuius idem Colon. Archiepiscopus se vices gerere asserebat, in vinculis teneretur: propter quod carens arbitrij libertate, præstare non potuit prout iura exigunt, liberum in electione consensum: nec etiam de futuro præstitit: ad electionem celebrandam, certum terminum statuerant, subsequentem Dominicam Passionis. Quo quidem termino, vsque ad Dominicam proximam Palmarum, continuato de die in diem, & memoratis Moguntino, tunc à vinculis liberato, Colonienſ. Archiepiscopo, & Comite requisitis, & nolentibus interesse, dictus Treuerenſ. Archiepiscopus à prædictis Rege Boemiæ, Duce & Marchione sibi super hoc potestate commissa, dictum Regem Castellæ, suo & aliorum nomine publice ac solemniter in eodem oppido de Frankford, Dei nomine inuocato, in Rom. Regem & Imperatorem elegit: & electionem ipsam, omnibus astantibus publicauit: ideoque Rex Castellæ, ipsa electione sibi per complures Magnates Imperij ad ipsum propter hoc in Hispaniam accedentes, postmodum præsentata, electioni consensit eidem. Ex præmissis sane ijsdem Proceres & Nuncij prælibati Regis Castellæ, dicentes electionem ipsam, vbi, & à quibus debuit, celebratam legitime, allegabant electionem eandem impediri non potuisse per tuam: quæ, sicut dicunt, nulla extitit ipso iure. Nam cum prædictus dies Octauarum, non ad eligiendum, sed ad tractandum de statuenda die, & ipsam statuendum, ad electionem celebrandam noui Regis fuerit non per omnes prædictos Principes, sed per aliquos ex eis, vt præmittitur, assignatur: qui etiam si ad eligendum statutus fuisset, per maiorem partem eorundem Principum, minoris partis non obstante contradictione, mutari & prorogari potuit, & extitit prorogatus, constat electionem de te, maxime per pauciores de ipsis Principibus excommunicatos, ipsa die Octauarum factam nullam penitus extitisse. Excommunicationem etiam contra memoratum Archiepiscopum Treuerenſem obiectam, & consuetudinem, quæ de celebranda à tempore vacantis Imperij infra annum & diem, Regis Romanorum electione proponitur, ac alias omnes negantes allegabant, quod si veritate huiusmodi propositio fulciretur, electio tua, quæ XV. diebus, de ipso tempore tunc restantibus, celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset: cum non licuerit minori parti, maiori contempta, diem vltimam ipsius temporis præuenire. Per quæ apparere dicebant, quod electores eiusdem Regis Castellæ, nolendo illo die eligere, non fuerunt eligendi iure priuati: nec si etiam vt pars aduersa proponit, ad minorem partem renuissent exire. Nam cum infra prædictum oppidum de Frankford Romani Regis & Imperatoris, & non alibi debeat electio celebrari, minor pars nõ poterat ad locum alium coarctare maiorem. Adiecerunt præterea inunctionem, consecrationem ac possessionem prædictas, quam quidem possessionem omnino negabant, & cætera pro parte tua inducta cum ex electione tua, quæ, vt prædicitur, nulla extiterat, secuta fuerint, tanquam nulla, nullum potuisse tuo munimentum afferre: aut eiusdem Regis Castellæ iuri præiudicium generare. Subiungentes Colonienſem Archiepiscopum supradictam consecrationem, vel inunctionem, seu coronationem, quæ ius tribuant, dare non posse, nisi ei qui à maiori & saniori parte prædictorum Principum est electus. Alioquin illa sequeretur absurditas, quod solus Colonien. Archiepiscopus precibus inductus, vel corruptus pretio, cui vellet Imperium dare posset. Quod a. de litteris supradicti prædecessoris Alexandri præmittitur, in quibus tibi Regium nomen dicebatur adscriptum, teq; in supradictis Regno & Imperio fuisse prælatum, multipliciter confutabant, tum quia, quoties coram ipso prędecessore Alexandro, ac fratrib. suis de Imperij negotio agebatur, idem prædecessor Alexander publicè asserebat, quod super eodem negotio, nihil in prędicti Regis Castellæ præiudicium attentaret: quod etiam ipsi Regi Castellę per litteras, & quondam a. de Ferentino suum Capellanum & Nuncio intimauit: propter quod prędictę per te inductę litterę merito sunt suspectę: nec

nec credendæ, de eiusdem prædecessoris Alexandri conscientia emanasse: tum etiam, quia si de ipsius conscientia, & Fratrum suorum consilio processissent, cum iniuriosæ sint, debent meritò reuocari. Vnde ijdem Regis Castellæ Proceres, & Nuncij electionem de ipso factam, electione tua prędicta, & his quę per te fuerunt obiecta, non obstantibus, fore legitimam, vtpote celebratam à maiori parte ipsorũ Principum, quos ijdem Proceres & Nuncij variare non potuisse allegant, & variasse non credunt, imo fictione iuris ab omnibus: cum alij, vtpote inhabiles, electioni non potuerint, vel saltem noluerint in loco solito, & tempore debito interesse: ac ipsum potiorem in prædictis Regno & Imperio arguentes, cum instantia postularunt ipsi Regi Castellæ consuetum fauorem, & debitam in huiusmodi negotio iustitiam exhiberi: apertius exprimentes, hanc fore iustitiam debitam, hunc fauorem esse in talib. consuetum: videlicet, quod quando aliqui ad Imperium in discordia Principum eliguntur, Sedes Apostol. illum qui electus est à parte maiori, personę impedimentis cessantibus, denunciat electum Canonicè, ac Regem nominat, parte aliqua non citata: & ei fauorem præstat, illique terminum ad recipiendum coronam assignat: etiam si alter taliter electorum Regni possessionem præsumpserit occupare: sicut in electionib. Lotharij, Conradi, Othonis & Philippi, & aliorum plurium obseruatum fuisse dicebant: ad hoc prædictam Decretalem inducentes. Eisdem a præfati Regis Castellæ Nuncijs petitioni prædictæ, super debita iustitia exhibenda, porrectæ insistentibus, nos memoratum Rofensem Episcopum, & alios tuos Proceres, de prædictorum Fratrum consilio duximus requirendos: si vellent super præmissis subire tuo nomine, munus & Apostol. sedis examen: qui habito consilio responderunt: quod cum sis Princeps Catholicus, nobis & Ecclesiæ Rom. deuotus, ipsam caput Christianitatis & Fidei, Tuamq; Matrem & Dominam recognoscens, nec intendas illius declinare iudicium, in quibus illud subire debes, & de iure teneris. & in Imperio ius habeas, ac Regni Alemaniæ, & eius iurium possessionem obtineas, parati erant, in quantum prædicti mandati, quod à te habebant, se vires extendunt, pro te ac tuo nomine, tanquam pro Rege vero, ac legitimo, priore, iudicium nostrum & Ecclesię Romanę subire; si quis appareret, qui te super præmissis vellet impetere, aut aliquid quocunque modo proponere, propter quod tibi posset aliquod præiudicium generari: saluis semper in omnibus & per omnia iurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore ac libertate sacri Romani Imperij, eiusq; Principum, ad quos specialiter spectat Romani Regis electio, & quibus præiudicare non intendebant, vel alias quomodolibet derogare: petitionem tuo prędictam nomine nihilominus repetentes. Ecce fili charissime, dum ad petitionem iustitię ex vna parte proceditur, nec ab altera iudicio ceditur, sed ipsius prosecutioni constanter instatur, nos qui sperabamus, quod per tuam & ipsius Regis concordiam, & concordem supradicti ordinationem Imperij, desideratę quietis nobis serenitas arrideret, in iudiciorum inquietos anfractus ingerimur: & expeditę iustitię constantia in ipsorum nos fluctus impellit. Ecce pacem expectauimus, & non venit: requisiuimus bona, & turbatio strepitus iudicialis offertur. Profecto non id desiderabat Ecclesię Imperiali auxilio releuanda necessitas: nō id exigebant lacerę partes Imperij, occupantibus expositę manibus direptorum: non id requirebat Christianitatis, maximè his temporibus, miseranda conditio, quam & intrinseca plusquam ciuilia bella concutiunt, & inhumaniter efferarum immanitates gentium, ac pręcipuę Tartaricę feritatis affligunt: quibus potius debebatur, vt per tractatus pacificos, Cęsarei culminis acceleranda prouisio, in vnitate capitis, viribus redintegratis Imperij, contra tot discrimina prouideret. Nos itaque pacis conatus solicitè cogitantes, ac de illius sperantes omnipotentia & immensa virtute, sub quo curuantur qui portant orbem, qui ventis imperat, & ad eius nutum stat spiritus procellarum, pacis tractatibus prouidimus insistendum, & ideo hinc inde propositis à nobis & prędictis Fratribus nostris, in discussione exactę deliberationis inductis, de ipsorum consilio, tam ad Magnificentię tuę pręsentiam, quam ad dictum Regem Castellę Nuncios deliberauimus destinandos, qui vos ad pacem inuitent, ad quod dilectum filium Magistrum Guillelmum Capellanum nostrum Archidiaconum

num in Ecclesia Parisiensi, virum vtique prouidum, consilij maturitate conspicuum, & nobis ac eisdem fratrib. plurimum merito suæ probitatis acceptum, de cuius industria & fidelitate nos & ipsi fratres plene confidentes, ad tuam Magnificentiam specialiter destinamus. Et nihilominus, cum simus omnibus in iustitia debitores, nec debeamus eam personis denegare sublimibus, qui super ipsa etiam ab humilibus requisiti, nostri partes officij nō negamus, te & eundem Regem Castellę citandos decreuimus: & te, de prędictorum fratrum consilio, peremptoriè pręsentium tenore citamus: vt secundo die Maij proximè venturi Apostolico conspectui, per Proceres idoneos te pręsentes: qui tuę conscientię conscij legitimum & plenum à te mandatum habeant, ad pacis tractatum, si Dominus dederit, ineundum: & ad procedendum in ipso negotio, prout honori Ecclesię, ac pensata talis & tanti conditione negotij, sine offensa iustitię, videbimus expedire.

Similia etiam scripsit *Alphonso*. Vtraq; tamen pars sui iuris tenax, ne causam minimè dubiam ad cuiusquam arbitrium reuocando, ancipitem reddere videretur, sibiq; diffidere, iudicium subire recusabat: armis potiùs disceptare parati erant, tum proprijs tum principum Germaniæ: quorum studijs vtriq; subleuabantur. Imminebatq; ex ea re magnum Reipublicæ malum: nisi vtrumque Principem res domesticæ distinuissent. *Alphonsum* quidē Hispanię longinquitas retardauit: aliæque ex alijs enatæ, atque connexę domi difficultates: & erat alioqui natura cun-

XIII. ctator: arteque atque ingenio negotium confici non desperabat. *Richardum* autem a belli cogitatione impediebant res Angliæ valdè turbatæ: eo bello, quod cum Francis Supremo vtriusque gentis conatu gerebatur. Is in Angliam cum redijsset, profusis thesauris ad conciliandos sibi Germanorum animos, qui iam exhaustum despiciebant, arma induit, &

Richardus moritur. *Richardum*, cum fratre *Henrico* bellum gerente, sagitta percussus interijt. An. 1271. Eius obitu autumabat *Alphonsus* sine æmulo se potiturum imperio, quùm Germaniæ Principes, qui eum elegerant, cum res diutiùs moram pati non posset, nouis vsi consilijs in noui principis electionem conspirarunt. Propterea maturato itinere, *Alphonsus* Lugdunum venit, vbi coram Pontifice Romano sacra agente comitia, ita fatur. Lugduni petit.

XIV. Mariana lib. 13. c. 22. pag. 654.

Si aliquo meo studio & diligentia imperium obtinuissem, egregium mihi erat tot prætermissis Principibus in externum hominem voluntates Germaniæ conspirasse, nunc Dei hominumque consensu datum honorem retinere, quis iure reprehendat? cùm turpe potiùs sit, diuina dona tueri non posse, atque in amore non respondere ijs, à quibus fueris prouocatus. Quò grauiori doloris sensu conficiar necesse est, cùm paucorum fraudibus audiam, Germaniæ proceres (ò homines in fide parum constantes) circumuentos, in noui Principis electionem conspirasse nobis inauditis, nondum diiudicata caussa nostra: In qua, si quod dubium olim fuit, sublato æmulo, sublatum esse oportuit. Neque fraudi esse debuit, hactenus profectionem nostram esse dilatam: quod quidam cunctationem & segnitiem interpretantur. cùm verius tranquillitas studium fuerit, dum quorundam mentes à nobis aduersas sanare satagimus: & syncerus religionis amor, dum regni rationibus consulimus, barbarorum irruptionibus obnoxij. Nunc filio in patria relicto, geminæ iam prolis patre, imperium te, auspice atque adiutore Gregori Pontifex maxime, capessemus, inane quidem & sine prouentu nomen: sed publicum Hispaniæ decus respicere, nostramque ignominiam procurare cogimur. quod vtinam sine armis pręstare possimus. alioqui quodcunque periculum retinendi honoris studio subire est animus. Mihi neque maius quidquam neque carius, vestra Patres auctoritate in terris est. à primis annis ita mores conformaui, vt ab optimo quoque probaret, & famam benefactis extenderem. his actionibus nullo ambitu prioribus Pontificibus placui; ob easdem artes ad imperium sum euocatus, graue sit, neque ferenda ignominia, in hoc ætatis flexu, quę iuuenis peperi, per fraudem eripi: nostręque glorię sempiternam iniuri maculam. Te ò ter beate Pater, vosque quicunque adestis Patres, nostris conatibus fauere ęquum est, in caussa, qua maior iustiorue vlla ne excogitari quidem potest: orbique testatum facere, quid priuati affectus, quid integritas & Religio valeant. Si minus prouidere saltem atque pręstare cùm tempus est, ne respublica nouis enatis

diffi-

dissidijs insanabilem plagam accipiat.

XV. *suadetur imperio renūcia-re.* Ad hæc Pontifex paucis causas exponit, cur iure Christiano sicuisset nouum Augustum creare. *Richardi* obitu nullum nouum ius *Alfonso* accessisse: ipsumque in Pontificis potestate futurum promisisse (per Legatum enim ita promiserat, cum Pontifex ecclesiæ decimas in bellum Mauricum indulsisset, modò ab inani imperij ambitione auerteret animum) Publicè id salutare fuisse, priuatum non ignominiosum: cum non magis Hispanos Germanis imperare æquum esset, quàm Hispaniæ à Germanis iura dari. Germaniæ itinera auia atque impedita esse, vrbes munitas, gentem ferocem: priora studia resedisse; aduersus Germanorum consensum, vllas vires haud posse comparari. Multum infamiæ victo fore, victori exiguos fructus, præstare sua tueri, quàm aliena petere. Daret deo, daret religioni, si quid præposterè actum vibebatur. His verbis adijcit complexum & osculum, comis natura & a multo vsu edoctus talibus blanditijs commotas hominum voluntates sedare. Eo conatu

XVI. *Alphonsi postulata.* cessatum. Secundum repulsam tamen, aliæ spes tentatæ sunt. Sueuiæ principatum *Conradino* interfecto, sibi deberi *Alfonsus* postulabat, genus maternum ad Sueuiæ Principes referenti, iniuria à *Rodulfo* occupatum esse, ad ereptum imperium nouam eam iniuriam accessisse. Vasconum regnum repetitis antiquis iuribus ad se reuocabat. Inique facere Gallos, qui in eius procuratione inuasissent. Denique *Henricum* fratrem, auctore Pontifice petebat, a *Carolo* Rege Siciliæ dimitti. Nam is Pontificis voluntatem excusabat, ne captiuo libertatem redderet. His æquissimis, vt ipsi videbatur, postulatis cum Pontifex & Cardinales surdas aures præberent, iratus *Alfonsus* ex Gallia discessit. Regressus in Hispaniam, imperij nomine & insignibus non antea abstinuit, quàm dirorum denuntiatione Archiepiscopus Hispalensis Pontificis iussu, vt desisteret, perfecit. XVII. *non auditur.* Spe consequendi deiectus Imperium, à filio *Sanctio* domi regno est exutus paterno, & quamuis regios recuperarit honores, non sine pœnitentia. Didicit, quàm graue sit, quærere aliena. XVIII. *A filio exuitur regno.*

Porrò *Richardi* & *Alphonsi* qui solo nomine occuparunt imperium, nonnullæ leguntur Constitutiones, quæ ad monumentum antiquitatis inserere placuit.

Alphonsi Imper. Aug. Rescriptum de Officio boni Regis.
An. 1253.

XIX. *ALphonsus Dei Gratia Electus Romanorum Rex & Rex Castellæ, Legionis, Galleciæ, Toleti, Murciæ, Cordubæ & Ichenni, Henrico Illustri Regi Anglorum S. Cum audissemus de moribus tuis, condoluimus inspiritu benignitatis & discretionis. Ideo hortamur te amicè, vt exemplo bonorum Regum ac Principum, quorum titulus ab antiquo talis est*: Erit agnus domesticis & suis commilitonibus, & leo exteris & rebellibus; *talia sequaris, nec sis amplius tuorum oppressor, & alienorum receptor & alimentator. Vale.*

Richardi Imperat. August. Constitutio.
An. 1257.

Ne bona ad Ecclesiam deuoluta, a tributo eximantur, &c.

XX. *RIchardus Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus consulibus & Ciuibus de N. &c.*

Specialiter duximus indulgendum, ne aliquis ciuium filiam vel neptem siue consanguineam in vxorem alieni tradere per nos absq; suo pleno consensu aliquatenus compellatur.

Insuper quod nullus ciuium per nos vel per aliquem alium nostro nomine pro aliqua pecunia extorquenda singulariter ab ipso aliquatenus capiatur.

Ad hæc statuimus & mandamus, vt omnia bona & prædia, quæ hactenus cum ciuibus precariam Imperio persoluebant, quomodocunque ad loca religiosorum vel personas alias Ecclesiasticas vel mundanas prædicta bona deuolui & transferri contingat, bona ipsa ad soluendam precariam, sicut antè, nihilominus teneantur.*

Datum Moguntiæ VIII. die Septembris, Indict. XV. Anno Domini MCCLVII. Regni verò nostri anno primo.

Ri-

Richardi Imperat. August. Constitutio.

De Viarum custodia, & Securitate.

Breue Domini Regis, eo tamẽ absente, emanauit ad omnes Duces, Comites & Præfectos, in quorũ Ducatibus, Comitatibus & Balliuis solebant viatoribus imminere pericula, vt omnes passus periculosos, tam in vijs, cõcauis, & boscis, & haijs, quam alijs pacis Regiæ perturbationibus faciant videri, & in continenti aut per Dominos locorũ aut per semetipsos emendari.

Tigurum Imperio adscribitur.

Richardus Dei gratia Romanorum Rex semper-Augustus, vniuersis Romani Imperij fidelibus gratiam suam & omne bonum. Sane fideli relatione peruenit ad nostræ Serenitatis auditum, quòd Conradinus, olim Conradi Regis filius, qui se Ducem Sueuiæ nominat, ea non contentus iniuria, quòd in vanum sibi gloriam alienam vsurpat, insuper & ciues nostros Turicenses, in nostro & Imperij gremio speciali collocatos, nec ad Ducatum eundem, sed ad Imperium, prout stabiliuit antiquitas, & modernitas adprobauit, immediatè spectantes, tanquam subessent memorato Ducatui, proscriptionis de facto (cùm nullo penitus iure posset) sententiam promulgauit. Nos cautelam eisdem ciuibus (ne aliquid in simplicium oculis eos infamiæ nubilum decoloret) prædictam proscriptionis sententiam, vtpote omni robore vacuam, authoritate Regia, ex plenitudine potestatis nostræ denunciamus omninò carere viribus, & decernimus esse nullam, Datæ Hagenoa, XX. die Nouembris, Indict. V. anno Domini MCCLXII. Regni nostri VI.

Rescriptum ad diffidatores Regis Angliæ.

Richardus Dei gratia Romanorum Rex, Semper Augustus, & Eduardus Illustris Regis Angliæ primogenitus, caterique Barones omnes & Nobiles, prædicto Regi Angliæ constanter sinceræ fidei & deuotionis operibus adhærentes, Simoni de Monteforti, Gilberto de Clara, cæterisque vniuersis & singulis perfidiæ suæ complicibus.

Ex literis vestris, quas Illustri Regi Angliæ, fratri, patri, & Domino nostro charissimo transmisistis, accepimus nos diffidatos à vobis, quamuis huiusmodi verbalis diffidatio satisfuit ante nobis realiter vestra hostili in rerum nostrarum incendijs, & bonorum nostrorum depopulationibus, persequutione iam probata. Nos igitur vos scire volumus, vos à nobis vniuersis & singulis, tanquam hostes publicos, ab hostibus diffidatos. Qui deinceps personarum vestrarum & rerum dispendijs, vbicunque nobis ad hoc facultas affuerit, totis viribus insistemus.

De hoc autem, quod falsò nobis imponitis, quòd nec fidele nec bonum consilium Regi Domino vestro damus, nequaquam verum dicitis. Et si vos, domine Simon de Monteforti, vel Gilberte de Clara, velitis hoc idem in Curia Domini Regis asserere, parati sumus securum veniendi ad dictam Curiam procurare conductum, & nostræ super hoc innocentiæ veritatem, & vestrum, sicut perfidorum proditorum, mendacium declarare per alium nobilitate & genere vobis parem. Omnes autem nos contenti sumus prædictorum Dominorum sigillis, videlicet Romanorum Regis, & Domini Eduardi. Datum apud Leuues, 12. die Maij, anno Domini 1264.

XXI.



Monetam *Alphonsi* vide supra *pag.* 4.

RVDOLPHVS I. VICTORIOSVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XXIX.
LIBER VIGESIMVS NONVS.

1. *Rudolphus adoratur ab Ottocaro Rege Bohemiæ. 6. naſcitur eo tempore, quo Pater Turcarum. 7. eius coronatio portento illuſtratur. 9. religio erga S.S. Euchariſtiam. 10. vaticinia de eius imperio. 11. eo tempore Imperator dicitur, cum Baſileam expugnaret. 12. Clementis nomen ei datur. 13. in coronatione crucem pro ſceptro arripit. 14. in eius coronatione crux in Cælo apparet. 15. ſeuerus iuſtitiæ miniſter. 16. aulam pauperibus aperit. victoria de Bauaris. Cymbris. 17. Ottocarum Regem Bohemiæ vincit, ſuperbum arte deludit. 18. hora fatalis Rudolpho. 19. ſitiens, aquam renuit, cur? 20. priuſquam in aciem deſcenderet, recitat SALVE REGINA. 21. non permittitur Imperium filio cedere. 22. puellam ducit vxorem ſexagenarius. 23. iraſcitur Epiſcopo ſponſam eius ſuauianti. 24. alienas vxores oſculatur. 25. morientis præludium.*
2. *Principes adorandi.*
10. *S.S. Euchariſtia eſt Regum mammilla.*
21. *Fridericus fictus.*


Ttocarus Bohemiæ Rex, quem flexis genibus conſpicis adorare *Rudolphum I.* Cæſarem, ſymbolum eſt venerationis, *adorationis*, quam Principibus Dei Vicarijs, & Potentatibus debemus. Funes diſciſſi tentorij lepida ſunt *Ottocari* anthiteſis, qui cum *Rudolphum* dedignaretur in propatulo venerari, quòd aulæ ſuæ habuiſſet miniſtrum (victus hoc rogauerat, nè vidente milite, cogeretur victori obſequia præſtare) eius ſuperbiam vt Cæſar deprimeret, iuſſit conopęum pandi, & reuelari, vt ab omnibus geniculus *Ottocarus* conſpici poſſet. Reliqua in hieroglyphico adorationem Principibus debitam annuunt.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

Victor adoratur: deuicto & ab Hoſte, Rudolphus,
Spectãs ad Superos, Munus Honoris auet.
Conuenere ſimul, quòd ſub Tentoria tantùm,
Secretò fieret flexio nempè genu.
Flectitur; & ſubitò ſuccïſis funibus, vltrò
Vela cadunt; Pronus cernitur antè Ducem.
Plaudit, et acclamat; Voce alta Exercitus omnis
Excitat, vt videant hæc data Vota, Deos.
Sic Ottocari depreſſa Superbia ſurgit,
Regis, vbi hæc Humilis procidit antè Pedes.
Cæſar adoratur? Quid mirum? nam Maro dixit:
Diuiſum Imperium, cum Ioue, Cæſar habet.
Imperio gemino, geminatur Cultus: adorant,
Reges Auguſtum, Numina parua Iouem.

M.Ant.Moles S.Th.D.Neap.

ALIVD.

Caſtrenſi incluſus tecto Ottocarus ouantis
Rodulphi victus venerat ante pedes.
Captiui vt faſtum Regis videre phalanges,
Sciderunt gladijs tecta ligata ducis.
Tunc oculis patuit cunctis, & ſiſtere viſus,
Deflexis genibus, Cæſaris ante thronum.
I nunc, & fronte elata dic Turba moleſta,
Quòd, nulli ſtabunt colla ſuperba, iugo.

Io: Bapt. Pong.

RVDOL-


Arnoldus van westerhout Inventor.
Petrus van sickeleers sculpsit.

RVDOLPHVS I. VICTORIOSVS OCCIDENTIS IMPERATOR XXIX.

Sal. An.

Vltimum Imperatorum Protoplasten
Do tibi lector *Rudolphum* primum.
Tot Regum filius, tot Cæsarum pater
A se venit, quia inter regales parentum myriades,
Progeniem amisit.
Factus aduersùs Fata,
Simul cum morte nascitur Christianorum
Deus iustus quia vult,
Misericors quia debet,
Aduersùs surgentes *Ottomanos* creauit *Austriados*,
Rudolphus, & *Ertuculus*.
Eodem tempore nati, denati
Vt Inferos is, Superos ille,
In Christum, prò Christo centuriarent.
Noluit Deus alij credere vexillum suum;
(Cum Imperator diceretur *Rudolphus*
Se crucigerum Deus exhibuit,
Aurea cruce decussatis vtrinque radijs delineata
Super *Rudolphi* caput irradiauit,
Vt hæc cynosura esset, & horoscopus
Austro Germani nascentis Imperij.
Aulicos omnes spectaculum hoc spectatores habuit,
Donec post horæ fluxum in sanguinis difflueret Stillicidium:
Et cruenta illa chlamyde, ad vindictam excitaret.
Viceñali interregno in Tetrarchiam discerpta Monarchia
Regium diripiebat nomen quadriceps monstrum,
Conradus, *Richardus*, *VVilhelmus*, & *Alphonsus*.
Inter tot lumina nullus illuxerat:
Post *Friderici* manes immanes tenebræ;
Et nemo prodesset, cum non præesset.
Fouerat forsan discordiam Olympus,
Vt in Monarcham toparcham erigeret,
Et Habspurgensem vrbem in totius Accropolim Orbis
Habitis in Cœlo, & in terra comitijs,
Habspurgicus comes, Cæsar dicitur.
Maiora Cœlum dedisset, si in terra habuisset.
Cœnoso solus iacebat in solo Deifer homo
Sacro viatorem refecturus viatico:
Desiluit equo *Rudolphus*, videns
Tam miserè Deum peregrinari,
Maiorique haud potens, pompa excipiens equestri,
Extemplò pedes duxit, reduxit in templum.
Hisce Sacris Rex initiatur,
Dum is gregem, Regem Iupiter venaretur in Syluis.
Et teste Vestali,

Vltimum dicit, quia ab eo omnes futuri.

VI. *Eodem tempore surgit domus Austriaca, & Ottomana.*

VII. *Rudolphi coronatio portento illustratur.*

VIII. *Imperij discordiæ.*

1273.

IX. *Sacerdoti occurrens, qui pedes Sacrum Infirmo deferebat Viaticum, quo desiliens, in equum leuauit, pedes comitando.*

Comes Comiti Deus promittitur.
Post nouem, Rudolphe, Deum expecta beneficium.
Sic nono abhinc anno, mense, die

X. *Monialis vaticinium de Rudolpho.*

Pro equo, æquo pietatis fœnore
Omnes sibi inflectit homines,
Qui se flexerat Numini.
Quis negabit regium esse, Deum venerari?
Vbi reflexo venerationis honore,
In Cæsares assurgunt proceres?
Regum Mammilla Austriadum lactatur infantia
Quæ Regum omnium mater, ac nutrix futura erat.

Regum mamilla, Eucharistia est.

Hoc ferculo Aquila enutrita Romana,
De sinu Iouis poterat prouocare Fortunam,
Quam de Cœlo labantem *Rudolphi* sinus exciperet.
Huic coacti Vares stare decreto,
De *Rudolpho* proauus prædixit *Albertus*,

XI. *Alberti Vaticinium de Rudolpho.*

Calendis Maij aureum mihi caput nascetur.
Cæsarem cum Dij priùs fecissent, quàm homines
Ab errantibus Astris non aberrauit Astrologus,
Cum *Friderici* successorem dixit *Rudolphum*.

XII. *Interrogatus à Friderico Astrologus, cur tantum honorem deferret Rudolpho? ait, successorem tuum video.*

Absens eligitur
Quando Orbem expugnabat in vrbe.
Basilæa capta,
Clementis nomen tulit in omen,
Quo thronum scanderet.
Deficiente Sceptro,
Arrepta cruce, *hoc* (inquit) *Sceptro regnabit Habspurgus*
Vestra hæc tessera Austriaci

XIII.

Qua ab Arctico in Antarticum
Arctoum anguem Aquila vincet.
Vincet.
Deus resonauit humanus non verbo, sed *Signo* & Ligno
Aureæ & aereæ signatæ crucis in astris,

XIV. *In die Coronationis, apparet Crux in Cœlo.*

Quam inde stillauit in sanguinem,
Vt *Rudolphi* purpuram tingeret cruore suo.
Exordia nascentis imperij
Non tam à bona, quàm à mala cruce deducens,

XV. *Vna die XXIX. latrones suspendi mandat.*

Hanc tulit, vt latrones tolleret,
Voce è Cœlo delapsa
Iustitia antè eum ambulabit.
Cuius fuerit? ne quæras:
Iustitia fuit, cum *de Cœlo prospexit*,
Oculos eius in pauperem respicere,
Et Imperium precibus exordiri.

XVI. *Imperat aulicis, ne pauperibus aditum probibeant.*

Sueuos, Cymbros, Bauaros,
Cum vincire clementia haud posset, manu vicit.
Ac prædando, prœliandoque subegit.
Cum *Ottocaro* Rege Bohemiæ lepidam habes anthithesim,
Ille, cui Imperium cederet, nisi incidisset in *Rudolphum*.

XVII.

Feudum accipere, & fidem reddere renuens,
Solo belli apparatu tot palmarum victor deuictus
Intra conopæum occulere quærebat obsequium,

Sed

Sed laxatis ex arte funibus, Scena patuit
Spectante aula humatam Superbiam, non humiliatam.
Exprobrauit ignauiam vxor,
Se militi virum pollicita, cui fœmina fuerat maritus.
Reparatis viribus *Ottocarus*,
Post Martem, Mortem obuiam habuit:
Cum his quieuit extinctus, gladio gregario. XVIII. *Hora semper fatalis Rudolpho.*
Die Veneris, hora tertia, acie *Rudolphus* pugnauit secunda,
Postquàm equo deturbatum, in equum leuauit
Homo, vel Deus? Christum dico,
Cui æquum erat, vt equum restitueret cum victoria.
Hanc sitienti, cum hydriam miles porrigeret,
Suis dixit *sitire Rudolphus, non sibi.* XIX.
Athleta nobilis duram euocatus ad luctam
SALVE REGINA ingeminat, XX. *Antequam in aciem descendat, iubet recitari, SALVE REGINA.*
Et saluus de Rege geminat triumphum.
Hoc bello adepta, adempta Austria
Immortali generi nomen fecit.
Imperium dedisset in vita filio, nisi Electores inuiti;
Postquam cum Manibus etiam manus conseruit.
1283. Verè Fabula est aula. XXI. *Nebulo, qui se Fridericum in Sicilia mortuum asserebat.*
Vbi Scenicus Imperator totam excitauit Germaniam,
In *Rudolphum* Pseudo *Fridericus*.
In hoc fœlix
Quòd sub larua Imperatoris cineri datur
Qui tantum Imperio molitus erat incendium.
Hinc Patriæ Pater, Augustus Regum, Alexander Cæsarum XXII. *Nouam vxorem ducit Rudolphus.*
Anna mortua, *Agnetem* quæsiuit.
Puellam sexagenarius, sed mendax
Quia cum Imperio repubescere crederet Imperatorem:
Poetamque arguit, tria verba notantem;
Audi, cerne, tace, Iuuenis cui contigit Vxor:
Rex licèt Ipse Senex, Sponsa pudica fuit.
Infidelis
Quòd mulierem deosculans clericus, benedicat,
Sponsam suam Episcopo suauianti, XXIII. *Irascitur Episcopo deosculanti suã vxorem.*
Aliud iussit quęrere pacificale.
Ne indomitam dicerent duxisse iuuencam senem insanum,
Sibique amanti trophe, non amenti traphum effodisse
Et suam, & alienas contrectabat vxores XXIV. *Alienas filias & vxores contrectabat in solatium senectutis.*
Quia in senectutis virus hoc viris amuletum esset,
Dulces Virginum animæ, & suaueolentæ.
Spiram expiraturus pergens,
Ad conueniendos Reges lusit, nec illusit XXV.
Quòd ibi in Mausoleo starent Cęsares.
Mortem veluti ouans Mars trahebat carpento,
Qui *Rudolphum* maiorem hostibus, quatuordecim victorijs fecerat;
1291. Quę in tenebris vmbram diluerent,
Et in angusto Sarcophago Augustum dicerent.

CATENA HISTORICA PRO RVDOLPHO OCCIDENTIS IMPER. XXIX.

CAPVT SECVNDVM.

1. *Rudolphi. I. Imperat. natalia, cum leuat de sacro fonte Fridericus Imperat. 4. surgit Domus Austriaca & Ottomana. 5. eius coronatio illustrata prodigio 6. eo adueniente aula Imperialis surgit. 6. prædicitur Imperator. 7. veneratur S.S. Eucharistiam. 8. vxores. 11. filij. 13. incendit suburbium Basileense: excomunicatur: bella. 14. Palatio præfectus ab Ottocaro Rege Bohemiæ. Dux equitum in Hungaros. 15. ab Argentinensibus præfectus militiæ. COLVMBARIAM CAPIT. 16. ab Tigurinis præfectus militiæ. 16. eius discordia cum Episcopo Basileensi. 18. reconciliatur cum Abbate Sangalensi. 19. naues solutiles inuenit. 20. vestes consuit. 24. Archiep. Moguntinum hospitio recipit. 25. Imperator eligitur. 28. sugillatur ab Epis. Basileensi. 29. accepto nuncio dat pacem Basileensibus. 30. gratus erga nuncium. Basileæ donatur statua. 30. deficiente sceptro, crucem accipit affinitatibus firmat Imperium. 31. pauperibus ostium aperit. 32. latrocinia tollit. 33. priuilegium Imperij de primis precibus renouat. 34. vocat comicia Norimbergam pro restitutione regalium. 35. Frider. Zollerensem BVRGGRAVIVM facit. 38. legatos Ottocari Bohemi protegit, ne violentur. 39. vsurpata ab Ottocaro repetit. 40. spernitur ab Ottocaro. 41. Eberhardum RIXOSVM vincit. 44. Viennam obsidet. 45. fœdus cum Ladislao Rege Hungarorum. dat pacem Ottocaro. 46. superbiam eius deludit. 48. cum Hungaris fœdus renouat. arma congregat in Ottocarum. 50. dies Veneris faustus Cæsari. 51. renuit Ottocarum proditoriè vincere. 52. siti laborans, potum renuit. abstinentia. 53. ædem vouit S. Cruci. 54. in exercitu coram se Christi vult ferri imaginem. SALVE REGINA prius mandat inclamari. 55. in bello percussus. Equo deturbatur, percussorem prohibet occidi. 56. genuflexo Deum implorat. 57. ei displicet mors Ottocari. 60. clemens. 65. Henricum Bauarum mulctat. 63. falsum Fridericum tollit.*
2. *Albertus Rudolphi Imper. pater sacram suscipit expeditionem. ibi moritur.*
3. *Austriaci vnde dicti, & venerint. 11.*
8. *Anna Hohembergica vxor Rudolphi. I. Imper. 61. moritur.*
10. *Et 64. Agnes Burgunda. vxor Rudolphi. I. Imp. 65. Episcopum marito accusat, quia eam fuerit deosculatus.*
15. *Rudolphus Rudolphi Imper filius.*
11. *Rudolphus IVNIOR filius Rudolphi Imp. 45. 62. Dux Sueuiæ. effigies.*
11. *Agnes Bohemię vxor Rudolphi Ducis Sueuiæ.*
11. *Io: Dux Sueuiæ Albertum occidit Imper.*
11. *Albertus filius Rudolphi Imp. Austria donatur. 62. ducit Elisabeth Carinthiam.*
11. *Hermannus filius Rudolphi Imp. sponsalia celebrat cum filia Regis Anglorum submergitur. effigies.*
12. *Methildis filia Rudolphi Imp. nubit Ludouico SEVERO.*
12. *Heduigis filia Rudol. Imper. nubit Ottoni Brandenburgico.*
12. *Catharina Rudol. Imper. filia nubit Ottoni Ducis Bauariæ. 42. 64. moritur. effigies.*
12. *Iutha filia Rudol. Imp. nubit VVenceslao Bohemiæ Regi. 45. 75. effigies.*
12. *Clementia filia Rudol. Imp. nubit Carolo Regi Pannoniæ. effigies.*
14. *Ottocarus Rex Bohemiæ Hungaros vincit. 26. petit Imperium, non obtinet; vel respuit. 27. quia Selauus repellitur à Papa Gregorio X. 35. citatur ad comitia. 36. legatos mittit. 37. damnat electionem Rudolphi Imp. 38. eius legati penè violati. 47. Rudolpho humiliatur. 48. bellum renouat instigante vxore. 56. an proditus occubuerit.*
15. *Vdalricus Regensbergicus superbè respuit dignitatem à Tigurinis oblatam, priuatur di-*

tione

RVDOLPHI NATALIA.

I.

X *Alberto*, cui *Sapiētis* cognomen dedere, & *Heduuige* sorore *Hartmāni* vltimi Comitis Kyburgēsis, *Rudolphus* nascitur, anno Virginei Partus decimo octauo supra mille ducentos, pridie Cal. Maij, eodem die, quo *Bertholdus* Zaringensium vltimus Ducum è viuis excessit, vt in *Rudolpho* hæreditatem & gloriam relinqueret ampliandam. Mater, quæ semper est certa, *Rudolphi* nutat in incerto; nam alij non *Heduuigem*, sed *Itham Comitissam in Brugentz* volunt. Sponsor baptismi fuit *Fridericus II.* Imperator, qui in ea loca, *Tigurum*, rursùs sub Imperij tutela suscepturus venerat. *Albertus* eius parens vnà cum *Friderico AEnobarbo* sacram suscepit expeditionem in Terram Sanctam, in quà post multas res fortiter gestas ad vrbem *Accaronem* in Palæstinà sitam, diem clausit extremum, & Sanctissimo in solo, Cælestis Regis Sanguine purpurato (quod viuens veneratus fuerat) vt æternum veneraretur, tumulari meruit. *Rudolphi* proauos non audeo perquirere, inter historicorum dissonantiam, nec discordiam tentare concordem. Ex Germanis Germania resonat, à Romanis *Perleonibus* Italia, à *Pharamundo* Gallia: quò me vertam? nescio. Ex sequentibus lector arripiat; aliena, sua faciat, & si furari vnius poetæ cineres, politioribus nationibus non fuit inglorium; rapinamplaudo, dum gloriosi Cæsaris vsurpamus triumphos.

Bertol. dus.

II. *Alberti mors in terra Sācta.*

III. *Austriaci vnde venerint?*

Lequilus à *Pharamundo* Francorum Rege deducit Habsburgicos Cęsares. Ex Germanis *Albizius*, vt ex sequenti Genealogia videre est.

Genealogia

Genealogia Habsburgica ex *Germanis* penès Antonium Albizium.

Betzo seu Betzelinus Comes circa An. 990.

Rapoto siue *Rathbodus* Comes Altenburgensis ędificator Habspurgi 1027. vxor *Itha* filia Friderici Com.
Rodulphus Comes Fundator Othmarseim. vxor Adelheis.

Otho Comes Habsburgicus occiditur. 1027.
VVernherus I. Comes Habsburgicus & Ergouiæ, moritur. 1066. vxor Hildegarde Comitissa Pfirdt
Albertus Comes Habsburgicus. obijt 1052.

VVernherus Episcopus Argentin. 1065. moritur 1079.
Otho Comes Habsburgicus occisus An. 1107. Itha Comitissa de Homberg
Albertus aduocatus Sechingensis

VVernherus II. Comes Habsburgicus mor. 1163. Gertrudis Baronissa Starckenbergica
Rodulphus Comes Habsburgicus

Richenza vx. Io: Com. Pfirdt
Albertus Diues Comes Habspurg. mor. 1199. Itha filia Rudolphi Comitis a Pfullendorf.
Gertrudis vxor Theodorici Com. a Munpelgardi

Rudolphus senior Comes Habsburg. mor. 1232. Agnes filia Godofredi Comitis de Stauffen

Albertus Monoculus Prudens Com. Habsburg. mor. 1238.
Rudolphus Iunior taciturnus. Com Habsburg. mor. 1247. Gertrudes filia Lutholdi Bar. de Regensberg.

Albertus & Carolus Canonici Basileenses
Rudolphus I. Imperator. a quo reliqui Cæsares Austriaci.

Hermannus — Otho — Rudolphus Ep. Constantiæ — Eberhardus Com. Habsburg. & Kiburg. Anna filia Harmanni Com. a Kiburg. — Godofridus Com. Habsburg. Dominus in Lauftenburg. & Rheinfeld. mor. 1272. Elisabeth Baronissa de Ochsen Steun.

GENESIS RVDOLPHI I. IMPERATORIS.

Ex Anicijs Perleonibus Romanis.

Anicius Petrus Leo filius Flauij Anicij Leonis Celphij Olybrij

Magnus Flauius Anicius Petrus Leo Gordianus

Flauius Anicius Frangipanis Petrus Leo

Stephanus Anicius Frangipanis Petrus Leo

Maximus Petrus Leo Frangipanis Anicius Tertullus Gordianus.

Leo Petrus Leo Anicius frater Maximæ Aniciæ L. Vxoris;

Statij Diodori Frangipanis.

Maximus Petrus Leo

Stephanus Petrus Leo

Leo Petrus Leo

Petrus Leonis Petrus Leo

Leo Maximus Petrus Leo

Albertus Diues & Rudolphi filij Leonis Maximi Petri de Leone.

Rudolphus taciturnus Habsburgius, Comes

Albertus Sapiens Habsburgius Comes

Rudolphus I. Imperator.

Vnde-

IV. Eodem tempore auctores Austriacae & Ottomanicae domus.

Vndecunque deducas originem, Reges habes. Nascitur Rudolphus a Cælo legatus in subsidium Ecclesiæ, quæ tot ærumnas passura erat sub Turcarum Tyrannide, cuius auctor *Ertuculus* pater *Ottomani* primi Turcarum Sultani, & Ottomanicæ familiæ conditoris eodem ferè anno nascuntur, eodemque anno moriuntur *Ertuculus* ac *Rudolphus*, *Ottomanicæ* gentis ille, iste *Austriacæ* auctor & conditor. Generis humani Redemptor *Iesus*, qui non vult mortem peccatoris (sed vt magis conuertatur, & viuat) eodem tempore pius præparat medicum, quo iustus mittit carnificem.

V. coronatio Rudolphi illustratur portento.

Suæ vt declararet *Rudolphum* defensorem Ecclesiæ, in die coronationis lampadem accendit in Cœlo Christus, vnius scilicet horę spatio nubem candidam in modū Crucis formatam, quæ postea in ruborem est mutata sanguineum. Illud cum Principes retulissent, dixit: *Si Dominus vitam, & prosperitatem mihi concesserit, transmarinas partes adibo, & pro peccatis meis maximis, Domino Iesu Christo sanguinem meum consecrabo.* Annal. Colmar.

VI. Vaticinium imperij.

Vixè pueris egressus, aulam Imperatoris adijt. Cumque per ætatem arma ferre potuit, eam de se famam dedit, vt quotiescunque Cæsarem adiret, reliqui ordinis militaris proceres illi quamuis iuniori assurgerent. Mathematicus quidam, qui ex syderum positu, futurorum scientiam profitebatur, eum prę cęteris in oculis habere cœpit: causamque Imperatori interroganti, *Imperatorem prævideo futurum* respondit. Hoc indignè ferente Cęsare; addidit ille; *Nolite indignari, quia nullus liberorum vestrorum erit superstes.* Sic, Cùm ad anum fatidicam in Sacra Heluetiæ solitudinis cella abditam religionis causâ proficisceretur An. Do. 1264. vnà cum Regulo Kyburgensi propinquo suo atque in via Sacerdotem, qui morituro Sacrum ferebat viaticum, pedibus iter ingredientem inuenisset, equo descendit, sacerdotemque impositum vnà cum propinquo suo (qui exemplo commotus, ędituo quoque ardentem cereum, & crotalum prę-

VII. Veneratur S.S. Euchar.

ferenti equum suum concesserat) vsque ad ægrotum tanquàm a pedibus, frenisque minister deduxit, indeque ad Ecclesiam, cui præsidebat Sacerdos, reduxit. Ab hoc fausto omine dimissus, ad sacram cellam contendit, vbi adorato Deo, mox religiosam anum salutat. Quæ veluti plena numine ad *Rudolphum* conuersa. *Pro officio* (inquit) *& cultu Deo, eiusque Sacerdoti abste nuper tributo, gratiam tibi posterisque tuis Deus Omnipotens refert: & ne te vanâ spe induci à me suspiceris, nouenarium temporis numerum, quo tibi vaticinij mei efficax signum ostendetur, diligenter obseruato.* Rudolphus igitur nouennis, & diebus, & mensibus elapsis a die prædictionis est, & posteris dignitas offertur Imperialis.

Vxores.

VIII. Vxor Rudolphi.

Prima illi fuit *Anna Hohenbergica*, filia *Alberti Comitis Hohenbergici ad Necearum* quam duxit post pugnam, quam in Mediolanenses *Fridericum II.* Cæsarem comitatus, habuit ad *Casas Scanarias*. Celebratę sunt nuptię Anno 1240. dicunt alij 1245. Alsatiæ parte in dotem recepta. *Guillimannus Gertrudam* nominat, & filiam *Ludouici* Comitis Froburgi: *Rudolphi* Præpositi Zoffingensis, *Hermanni* Comitis de Hohenberg, & *Hartmanni* Froburgi Comitis sororem constituit. Cœteri auctores omnes *Annam* appellant, & alij filiam, alij sororem *Alberti* Comitis Hohenbergici fuisse volunt. Trithemius filiam *Burcardi* Comitis de Haigerloch indigetat. Alij aliter de ipsa fortissimi Cæsaris coniuge sentiunt. IX.

Quid mirum si nec in alijs conueniant? *Ego Piespordius in manibus genealogiam habui manuscriptam Illustrissimæ Familiæ Marchionum Badensium & Hochbergensium; in qua Marchiones Hochbergenses, & Comites in Hohenberg & Heigerloch, atque illa ipsa Anna deducuntur: ita illos ipsos Principes Sebastianus Munsterus lib. 3. Cosmographiæ. deriuat. Cumque omnino manifestum sit, Comitatum Hohenbergicum à dicta familia defluxisse, non ausim negare Annam Burcardi Marchionis Hohenbergensis filiam, Alberti primi Marchionis, & Alberti Iunioris Comitis primi ab Hohenberg Sororem potius, quàm Ludouici Froburgici, aut cuiuscumque alterius filiam fuisse. Eodem anno 1245. mense Iunio Frider. II. Imperator Friderico II. Austriæ Duci Stirpis Babenbergicæ, inter alia hoc priuilegium concessit, vt crucem regalis diadematis, suo pileo principali sufferre poßet, & in diplomate super his confecto, hic Rudolphus noster cum alijs inter testes citatur*, & nobilis Comes Piespordius.

mes (*quale nihil de alijs vlibi*) de *Habspurg appellatur*.

x. Secunda vxor fuit *Agnes Ottonis Burgundiæ Ducis* filia, quam anno ineunte 1284. Rudolphus duxit, cum ipse annorum, esset 66. Illa verò vix annum attingeret 14. Ex qua sobolem non suscepit.

Filij Rudolphi I. Imper.

Septem numerantur masculi. I. *Rudolphus* anno ætatis suæ duodecimo mortuus. xi.





II. *Hartmannus*. III. Fridericus, qui in florida ætate decessit. IV. *Rudolphus Iunior* Dux Sueuiæ, cui ex *Agnete* Ottocari Bohemiæ Regis filia natus *Iohannes* Dux Sueuiæ, qui patruum *Albertum* Imper. interfecit. V. *Albertus*, cui pater deuicto Bohemię Ottocaro, Austrię ducatum dedit. Et hoc modo Ducatus Austrię ad Comites Habsburgicos translatus est, vnde Archiduces Austrię descendunt. VI. Hermanus Comes prouincialis Alsatię, qui ante confectas cum filia Regis Angliç nuptias per Rhenum nauigaturus cum alijs tredecim ingenuis adolescentibus, euersa naui submersus An. 1282. Decimum octauum vitę annum vix ingressus erat; quali ętati minus apta videtur effigies, a VVolpangho Kiliano exculpta. Vnde habuerit? fugit. VII. *Carolus* qui in pueritia mortuus est. Geminant aliqui masculorum numerum, minuunt alij. Vtcumque sit, eos ne prętereas, qui matrimonio iuncti sobolem procrearunt.

Fœminæ.

I. *Methildis* nupta *Ludouico* Palatino Rheni. II. *Agnes* Alberto Electori Saxonię. III. *Heduigis* Ottoni Marchioni Branderburgico. IV. *Catherina* Ottoni duci Bauarię, qui aliquandiu regnum tenuit Vngarorum. vide effigiem supra pag. 4. xii.

V. *Iutha* VVencesłao Bohemo *Ottocari* filio, vide effigiem pag. 4.

VI. *Clementia* Carolo Neapolitano & Regi Pannonię. vide effigiem pag. 4.

VII. *Euphemia* vitam egit cęlibem in Monasterio Turnensi.

Acta Sagata. An. 1273.

xiii. *Rudolphi bella.* Memorant plurima Scriptores ante susceptum Imperium. Exordium ab incendio Basileensis suburbij, quod noctu patrauit spoliatis habitatoribus, & cęnobio diruto, quod *in lapidibus* vocabant, causa turbatę dicitur fuisse iurisdictionis ab Episcopo. Hinc ab eo, iussu Pontificis, anathemate percussus, iuxta morem Ecclesiæ, cum pro gladio censura esset. Primum Bellum Rudolphi in vicinum *Excommunicatur.*

cinum

cinum fuit *Baronem à Tuffenftam*; caufa non legitur. Exitus tragicus, nam Bato à famulo interficitur. Proximum *Rudolphi* bellum cum Godefrido, eiufque fratribus *VVernero* & *Eberhardo* patruelibus fuit, occafione ercifcundæ hæreditatis. Anno poftea 1260.
XIV. *Bohemiæ aulæ præfectus.* ad aulam *Ottocari* Bohemiæ Regis profectus, ab eodem Palatio præfectus, & in bello Hungarico contra *Belam IV.* pro Stiriæ principatu, fummus dux equitum conftitutus, eius victoriæ maximè pars, & auctor fuit. Habuit in pugnâ Hungarus 40. millia equitum: Bohemus centum millia, & in ijs feptem millia equorum ferro cooperta. Sequenti anno, orto inter *VValterum Geroltzeggium* Epifcopum, & populum Argentinenfem, ob nouas impofitiones, & exactiones diffidio. (Tantû exardebat Epifcopus in ciues, vt Ecclefiafticos omnes, qui facrorum alimoniam præbebant, euocaret, nec ludimagiftros cum pueris latinè difcentibus in ciuitate relinqueret.) Populus *Alberti* memor Habfpurgici, cuius aufpicijs immunis a vicinorum vixerat iniurijs, *Rudolphum* filium ex Bohemia reducem, militiæ præficiunt. In fuppetias eorum ibant *Conradus Friburgicus*, *Henricus Neoburgicus*. Epifcopo auxiliabantur præter agnatos Geroltzeggios, Abbates *Murbacenfis*, & *Sangalenfis*, Comes *Zirftainius*. Ciues, expugnato Haldemburgo, vaftatis agris *Columbariam* adoriuntur, vbi duæ gliscebant factiones, quarum altera contra Epifcopum fentiebat. Huius princeps *Roffelmanus* erat loci prætor. Is ab Epifcopi factione pulfus, ad *Rudolphum* fe contulit, & communicatis cum eo confilijs, vacuo fedolio includi, atque in oppidum deuehi curat. Inde noctu reclufa porta, *Rudolphum* cum fuis recipit. Is, oppreffa Epifcopi factione, oppidum munit præfidio; illinc *Mulhufium* profectus, in deditionem recipit, arcem tertio menfe expugnat. Ineunte noui anni vere manum cum hoftibus conferit, vincit Comitem *Zhirftainium*, & *Hermannum Geroltzeggium* cum fexaginta nobilibus captiuos ducit. Epifcopus ægrè fugit, paucos poft dies animi ægritudine extinctus. Anno quarto fupra Milles. & Sexag. Tigurini armorum Præfecturam *Vdalrico* deferunt *Regensbergico*, ea tempeftate magni nominis viro. Is delatam refpuens, fuperbè ref-

XV. *Ann.* 1261. *bellum inter Ep. & Ciues Argent.*

Columbaris deditio capta.

Tiguri præfectus

pondit, fe aliorum non indigere ftipendio, fatis fibi fubditorum habere, eorum tamen defenfionem fufcepturum, fi eum agnofcere dominum voluerint. Sin minus, expectarent armatum, & veluti pifces naffis circumpofitis cincti, minimè fperarent effugium; Tigurini refponfo territi, vicini hoftilitate percepta, ad *Rudolphum* mittunt, cum quo *Vdalricus* fimultatem agebat. Ille oblatâ occafionem de vicinis benemerendi, vnà & hoftem vlcifcendi lubens accepit. Armantur vndique & fœderatorum arma folicitant. Sed impar Regensbergicus, eò neceffitatis adactus eft, vt arcem Regensbergicam, nonnullaque alia fuæ ditionis loca venderet, vt ftipendia militibus foluetet. Alias tamen tenebat arces, ex quibus in Tigurinum excurrebat agrum: ex Vltemberga præcipuè grande afferebat incomodum. Qui erant in præfidio, duodecim quotidie equis albis, cum irrumperent, vtebantur. Hoc animaduertentes Tigurini, obferuato tempore, quo hoftes pabulatum exierant, idoneos homines totidem equis albis & fimilibus impofitos præmittunt ad arcem, fubfequentibus alijs. Qui in arce erant, fuos redire arbitrantes, aperiunt portam, qua, donec alij aduenirent, retenta, arx à Tigurinis capta deftruitur. Reliquæ arces breui omnes vi vel deditione in poteftatem fubactæ: vt *Regensbergicus* ab amicis defertus cogeretur fe ad hoftes conferre, & magno fortunæ ludibrio eorum fe clientelę tradere, quorum oblatam fpernerat præfecturam: ibique accepta penfione, vitam ducere, vbi etiam mortuus, & ad Minores fepultus.

Interim nouum bellum inter *Rudolphum* & *Henricum Bafileenfem Epifcopum* infurgit. XVI. *Bafilea factiones*
Duę æmulabantur Bafileę factiones: altera *Stellæ* fibi titulum affumpferat, & infignia: Altera *Pfitaci*. Stelligeris iungebantur Habsburgici, Ferretani, Friburgici. Pfitaci factionem fouebant Neoburgenfes, Hachbergenfes, Rotelenfes, cum quibus Epifcopus ipfe fentiebat. Nec vna diffidij caufa; mortuo *Bertholdo Laringenfi* fuperftites fuerant forores duę: *Anna* Kyburgenfi, & *Agnes* quę *Egoni Furftenbergico* nupferat. *Agnetis* filius *Cunradus* Comes Friburgenfis duos item filios reliquerat; quorum *Henricus* Neoburgum ingreffus ad capiendam poffef-

an. 1272 possessionem, ob vim cuidam matronę illatam, a ciuibus repulsus, ad *Rudolphum* propinquum suum se contulit. Oppidum Episcopo datum: Brisacum etiam, quod moriente Friderico II. ad Episcopum redierat, *Rudolphus* paulo ante dolo a Tigurinis captum, firmo præsidio muniebat. Acce-
Causa belli Basileensis. debant cum *Eggone Toggenburgensi Episcopo* leuiro priuatæ inimicitiæ. Incrementum dabat recens bellum aduersus Regensbergicum, cui altera Episcopi soror nupta erat. Episcopus ægrè ferens sibi ereptum Brisacum, nonnulla *Rudolphi* oppida demolitus erat, *Rudolpho* alibi occupato; Stelligerorum factionem vrbe eiecerat, cuius principes ad *Rudolphum* se contulerant. Dum
XVII. itaque parantur arma; Abbas Sangallensis amicis inter Bacchanalia epulum exhibiturus, optima vini genera præstinat. Episcopus verò currum Alsatico onustum, notis sufflamatis, detineri iussit. Indignatus Abbas trecentos equites ad *Rudolphum* adduxit, & vsque in annum septuagesimum secundum, iunctis armis, pugnarunt aduersus Episcopum, mutuis se petentes cladibus.

XVIII. Anno 1272. *Rudolphus* dum in Basileam
Abbati Sangallensi reconciliatur. ducere cogitat, Abbas Sangalensis ab ipso alienus ditiones inuadit *Rudolphi*. In hunc pergit *Rudolphus* sed in cassum, cum Abbas se contineret in oppido, neque sui copiam faceret, & recedentis agmen carpebat. *Rudolphus* moram ægrè ferens, ad suos conuersus, inquit: *Iniquè comparatam mihi cum hoc monacho pugnam video, qui si suo modo agere perseuerauerit, non nisi cum ignominia recedam? audire memini, cui vno eodemque tempore cum duobus est dissidium, ei cum altero in gratiam vti redeat, ex re esse. Itaque nisi vobis aliud videtur, consulto me facturum puto, si ex hoste amicum fecero.* Hæc vbi dixisset, suamque vidisset probari sententiam, haud diutius cunctandum ratus, cum paucis ad oppidum, sub noctis crepusculum, adæquitat, Abbati, adesse *Rudolphum* nunciari iubet, cui ipso conuento opus sit. Abbas vix nuncio fidem habens,
XIX. intromitti iubet. Ibi *Rudolphus*, *Adsum* (inquit) *vti res inter nos controuersas, quas armis non datur, verbis transigam, vel arbitris referamus, vt iunctis viribus in communem eamus hostem.* Placuit Abbati, & post breuem disceptationem, suos cum eo milites in expeditionem mittit. His copijs *an. 1272*
auctus, *Rudolphus* in Basileam mouet, vnà cum Tigurinis: & solutili excogitato nauigio, quod ad libitum quocumque ferri poterat, assiduis per Rhenum incursionibus vexabat hostem, vt ager circa Basileam relinqueretur incultus. Sequenti anno copias Basileæ mænibus admouet; *Hugonem* Mariscalcum ex ciuitate erumpentem, insidijs *an. 1273.*
interficit; Episcopi necessarios sibi conciliat, vt Episcopus quibus fideret, nec quò se verteret, satis consilij haberet, *Rudolpho* XX.
militem ita regente, vt caritate vrgente ei *Rudolphus vestes consuit.*
superabundaret annona. Ipsemet sæpè visus in castris vestes consuere, & suo exemplo milites ad frugalitatem hortari, ne omnia *Cuspin.*
prodigerent: *non esse indignum dicens, artificis obire munus, si artifex deesset.* In angustias adactus fuisset Episcopus, nisi *Rudolphus* ad rerum euocatus fastigium, arma posuisset.

Imperij Occupatio. 1273.

Dum hæc ad Basileam fiunt, nutabat Ec- XXI. *Ludouici S. obitus.*
clesia; & quasi nauis in medio mari iactabatur sine rectore viduata Germania. Inito etiam de bello sacro inter Reges Francum, Anglum, & Aragonium fœdere; postquam *Eduardus* Anglus Asiam tenuit; & *Ludouicus* in Africa, capta Cartagine, Tunetum obsidet; lue pestilenti in castris orta, Sanctus ipse subtrahitur; Hinc vbique luctus & mortis gemitus. Accedebant Christiano- XXII.
rum scelera, & Priuatorum latrocinia quæ *Status Germaniæ.*
non inscijs exercebantur Magnatibus, qui vel prædæ participatione, vel in satelitum stipendia annuentes, vel dissimulantes grassatores fouebant, prout partium cuique vires & potentia. Ab obitu *Friderici II.* legitimum rectorem, viginti ferè duos annos, habuerat Germania neminem, præter *VVilhelmum Batauum*, sub quo respirare cum *VVilhelmu Richardus Alfonsus Cæsares.*
crederetur, mortis fuere suspiria, non voces viuorum. Electi post illum *Richardus* Cornubiæ comes, & *Alfonsus Castellæ* Rex. Ille decesserat: iste natura cunctator, initio incuriosus, post timidè auidus, ambiens tandem, sublato æmulo, oblatum iam quærebat imperium, quod pænitentia donatoris eualerat. Atqui *Gregorius X.* Rom. Pon- XXIII.
tif. per Legatum Proceres seuere commonefe- *Papa iubet Cæsarem creari.*
cit, vt ambitione & dissidijs positis, Regem eligerent, qui Ecclesiam & iam conuulsam

Rem-

An.1273 Rempublicam in integrum restituere posse; id ni propere facerent, se, quod sui officij sit, consulturum. Conuenerunt itaque Francofurti Anno 1273. die 8. Octob.

XXIV. *Vterque Dux Bauariæ admissus ad suffragia.* *VVernerus* Mogunt. *Sigefridus* Colon. *Henricus* Treuiren. Archiep. *Ludouicus Seuerus* Boio Rheni Palatinus, & *Henricus* frater eius, qui æquali fruentes hæreditate Bauarica, paria exigebant subsellia, & vota. Aderat *Henricus*, sed per Legatos *Henricum* præpositum Oetingensem, & *Fridericum* Landishutanæ Ecclesiæ rectorem. Obstabat *Ottocarus* Boemus per Legatum *Bertholdum* Leiningium Episcopum Bambergensem caussatus *Septemuiratum* violari Octaui Electoris suffragio. Prò Bauaris tamen iudicatum, quia & in electione *Richardi* Cornubiensis, vtrumque fratrem fuisse suffragatum, scribit *Roo*. Eo in conuentu ad fuisse *Mainardum* Comitem Tirolensem, & inter discrepantiū voces dixisse agimus, Tres omnibus præfero, *Bernardum* Ducem Carinthiæ, *Albertum* seniorem Goritiæ comitem, & *Rudolphum* Habsburgicum ibidem

Moguntia fauet Rudolpho Burggrauius Norimbergensis, proposuit *Rudolphum*, cui præ cæteris Moguntinus studebat, multa de *Rudolphi* ingeminans virtute. Hunc olim *Rudolphus* Roma redeuntem hospitio acceperat, & Argentoratum vsque deduxerat, fetunrque tunc obtestatum esse diuos, ne mori se permitterent;

XXV. antequàm *Rudolpho* gratiam referret. Principum itaque cum variarent Sententiæ, ius Cæsarem nominandi totum datum *Ludouico Seuero*, qui vrgente Moguntino, *Rudolphum Habsburgicum* Cæsarem dicit ea cautione, ne qua ipsi lis de *Mariæ* Brabantię vxoris suę cęde vnquam moueretur. Reliqui auctores fiunt, & faustis acclamationibus *Rudolphi* nomen ingeminant. Libentius in hanc electionem conuenere principes, quia *Rudolpho* sex erant filię forma, indoleque lectissimę, quarum coniugia forent inter Principes vincula pacis. Boemi imperium asserunt *Ottocaro* Regi fuisse delatum, qui dixerit, ***malle se Regem Boemiæ, quàm Cæsarem esse.***

XXVI. *Reprobatur Ottocarus Boemus.* Aduersantur Germani accusantes *Ottocarum* summa ope & ambitione affectasse coronam, neque per Germaniam tantùm Principum suffragia prensasse pecunia, sed Lugdunum quoque Legatos ad Papam misisse, quibus auditis, Gregorius dixisse fertur, *Nihil opus esse Sclauo, cum in Germania multi egregij Principes inueniantur.* *An.1273.*

XXVII. Circam Octauam D. Michaelis, vel XII. Octob. absens Rex renunciatur, quo tempore Basileam obsidione premebat. Primus omnium Regem salutauit *Henricus Pappenheimius*: Secundus *Fridericus Zollerauus*, qui postea Burgrauius Norimbergensis creatus est. XXVIII. *Rudolphus absens eligitur Cæsar.* Præuenerat iam eò fama, etqui adhuc in Episcopi societate erant, palam dicebant: *contra Rudolphum se fœdus cum eo inysse, non contra Cæsarem.* Qua re perculsus Episcopus, protensa in Cœlum manu, exclamasse fertur: *O Christe firmiter te in sedili tuo contine, ne hic te Comes deturbet.* *In eum dicteriū Episcopi Basileen.* Non inde tamen recessit, priusquam pacem componeret. Imo scribit *Stumpfius*, Electionis literas Basileenses Moguntini Archiepiscopi opera adeptos obtulisse *Rudolpho*. Qui felicis nuncij ergo vrbem obsidione liberat. Cuius rei fidem facit statua, quę adhuc Basileæ extat, prope interiorem portam D. Ioannis, in Bursa, *Leonina* olim dicta: Vbi *Rudolphus* chlamydatus sedet, sinistra sceptrum, dextra literas tenens. Inde Francfordiam profectus, electioni annuit. Soluto conuentu, recta itum est Aquisgranum, vbi III. Calend. Octob. inunctus est. Cumque more maiorum Proceres dicturi essent Sacramentum, & Sceptrum (incertum quo casu) non esset ad manum, *Crucem arripit in sceptrum* disceptantibus an sine Sceptro firma foret promissio, Cæsar arrepta cruce, quæ prope

XXX. aderat: *Hoc* (inquit) *signum, in quo genus humanum redempti sumus, hoc ego Sceptro, in omnes mihi & imperio infidos, vtar.* Hæc pietas & solertia, velut non humanæ sapientiæ omen accepta, ita Principes omnes commouit, vt procumbentes ad crucis osculum, eamque lætitiæ lacrymis rigantes, se lubenter *Rudolpho* obligarent. Sacris peractis, conuiuio Principes excepit; antequam Aquisgrano discessum, Moguntino adnitente potentiam affinitate firmauit. *Filias locat.* *Mathildis* filia *Rudolphi Ludouico Palatino*, *Agnes Alberto Saxoni*, *Heduuigis Othoni Brandemburgico* desponsantur.

XXXI. *Pauperibus aditū aperit.* Collocatus in throno satellitibus suis verba fecit, ne quenquam pauperum accessu & colloquio suo prohiberent. *Date obsecro* (inquit) *hominibus ad me accedēdi locum & facultatem.*

an. 1273 *Non enim ideo ad imperium euectus sum, vt hominibus precludar in arca.* Totus inde in hanc curam incubuit, vt latrocinijs & seditionibus, quibus ardebat Germania, vbique locorum sublatis, quietem redderet. Annales memorant Mansfeldici in sola Turingia arces sexaginta nefariorum hominum

XXXII. *Latrocinia tollit.* latibula ab eo excisa, & vnica die viginti nouem nebulones, Erfurti capitis supplicio esse affectos. Postea ad repetenda Imperij iura conuersus Abbati......Scripsit, renouaturus *de primis precibus Cæsaris priuilegium.*

XXXIII. *Priuilegium de primis precibus.* *Cum ab antiqua & approbata ac a Diuis Imperatoribus, & Regibus ad nos producta consuetudine, quælibet Ecclesia in nostro Rom. Imperio constituta, ad quam beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super vnius collatione beneficij, precum nostrarum primarias admittere teneatur, deuotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico, de Ecclesiastico beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob reuerentiam Sacri Imperij, studeas liberaliter prouidere, &c. Datum, Anno Regni nostri primo.*

XXXIV. *Comitia Norimbergæ.* Sequenti anno Norimbergam vocatis cōmitijs, Principes omnes habuit obsequentes præter *Ottocarum* Regem Bohemiæ, cum quo fœdera iunxerat *Henricus* Dux Bauariæ,

an. 1275 auro Bohemo corruptus; vterque contemptu pauperis Imperatoris, quem paulò ante Bohemus in magistrum Curiæ suæ, mercede conduxerat. Detrectabant etiam nouum Imperatorem Badensis & VVirtembergensis inito fœdere, ne vsurpata imperij iura restituerent. Quo voto comitia vocauerat *Rudolphus*, vt Principum Senatus de regalibus cognosceret vsurpatis. Austriam, Carinthiam, Stiriam proprio marte sibi vindicauerat *Ottocarus* in *Friderici* Ducis Sueuiæ,

XXXV. *Conradini heres. Ludouicus Seuerus.* & *Conradini* morte; Quibus superbiens nihili faciebat *Rudolphum*. Eo in conuentu de Imperio in pristinam dignitatem asserendo actum: *Ludouico Seuero* velut auunculo hereditas deuoluta: conuentus Herbipolim post tres menses indictus; *Ottocarus* & *Henricus* citati. Adfuere Principes sed in cassum, *Ottocari* dolo licet absentis, *de regalium vsurpatione* nil iudicatum. His in comitijs Cæsar *Fridericum Zollerensem* ex sorore nepotem Burggrauium Norimbergensem declarauit cum potestate successionis ad posteros. Nouo indicto conuentu Augustæ Vindelicorum in proximam æstatem. Eò venere denunciata Læsæ Maiestatis pœna Legati *Henrici* & *Ottocari*. In quos, Austriæ, & vici- an. 1275

norum auditi legati, querentes *nobilissimas regiones, pupillam imperij, tyrannide barbari Bohemi vexari; non bonis, non matronis, non altaribus immunitatem dari. Viuente vxore adulteram ali, liberos procreari, vxore tandem veneno perempta: Proceres vel tormentis sublatos, vel carceribus traditos. Rogare Cæsarem, obuiare in tempore, & saltem post vulnera, interitum remouere.* Intromissis postea *Ottocari* & *Henrici* legatis: *Bernardus* Seuouiensis Episcopus, cępit *Rudolphi* electio- XXXVI. *Ciuitates queruntur in Ottocarum.*

nem in dubium vocare, *Indignum dicens eo loco, quem iam multis annis Pontifex censura damnauerat Ecclesiastica.* Inter hæc cum multa ad Ecclesiastici ordinis principes latino sermone proferret: Cæsar interfatus. *Si cum Episcopis & Sacerdotibus tibi res est, latine dicito: in me, meique ordinis dicturus, ea lingua vtitor, qua pro se quisque respondere possimus.* Cum verò plura adderet, neque a conuicijs abstineret, nemo vltra dicentem sustinere voluit. Imò ægre impetrauit *Ru-* XXXVII. *Legati Ottocari Rudolphi electionem improbant.*

dolphus, vt manus violentas abs Legato abstinerent. Palatinus namque secessit, ne irrumperet. Similia perorantes in Lugdunensi Concilio (in quo, Præsidente *Gregorio X.* Rom. Pontifice, adfuerunt septingenti Episcopi, maioresque Hierarchæ minorum gentium) Præsules mille sexaginta, legati *Alphonsi Hispani*, & eiusdem *Ottocari Bohemi*, nihil præter humanissima verba à Pontifice reportarunt. Missi proinde à *Ru-* XXXVIII. *Concil. Lugdun.*

dolpho legati ad *Ottocarum*, *Henricus* Basileę XXXIX. *Legatio ad Ottocarum.*

Ep., & *Fridericus Zolleranus*, qui ditiones iniquè detentas repeterent, Austriam, Stiriam, Carniolam, Marchiam Vindorum, ac portum Naonis. Tametsi enim daretur ei, aliquid iuris, *Margaretæ* nuptijs quæsijsse, id tamen exoleuisse iam dudum, postquàm optimæ Principi libellum repudij iniustè dederat, pellice in thorum eius introducta, ac tandem vxore veneno sublata. Reficeret insuper damna Ecclesiæ Salisburgensi illata, quæ argenti pondo, quadraginta millibus æstimabantur. *Ottocarus* adhæc excandens, *nihil se Rudolpho debere famulo suo, neque digno cui Reges obsequantur. Austriam se & Stiriam dotalem, Carinthiam cum cæteris suo peculio emptam prius, armis deni-*

que

an. 1275 *que & iure belli asserta tenere. Bello itaque & pace cum se dominum agnosceret, Rudolphus eligeret, pacem an arma mallet experiri.* Legatis ergo præter *Ottocari* contumacia verba nil renunciantibus, bellum decernitur. Primus sententiam dixit *Ludouicus Seuerus* à quo consanguinitatis ius violatum insimulabat *Henricus frater*, quia se inscio affinitatem cum *Rudolpho* contraxisset; vnde ex fratribus facti erant hostes acerrimi. Præter affines, in suppetias cæteris solicitatis Principibus, Rudolphus *Henrico Marchioni Misniæ* Thuringiam de qua decertauerat diu, concedit, & donationem *Friderici II.* Imper., qua *Alberto* illius filio genero suo Altenburgi Comitatum, dotis nomine concesserat, ratam habet.

XL. *Ludouico infestus Henricus frater.*

Henrico Misnienſi.

XLI. *Eberhar. Rixosus.* Prima expeditio fuit in *Eberhardum* cognomento *Rixosum*, qui vt neminem timere videretur, *se solius Dei amicum, & totius mundi hostem nominabat.* Is cum Marchione Badensi interregni tempore, fiscales hæreditates (quæ moriente domino Cęsari deuoluuntur) occupauerat per Sueuiam, Franconiam, Alsatiam. Idem in Brisgouia Friburgenses, & Neoburgenses Comites fecerant. Hos omnes, iunctis armis *Ludouici Palatini* generi sui, felix deuicit, & ad pacem petendam supplices coegit.

XLII. *Conciliatur Henricus.* Illis deuictis, Bauaricam *Henrici* ditionem inuadit; Patauium (*Paßauium* vulgo dicitur) vsque progressus, obuium habuit
an. 1277 *Henricum*, qui viribus suis diffisus, *Ludouici* fratris gratiam per amicos conciliat; postea fratre & *Mechilde* cognata deprecantibus, Cęsari reconciliatur per nuptias *Catharinæ* filię *Rudolphi* cum *Othone* filio *Henrici*. Non tamen quieuit *Henricus*, iterū *Ottocari* corruptus pecunia, inuentus est noua in *Rudolphum* moliri consilia. Propterea eum nouis beneficijs *Rudolphus* mulciendo; ditionem, quę est ad superiorem Anassum, hyppothecę loco pro dote *Catharinæ* filię oppignorauit. Delinitus *Henricus* aliquantisper quieuit. Moritur interim *Gregorius X.* Rom. Pontifex. Cuius Successor *Innocentius V.* Pontificatum, mensibus quinque tenuit. *Hadrianus* postea Ligur 4. Idus Iulij creatus XV. Cal. Septemb. diem obijt, vacuamque Sedem *Io: XX.* vel *XXI.* reliquit per octo tantum menses retinendam. an. 1277

XLIII. *Pontifices.*

XLIV. In Austriam profecto *Rudolpho*, *Meinardus Tirolensis* ad Stiros, & Carinthios missus, iam plures Cęsaris traxerat in obsequium, quamuis *Ottocarus* paulo ante procerum filios obsides accepisset. Austriaci qui *Ottocari* pręsidio non erant prohibiti, vltro portas aperiebant *Rudolpho*. Ciuitas Anassina, Ibissa, & Tulna nullam expertę vim, *Rudolpho* patuerunt. Sola Vienna & Neoburgum clausere portas. Neoburgum ab vnica Boiorum turma stratagemate occupatum: Bohemorum præsidium deditum, & in vincula coniectum. Vienna obsidione cingitur. *Ottocarus* qui alteram Danubij ripam cum exercitu insederat, pontibus solutis traijcere non poterat. Interim Cæsar missis in Hungariam Legatis, Regem *Ladislaum IV.* ad societatem solicitat.

XLV. Successerat is patri *Stephano V.* non minùs in regnum, quàm in dissidia. *Ottocarum* Bohemum, qui *Belam* in Morauia superarat, tanta clade ad *Kapezam* fluuium fudit *Stephanus*, vt parem pro patre vicem ho-





sti retulisset. Plura ne faceret, mors inuida obstitit. *Ladislaum IV.* Successorem habuit. Is *Rudolphum* sua in vota nactus Cæsarem, æterno pacis fędere solium suum firmauit: vnaque

an. 1277

Legati Cæsaris ad Hungaros.

vnaque cum *Rudolpho* aduersus *Ottocarum*, arma gessit, quia Bohemus Bibesburgium, Tirnauiam, Posingam, Altenburgum, Chelburgum, Musenburgum, & alia quędam Hungarici regni loca Posonio vicina teneret. *Ottocarus* de totius belli exitu ex his initijs malè ominatus, lubens admisit pacis verba, quę à monasticę vitæ cultoribus miscebantur. Dati vtrinque sequestres. In his

Pax cum Ottocaro.

Cæsaris nomine *Ludouicus Seuerus*. Pacem præcessit affinitas, quæ secura redderet fædera. *VVenceslao Ottocari* filio tum octenni filia Cæsaris desponsatur: vicissim *Ottocari* filia *Rudolpho* non *Alberti* sed *Rudolphi* Imperatoris filio, qui cognomento *Altis* dictus est. Deinde conuentum. *Ottocarus Austria, Stiria, Carintia, alijsque locis vicinis priuata potestate occupatis cedat, cognitionem eorum Cæsari & Principibus permittat, obsides reddat, electionem Rudolphi adprobet, in eius verba iuratus Bohemiam, Morauiam ab eo recipiat, Hungaris ablata reddat; captiui*

XLI. *Arrogātia Ottocari deluditur.*

restituantur. Id vnum ægrè supplici datum, ne in propatulo, *Rudolpho* flexis genibus Sacramentū diceret clientelare. Id enim vehementer auersabatur, quod olim *Rudolpum* habuisset in obsequijs. Paratur ergo tentorium in insula Danubij Camberga, vtcumque remota ab arbitris; tentorium ita concinnatur, vt laxatis facile funiculis subito posset ex omni parte dissolui. Scena sic composita, Cæsar cinereo indutus paludamento, tribunal ascendens monetur ab aulicis, vt cultu vteretur splendidiore. Ottocarus namque splendido veniebat apparatu: viri, & equi auro, gemmis, & serico nitebant. At ille *finite* (inquit) *hodie paupertatem sæpius derisam arroganter, de stolida purpura splendidè triumphare. At vos equos & arma expedite, & accincti, instructique vt ad pugnam state.* Tum vbi *Ottocarus* positis genibus à Cæsare sedente in solio Maiestatis, ac-

XLII. cepturus Bohemię & Morauię vexilla, conceptis verbis fidem iurat, mox papilio diductus in latera humi laxatur, supplex multitudini ostentatur non sine Germanorum cachinnis, Bohemis verò frementibus, & fraudem tacitè execrantibus. *Ottocarus* indignè hæc ferens, dissimulata vtcumque ira in Morauiam abijt. Redeuntem contumelijs excepit vxor *Kunegunda*, superba mulier, & super fæminam ferox, nec probris abstinuit, donec aduersus Imperatorem abolendæ huiusce turpitudinis gratia, bellum instaurarit. *Rudolphus*, violato fœdere, post vbi se nouo bello tentari conspicatur, exercitum reparat. *Ladislaum* Hungarorum Regem, in Bohemicam expeditionem iterum excitat. Cognatos, & affines vocat. Salisburgensis Archiepisc. ad primum nuncium cum tercentis equitibus ad fuit; Basileensis præsul, Burggrauius Norimbergensis, & *Henricus Hachbergicus* Marchio octingentos longo itineris dispendio per Carnos adducebant, quibus Hennenbergici, Furstenbergici, & reliqui quidam cognati sexcentos adiunxerant. His accessere *Albertus Goriciensis* cum 150. equitibus; *Meinardus Tirolensis* cum 300. totidem ducebant *Fridericus* & *Albertus Ostemburgici*. *Vdalricus Hainburgicus* Carnus cum 200. *Henricus Pfannenbergensis Stirus* cum centum aderant. Mille præterea Stiris communi prouinciæ nomine conductis pręerant *Fridericus à Pætouione*, *Octo Liechtenstainius*, & *Colo à Seldenhouen*. Hi omnes ineunte Septembri conuenere. Pridie Id. Septembr. *Ladislaus IV.* Hungarorum Rex cum viginti millibus Cumanorum fluuium traiecit. *Rudolphus* vt

an. 1277

XLIII. *Bellum renouat instigante vxore.*

an. 1278

XLIX.

Ladislaum arctiori quodam vinculo sibi coniungeret, in filium adoptauerat. Istis sociantur Austriaci, cum quibus Cæsar propiùs hostem mouet, ad *Lauam* oppidum castramentatus. Antequam prælium committeretur, Cæsar vti suos in pugnam accenderet, plurimos equestri dignitate donauit, inter quos *centum Tigurini*, quos omnes strenue pugnantes aduersis vulneribus obijsse, testantur eorum insignia gentiliria Tiguri in Minorum templo ad rei memoriam depicta. Cunctabatur interim Cęsar pugnam, & de more non tantum diem Veneris expectabat, sed horam tertiam sextæ feriæ, qua credimus Deum Hominem ad redemptionem humani generis mortem obijsse, cumque ad *Rudolphum* venisset quidam, offerens se in venatione occisurum *Ottocarum*, si facto præmium esset, renuit *Rudolphus*, dicens: *Etsi noster hostis est Ottocarus, non tamen id efficiet, vt iustitia & moderationis fines transeamus.* Non minor in eo emicuit abstinentia. Potu laborabant ipse, & exercitus. Petranseunti rustico (qui messoribus potum ferrebat) ablatam hydriam sic era-

Tigurini.

L. *Dies Veneris Sacer Rudolpho.*

LI. *Iustitia Rudolphi.*

LII. *abstinentia.*

plenam

An. 1278 plenam milites Imperatori offerunt. Quam cum ille vidisset. *Reddite* (inquit) *homini vasculum suum: nam ego exercitui, non mihi sitiebam*. Ea abstinentia potauit militem. Sic in Basileensi obsidione pane laborante exercitu, *Rudolphus* se in agros rapis consitos contulit, & comedit, dicens: *Donec hisce rapis participes fieri possumus commilito-*

LIII. *Vouet ecclesiam S. Cruci.* *nes, fame non peribimus*. Dies itaque cum aduenisset passionis, ædem vouit S. Cruci, si victoria potiri Deus concederet, quam Tulnæ postea voti reus posuit. Exercitum, ex consilio *Hugonis à Tanfers* in quatuor ordines distribuit. Primo præfectus est *Mathæus Treijzius*. Secundo *Stephanus Comes Schilderbergicus*, qui ex Sueuis fere constabant. In tertio posuit Stiros, Carintios, Carnos, & Salisburgenses, inter quos ipse *Rudolphus* sibi locum elegit. Quartum locum tenuere Austriaci. Hungari collem conscenderunt vicinum, vnde prælium Rex adhuc adolescens inspectaret, vt in Annalibus legitur Austriacis: Hungari verò ab ipso *Ladislao* occisum tradunt *Ottocarum*. Ex aduerso Bohemus distributis copijs, sex ordinauit phalanges. Primum ex Bohemis, ex Morauis alteram, ex Misnensibus tertiam, & Thuringorum, Poloni in duo cernua se diuiserant, Saxones & Bauaros Rex ipse sibi delegerat. In exercitu Cæsaris, Aquilam fe-

LIV. *Rudolphi pietas.* rebat imperij *Henricus Hachbergicus* Marchio, signum Austriacum *Cunradus ab Haselau* Austriacus, Christi Crucifixi imaginem patri pręferebat *Albertus Habsburgicus*.

Salue Reginæ recitat. Iturus in hostem, iussit *Rudolpho Rhinio* equiti Basileensi alta voce inclamare vulgatam orationem, qua, Deiparæ virginis inuocatur auxilium. *Ottocarus* contra, *Pragæ*, vocabulum, & appensum collo peplum candidum, suis tesseræ loco esse voluit. *Henricus Schorlinus* primus excurrit in hostem, vel audacia sui, vel equi vitio efferi & calcitrosi, qui calcaribus instigatus irrupit. Cęsar, sequerentur omnes, iubet, *tempus adest, Commilitones*, clamauit. *Ottocarus* etiam suos admonens, vt ducis sequerentur exempla, inter primos pręlium inijt. Primo statim conflictu, ingenti Cæsar fatigatur periculo, equo, cui insidebat, confosso à percussore, quem *Ottocarus* magnis promissis conduxe-

LV. *Cæsaris periculum.* rat; & iam in terram effusus Cæsar, soloque clypeo tectus, propius erat, vt configere-

tur, nisi eum stipatores periculo exemissent. Captus Bohemi emissarius, nec à *Rudolpho* permissus occidi: quod crederet, Reipublicæ interesse, hominem adeò fortem in viuis seruari. *Herbotus Fullenstainius* natione Polonus ingentis staturæ & roboris nec minoris audaciæ, & temeritatis homo, fuisse dicitur percussor Cæsaris, quem Cęsar inserto punctim per commissuram galeæ gladio occidisse, ab alijs traditur; equum verò Cæsaris ab altero suffossum dicunt, ipsum Cæsarem iam peditem acriter se defendisse, cumque nimis multi accurrerent, exclamasse illæsum se, atque integrum esse, itaque in hostem pergerent, neu prosperę pugnæ cursum sisterent. Stiri namque cum vidissent *Pfannenbergicum* accepto graui vulnere ex acie secedere, quasi territi remissiùs rem gerere videbantur: quo animaduerso discrimine, Cæsarem ferunt in genua prolapsum Dei opem implorasse; ex tunc instau- LVI.
ratos Stirorum animos, quorum in eo prælio virtus enituit. Cæsar deinde à *Bertoldo Capella* in equum leuatus, eodem comitante, prælium redintegrans vehementi impetu, aciem perrumpit. Nemo tamen pugna excessit, priusquàm Regi fortiter pugnanti nuncius adferret, *Milotam* præfectum cum Morauis adhuc integris, qui in subsidijs erat, fugam capessere: vel proditoriè recedere; *Rudolphi* donis corruptum aiunt Bohemi; vel odio *Ottocari*, qui filiam fratris *Milotæ* vitiauerat, patrem verò querentem incendio sustulerat. *Milota* abeunte, cæteri fugam arripiunt. *Ottocarus* ipse multis saucius vulneribus occubuit. Pluri- LVI.
mi eius sibi vindicant cædem, *Ladislao* Regi *Occidit*
Hungari tribuunt. *Lazius* Hadanaro Cun- *Ottocarum.*
rihio natione Stiro. Is cum fratrem eius in crucem Rex egisset, cum fido commilitone, toto agmine perquisitum adorti fortiter pugnantem equo deturbant, octodecim vulneribus confodiunt, magno clamore cæsum abs se Regem vociferantes. *Rudol-* LVII.
phus cum captiuum habere mallet, misit *Displicet Rudolpho*
Emerbergium, & *Brectoldorfium* vt adduce- *mors Ot-*
rent, sed serò. Corpus à Calonibus prope *tocari.*
nudatum *Rudolphi* permissu, in Bohemiam relatum, regio honore sepultum est. Quatuotdecim millia armatorũ ceciderunt cum *Ottocaro*. Otho Branderburgicus *Ottocari* ex LVIII.
sorore nepos suscepta tutela regni Bohemici, *Pax*

res cum

an. 1278 res cum *Rudolpho* composuit, vt iam pacta connubia rata manerent. Satis superque funerum esse Bohemis; ipse vero *Venceslai* ætatem, quousque in pubertatem veniret, regeret. *Rudolphus* Bohemis domitis, *Henrico Bauaro* iratus, qui affinitatis & pactorum
LIX. immemor, *Ottocarum* milite & commeatu
Mouet in Henricū Boiom. iuuerat, in eum duxit. *Henricus* verò cum Cæsarem in se venire cognouit; armis positis, ad preces confugit. Exorant Cæsarem *Otho*, & *Catherina* filia Cæsaris. Silebat *Ludouicus Palatinus*, quia & in eum subiratus Cæsar, quia cum copijs ad bellum profecturus *Ludouicus*, in itinere subsistens, euentum pugnæ expectare voluisse credebatur. Lenius tamen cum eo actum, quod in eum, præter negligentiam nihil adferretur, & Cęsar gauderet regna per gradus inire clementię. Propterea obiurgatus, quòd clementior esset, quàm ab initio fuisset imperij,
LX. *Rudolphi clementia.* *Seuerum* (inquit) *& immitem fuisse me aliquando pænitet; lenem & placabilem nunquam.* Post breuem itaque disceptationem pax *Henrico* data, ea tamen conditione vt decederet parte dotalis prouinciæ; quæ ipsi Danubium inter & Anassum pignoris titulo fuerant at-
LXI. *Henricus Bauarus multatur.* tribura. Viennam cum redijsset, vxor Anna morbo succubuit An. 1281. & Basileæ numulatur. *Kunegundis* verò *Ottocari* vidua Branderburgici Antistiris gubernatione pertesa, quem *Otto* Bohemis præfecerat, Opauiam primùm ad *Nicolaum* Ottocari ex pellice natum perfugit, mox Znoymam se confert, vbi cum *Zauisio* quodam Rosensi perquàm familiariter ludens, peperit tandem, & vix puerperio egressa nuptias cele-
LXII. *Albertus Austrię præfectus* brat, quibus velaret impudicitiam. Pacata Republica, ad familiam se contulit *Rudolphus*; *Albertum* filium Austriæ, & Stiriæ præficit, Imperij vicarium resonat, donec sibi, & Principibus aliud videretur. Vt autem filio securam successionem in eas prouincias pararet, nuptias ei conciliauit *Elisabetha* filiæ *Meinarbi* Principis Tirolensis
an. 1282 An. 1282. eique Carinthiæ Ducatus, & Taruisianæ Marchæ in clientelam dedit. Eodem tempore *Rudolphum* filium, Ducem *an.* 1282
Sueuiæ Landgrauium Alsatiæ, ac Comitem Ergouiæ constituit. Reliqua bellorum semina, & latrocinia maiestate vel pæna compescuit, multis nobilium arcibus & castris ad rapinam opportunis, hinc inde per Germaniam destructis. Eaque securitas sequuta, vt mercatores magis tutas iam merces in publico faterentur, quàm antea in cauponum hospitijs. Erat tum quidam *Pseudo Fridericus*, qui se pro *Friderico II.* Imper. gesserat, *an.* 1283 LXIII. *Fridericus impostor.*
atque pręstigijs suis, multorū non tantū ciuiū, sed & principum, præcipue Colon. Antistitis occupauerat animū. Opinio enim erat viuere *Fridericum*. Nouesij nebulo, alibique conuentus egerat, & *Rudolphum* facto decreto ad se venire, suarumque ditionum ius sibi legitimo imperatori cedere iusserat. Hunc itaque Nussiæ deprehensum obsedit *Rudolphus*, vrbe dedita maleficum igne cremauit. Circa idem tempus *Catherina* LXIV. *Ottonis et Alberti bellum.*
Rudolphi filia *Othoni Bauaro* nupta, absque liberis decesserat. Cumque ea, quæ *Othoni* dotis nomine tradita erant, non redderentur, nec ad rem responderet *Henricus*, *Albertus* collecto milite, adiuncto sibi Salisburgensi Præsule in Bauariam mouet. Obuiat *Henricus* Ottonis pater, dum filius alio exercitu Austriam inuadit. Sequestres tamen se offerunt *VVicardus* Patauiensis, & *Otto* Ratisponensis Episcopi: res *Ludouici Palatini* arbitrio committitur, & Henricus in centum argenti marcas pro sumptibus belli multatur. Maiorem formidinem incutie- LXV. *Tartari.*
bant Tartari innumerabili multitudine per vndecim Hungariæ milliaria sparsi, renouaturi Hunnorum, Vandalorumque facinora, nisi Deus insueto imbre, & grandine prohibuisset eos vltra penetrare. Procellis interclusum iter, in eas angustias redacti sunt, vt quòcumque se verterent, mortem experirentur. Sic vel elementorum discordia, vel hominum gladio deleti sunt.

Secundæ nuptiæ Imperat. Rudolphi I. An. 1284.

LXVI. Anna Imperatrice defuncta, Secundas nuptias quæsiuit *Rudolphus* Anno ineunte 1284. cum *Agnete* Ottonis Burgundiæ filia, *Isabella* (dicit Onuphrius) iuuencula admodum. Supergrediebatur Rex 66. ætatis annum; Sponsa autem annum XIV. vix atingebat. Non tamen senectus, nec dispar ætas potuere Regem ab hoc connubio subtrahere, licèt inutile & inconueniens videretur. Solicitatum *Lequillis* dicit Magnatum

tum

An. 1284 tum precibus; pulchritudine puellæ suspicor ego, quæ adeo formosa & amabilis, vt non solum viri sui (cuius decor venerabili canitie venustatus, adhuc in procero vultu, & simetrico corpore maiestatem seruabat) sed & omnium oculos in se alliciebat.

LXVII. *Successet Episcopo deosculanti Imperatricem.* Hanc cum *Fridericus Comes Leningius*, antistes Spirensis, aliquando honoris gratia è curru leuaret, raptus venustate mulieris osculo eam petit. Indignè puella tulit, & protinus Regi conquesta, qui statim Præsuli indicari iussit: *vt quæsito ad deosculandum alio pacificali, hoc sibi soli comparatum relinqueret*. Leningius iram Regis pertimescens, vltrò in exilium commigrauit, nec prius ad episcopatum redijt; quàm mortuo Rege.

LXVIII. *Alienas deosculatur vxores.* Pellices licet non amaret *Rudolphus*, & sacro solum delectaretur connubio, senio tamen confectus, & tabe correptus, baronum nobilium, Principumque vxores, filias, puellas sæpe ad conuiuium inuitabat; & maritis earum præsentibus osculabatur dicens: *Se non posse præsentius inuenire remedium, quo corpus vegetius redderetur, quàm animas virginum dulces, & suaueolentes.* An. 1284

Facetus enim erat *Rudolphus*. Petēti quondàm mendico, *vt secum patrimonium diuideret, tanquàm cum fratre ex Adamo*, obolum in saccum iniecit. Conquerenti dixit: *pete à singulis fratribus tantundem; tunc plus me habebis*. Sic cum corpus haberet procerum, & faciem regiam, naso Aquilino magno, in decliui semita morionem quendam offendit, qui Regis facetias, & clementiam norat. Is ex angustâ semita regi cedere à satellitibus crebrò iussus, *Regis* (clamat) *nasus viam implet, vt præterire nequeam*. Subridens Rex, flexo in alterum latus naso: *Progredere fili* (inquit) *namquè nasum meum digitis amoui, ne te impediat*. LXIX. *Facetiæ Rodulphi.*

Romolsbergij pactæ sunt nuptiæ, & sequenti æstate in magnum Principum frequentia, apud montem Romaricum Lotharingiæ, festo S. Agathæ celebrauit. Nullos ex ea liberos sustulit. Ideò à morte mariti in patriam redijt.

ITALORVM LIBERTAS. An. 1285.

LXX. In Germania agente *Rudolpho*, Italia olim charissima Cæsari, Domino incognita, oblita obsequium, ipsum Imperatoris abhorrebat nomen. Electum *Rudolphum*, nec salutatum miserat; In die coronationis cum Electoribus iurasset intra annum Romam pergere; nec bis à Pontifice inuitatus, Germania nunquam excedere voluit. *Multos Alemanorum Reges Italia consumpsit: non ibo Romam. Rex sum, Imperator sum: nec minus prò vtilitate Reipub. acturum me confido: quàm si fuissem Romæ coronatus*. Antoninus ait, familiæ amore non curasse Italiæ statum, sed domi congregasse diuitias, vt posteros suos ditaret. Dicunt alij timore non descendisse in Italiam, ad capescenda more maiorum, Romana insignia; vnde Phrygis fabulam identidem memorare solebat de vulpe, & Leone: cum hæc ad ineundam familiaritatem, & subeundum Leonis spelæum solicitaretur, & responderet, se quidem ingredientium animalia multa obseruare vestigia, sed nulla regredientium.

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni,

E Flacco dixit: Quia me vestigia terrent:

Omnia quæ antrorsum spectant, sed nullam retrorsum.

Misit tamen Vicarium *Rudolphum Hohenectum* Cancellarium suum. Qui verborum lenocinio ciuitatibus suasit, vt pacem amplexi, ea lubentes facerent, ad quæ violentia trahi poterant obtorto collo. Clementiam exarmatam Cæsaris experirentur potiùs, quàm maiestatem cui rebellionis grauissimas essent soluturi pœnas. His *Rudolphi* verbis fidem habentes Lucenses, retento Imperij fidelium nomine, libertatem sibi emerunt duodecim aureorum millibus. Florentini dimidio minoris. Genuenses pretio etiam in libertatem asserti. Aliæ ciuitates Italicos Principes assumpsere patronos, cum eis non expediret, non habere rectorem; vel è longinquo regi, & Solem nunquàm videre; vel videre semel in anno. Cancellarius itaque auro onustus, Domum redijt. Pontifex verò plerisque ciuitatibus, quas ferendis oneribus esse sciret, pecuniam & ipse imperat. Misit etiam in Germaniam *Honorius* Rom. Pontifex Cardinalem Tusculanum, qui Herbipoli præsente *Rudolpho*, quartam partem omnium prouentuum postulauit; re verò infecta redijt. Pro omnibus verba faciente *Probo*, ex familiâ Franciscana Tullensi Episcopo, ma- LXXI. LXXII. LXXIII. *Vicarius Imperij à Papa datus.*

an. 1285 ximo suo incomodo; nam à Papa Episcopa-
tu exutus, rursus cucullam *recepit* Tuscula-
nus vix euadit, iussu Cæsaris in hospitium
deducitur ab æquitum Magistro. Miserat
etiam *Pinziuallam Fliseum Genuensem*,
Imperij Vicarium per Italiam ab se consti-
tutum, vt confirmaretur à Cæsare, cui as-
sensit *Rodulphus*, ægrè tamen patiens sacer-
dotem vsurpare quæ erant imperij: nullis
an. 1286 tamen Germanorum copijs auctum in Ita-
liam redire iussit: Legato paulò post *Henri-*
LXXIV. *Rudolph. Exarchatū renunciat.* *co* Basiliensi Antistite, qui in mandatis dice-
batur habere, vt Pontifici Exarchatum te-
nunciaret Cæsaris nomine. Donare simu-
lans, quod armis retinere non poterat, dis-
sidio implicitus Germanorum. Henrico fe-
lix in vrbem aduentus fuit. Nam alternan-
tibus in Curia per triennium de Moguntino
Archiepiscopatu, *Petro Richio* Moguntino,
ac Basiliensi præposito, & *Gerardo Eppen-*
stainio Archipresbytero Treuirensi, Ponti-
fex *Henricum* elegit, & confirmauit. Sic
fortuna ludens ex Monacho fecit Archiepi
scopum, ex pistoris filio in Septemuirum
electorem Imperij. Hoc ferè tempore Iu-
LXXV. *VVenceslai nuptiæ.* tha *Rudolphi* filia Bohemiam adijt, cum
qua *VVenceslaus* Bohemiæ Rex Pragæ nu-
ptias luxu plusquàm Regio celebrauit. Am-
bo Cæsaris filij *Rudolphus*, & *Albertus* comi-
tati sunt sponsam. Et centum millia homi-
num epulo quotidiano accepta feruntur.
LXXVI. Inter Sanctos Rex iste connumeratur. Huic
cum masculam prolem largitus esset Deus,
Egram profectus Cæsar, sacro adfuit baptis-
mati; eique paterno *VVenceslai* imposito an. 1286
nomine, Electoratus, & pincernæ confir-
mauit dignitatem in posteros transferen-
dam. Hæc vsque in annum 1288., quo bel- *Sal. An. 1288.*
lum inter *Petrum* Basileensem Antistitem, LXXVII. *Bellum Burgundum.*
& *Reginaldum* resuscitatur, in quo Basileen-
ses numero potiùs quàm virtute victi, fugam
ineunt. Ad Cæsarem accurrit *Petrus*. Cæ-
sar benè sperare iubet, suppetias exhibet,
non tam Episcopi causa, quàm Burgundi
odio, qui maiori prosequebatur obsequio
Gallorum Regem, quàm Cæsarem. Nec
vna belli flamma. In Austria *Rudolphus*
Salisburgensis Episc. synodo congregata, LXXVIII. *Bellum Austriacum.*
decreuerat, *ne quis Ecclesiasticus prfano ali-*
quo munere fungeretur. Notabantur hoc de-
creto Seuouiensis Episcopus, & Admontij
cænobij Abbas Styriæ Præfectus. Decretum
ægrè tulit *Albertus*, quia *Rudolphus* tot ac
tantis à Cæsare beneficijs, aliquid in suorum
fraudem moliretur. Cæpit igitur nonnulla
Episcopi prædia: quæ res ipsi carò stetit.
Præter alia detrimenta, arx Pfandorha qua-
tuor turribus, prò istius æui ingenio firmiter
munita, haud procul à Iudenburgo expu-
gnata, & æquata solo: ciuitas Frisacensis vi
occupata, vastata flammis, exuta mœnibus.
Ne bellum prosequeretur, mors prohibuit LXXIX. *Obitus Salisburg. Archiep.*
Archiepiscopo; cuius sedem tenuit *Conra-*
dus Vanstorfius Ep. Lauantinus datus à *Ni-*
colao IV. Pontif. Romano, reiecto *Stepha-*
no filio Henrici Boij Ducis, quem Canonici
postulauerant. *Rudolphi Salisburgensis* fu-
nus, secutus est obitus *Henrici Bauari*. *Henrici Boyolitus.*

EXPEDITIO BVRGVNDICA. An. 1289.

LXXX. *Rodulphi periculū.* INterim Cæsar necessarijs collectis pro
Burgundica expeditione, in Montē Bel-
gardum mouet, cuius dictionem primo ad-
uentu, occupauit non tamen sine periculo.
Paulò audacius, vt solebat, in hostem pro-
gressus, ab equo hastà perfosso deijcitur: pe-
des aliquandiù pugnauit; vt autem hostium
multitudine obrui videret, armatus in la-
cum prosiliuit vicinum, & palo arrepto,
tandiu se se retinuit, donec ab *Hermanno*
VValdeccio adiutus, Friburgum. Nuit ho-
num deducitur. Inde Burgundiam ducens,
castra ad Vesontionem metatur. Accurrit
Rupertus, & prope *Dubim* amnem tentoria
ponit. Cæsar colle occupato vicino *Philip-*
pi III. Gallorum Regis legatos audit minan- LXXXI. *Legati Gallorū.*
tes, nisi abiret, Regem expectaret arma-
tum. *Veniat* (inquit Rudolphus,) *nos eius*
aduentum hic præstolabimur. Videbit forsam
non tam facile esse, leges dare arma tenenti.
Admonitus inde commeatum deficere, LXXXII. *Rodulphi constātia.*
facetè respondit: *se victorem hostium com-*
meatu potiturum. Cum verò milites iam
apertè tumultuari videret, postridie mane
obtulit, educturus in pugnam. Porrò ante-
quàm dies illuceret promissa, mille quin-
gentos Heluetios noctu eduxit, qui castra
hostilia aggressi, post multos trucidatos,
præda reuertuntur onusti. Inde tanta tre-
pidatio hostem inuasit, vt missis legatis
pacem

an. 1289 pacem peteret. Negauit *Rudolphus* verba
pacis audire ni prius absque pretio Basi-
leenses redderentur captiui. Quibus ab ho-
LXXXIII. ste manumissis, iussit *Ruperto* Cæsar resigna-
Albertus in Nouatores. re ditiones, quas iterum nouo Cæsaris
beneficio *Rupertus* redemit. Hæc vsque in
annum 1290., quo noui in Austria, & Sti-
LXXXIV. ria motus. *Rudolphus* ad compescendos
nouatores filium legauit *Albertum*, ei spectatæ
fidei, & probitatis viris adiunctis, quos
consiliorum moderatores esse iusserat. Ægrè
tulerunt Austriaci extraneos aulicos, veluti
eis homo deficeret. Propterea cum non
auderent in Principem, calumniabantur
ministros; quia opes emungerent Austria-
cas, vt in solum transferrent alienum. Hæc
mussitabant in vulgo, interea apertam re-
bellionem parabant, inito fœdere cum Re-
ge Bohemorum, *Ottone Bauaro*, Salisbur-
gensi Antistite, & Hungarorum Rege, qui
tamen auxilia non misit, quia fœdus teneret
cum *Alberto*, quamuis Gunsenses Comites
arma ferre non prohibuerit, cum posset.
Hisce paratis, *Albertum* petunt clamantes,
*vel suis permitterentur viuere legibus, vel
sibi consulturi.* Tum *Albertus* coniuratione
detectâ, antequam copiæ aduenirent auxi- an. 1290
liares, maturandum ratus, relictâ vrbe in
Cæcium montem (vulgo Calenbergam) se-
cedit, vrbis aditus præcludit, vt nihil com-
meatus inferri posset, nec Viennenses longè
ab vrbe discedere. Iamque tardè coniura-
tionis socijs progredientibus, in vrbe fame
cœptum laborari. Domos procerum con-
ueniunt artifices, annonam efflagitant; au-
xilia cum breui promitterentur futura; ver-
bis replicant ventrem non satiari. Vrgente
inedia, ad arma conuenitur, clamantes vel
panem darent, vel *Principem reuocarent*.
Proceribus cum deesset consilium, ciues
Abbatem Scotorum rogatum mittunt *Al-
bertum*, penitentibus veniam daret. Pergit
Abbas, & intercessione Principis *Elisabe-
thæ*, ad ignoscendum proniorem facit. Se-
quuntur Viennenses capite, & nudo pede,
ac in genua prolapsi, perfidiæ deprecantur
pœnas. Miserabili aspectu motus *Albertus*,
ea conditione indulget, vt priuilegia omnia LXXXV. *Mulctat Viennenses.*
illi tradant: Exequuntur. Accepta legi iu-
bet, & quæ sibi vel posteris aduersa credi-
dit, coram Senatu discerpsit.

RODVLPHVS OBIT. An. 1291.

LXXXVI. *Albertū petit successorem.* Viennæ *Alberto* gerente, *Rudolphus* pa-
ter senio propè cōfectus, de *Alberto* filio
successore declarando cum Principibus age-
re cæpit, in comitijs Francofurti; quod cum
non impetraret, sedatè tulit repulsam, vo-
lens primum sibi imperare. Negat *Roo* R.
Francofurtum venisse *Rudolphum*, sed in iti-
nere febri implicatum Confessori suo, qui
Cæsarem quotidie comitabatur, dixisse *Spi-
LXXXVII ram pergamus, eò me Reges conuenire oportet.*
Facetia Rudolphi. Iocari voluit etiam in morte, antecessores
suos Rom. Cæsares ibi sepultos intelligens.
Antequàm eò veniret, superatus magnitu-
dine morbi, decessit in oppido Germeshe-
im, die xv. Iulij: ait Trithemius. Alij 18.
Augusti. Alij 30. Septemb. Cum vixisset an-
nos 74. non completos. Fuit *Rudolphus* plu-
rimis virtutibus insignis Princeps, siue ani-
XIIC. *Forma corporis.* mi, siue corporis dotes inspicias. Forma
decora, digna imperio, artubus benè com-
pactis, capite mediocri, rara Cæsarie, naso
aquilino, barba venerabili, cibi potusq; mi-
ra moderatione, prudentia senili, magnitu-
dine imperiali, pietate ecclesiastica; qua-
tuordecim de hoste victorias retulit; vnde
Victoriosi nomen est consecutus.
Spiræ sepultus hanc habet inscriptionem LXXXIX. *Cognomen.*

Anno Domini MCCLXXXXI.
Pridie Calendas Octobris obijt
Rudolphus Rex.

Argentinenses honoris causa statuam e- XC.
questrem lapideam, supra postremum in-
troitum summi templi posuere, cum inscri-
ptione *Rudolphus, Comes de Habspurg, Rex* XCI. *Symbolum.*
Romanorum. dictum eius fuit: *Prudentiâ
gubernantur regiones: quarum limites tyran-
nide non vnquam extenduntur.* Vnde sæpè
ad aulicos. *Melius benè imperare, quàm im-
perium ampliare.*

Aliud Symbolum.

Erat manus armata cum Sparo, armorum
genere, & Oliuæ ramo, sub lemate *Vtrum
libet*, idest bellum aut pacem accipite.
Inscriptio sepulcralis

Montis Auentini Comes Alsatiæq; Rudolphus, XCII.
Et decus, & gentis gloria prima meæ.

Quam benè labentis suscepi pondera regni:
Quando fremit motu Teutona terra graui.
Fluctuat Imperij certo sine rege potestas,
Acta per æquoreas vt vaga nauis aquas.
Pace fui felix, felixque potentibus armis.
Testantur patriæ me pia facta patrem.
Tyrigetæ, Sueui, socijque Bohemi
Edomiti, vires edidicere meas.
Pacatis morior rebus, bellique, domique:
Pro meritis cælum Dij tribuere mihi.

Reusnerus.

LEGES,

De Diplomatibus, & Instrumentis linguâ Germanica concipiendis.

OMnia mandata, edicta, priuilegia, pacta, dotalia, contractus, & id genus alia scripta, & instrumenta Theutonicâ linguâ, & non vt antea in Latina, concipiantur.

DECRETVM.

De iure eligendi Imperatorem in Regem Bohemiæ, & Ducem Bauariæ contruerso.

RVDOLFVS Dei gratia *Romanorum Rex Semper-Augustus, vniuersis præsentia inspecturis in perpetuum declaramus, quòd præsidentibus nobis Curiæ apud Augustam Idibus Maij. solemniter celebratæ, & constitutis ibidem in præsentia nostra Illustrium Principum Ottockari Regis Bohemiæ Nuncijs, & Henrici Ducis Bauariæ Procuratoribus, subortaque inter eos quæstione, super quasi possessione iuris eligendi Romanorum Regem per Procuratores, dicti Ducis Henrici, & Illustrem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bauariæ, filium nostrum charissimum, fuit propositum, ratione Ducatus Bauariæ hoc eis competere ex antiquo. Idemque noster filius Ludouicus coram nobis, cunctisque Principibus, Prælatis, Baronibus, Militibus, & vniuerso populo, qui eidem Curiæ assidebant, extitit publicè protestatus, quòd prædictus Dux Heinricus frater ipsius, olim electioni Inclyti Ricardi Romanorum Regis, nostri prædecessoris, vnà cum ipso præsentialiter eum cæteris Principibus Coelectoribus interfuit, & in eum vterque direxit legaliter votum suum, eundem in Romanum Regem vnà cum alijs Conprincipibus ius in hoc habentibus eligendo.*

2. *Deinde verò electionis tempore apud Franchanfurte de nobis ab omnibus Principibus ius in electione habentibus concorditer celebratæ, per Nuncios, & Procuratores eiusdem Ducis Henrici, videlicet Henricum Præpositum Oetingensem, & Fridericum Rectorem Ecclesiæ de Landshuet, ipsius absentiam propter impedimenta legitima legitimè excusantes, præsente Venerabili Berchtoldo Babenbergensi Episcopo, Procuratore prædicti Regis Bohemiæ, & contradicente quidem ipsis Procuratoribus, sed ipsius contradictione à Principibus Electoribus omnibus, tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus, non admissa, in dictum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni nostrum filium, vnà cum alijs Principibus omnibus, qui in nos direxerant sua vota, prout iam dicti Procuratores in mandatis receperant, concorditer extitit compromissum, qui commissum huiusmodi in se recipiens, suo & dicti Henrici Ducis fratris sui, ac omnium aliorum Principum ius in electione habentium auctoritate, & nomine, in Romanum Regem solemniter nos elegit, vocibus eorundem fratrum Ducum Bauariæ, Comitum Palatinorum Rheni, ratione Ducatus pro vna in Septem Principum ius in electione Regis Romani habentium numero computatis; prout etiam in prædicta Curia Augustensi vina nostræ vocis eloquio, vtrique ipsorum, in præsentia Nunciorum præfati Regis Bohemiæ, videlicet Venerabili VVernhardo Seckouensi Episcopo, Magistro Henrico Præposito VVerdensi, N. Commendatore Domus Theutonicæ per Austriam, & VVolfingo Magistro Hospitali S. Ioannis de Muurperge, ac omnium ibidem præsentium Principum, Prælatorum ac Baronum recognouimus, & recognoscimus manifestè. In huius rei testimonium, & perennem memoriam prædictorum, præsentes eis literas donauimus, nostro Regali sigillo, necnon subscriptorum testium sigillis munitas. Qui sunt.*

Hartmannus Augustens
Hiltprandus Eistetensis } *Episcopus.*
Henricus Tridentinus.

N. de

N. de Sancto Gallo }
N. de Augea } Abbates.
Rudolfus Cancellarius noster.
Ex Laicis verò filius noster Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ.
Philippus Dux Karinthiæ.
Meinhardus Comes Tyrolensis.
Fridericus Burgrauius de Nurnberg.
Henricus Marchio de Burgaue.
Vlricus de Helfestain, }
Ludouicus de Oetingen }
Albert. & Burchard. de Hochenberg } Comites.
Henricus de Furstenberg }
Tybaldus de Pirreto }
& Ludouicus de Honburg }
Henric. & Berchtoldus de Niffen }
Albertus de Pruckbereh }
Hermanus de Haginberch }
Volkmarus de Chemnaten } Barones.
& Marquartus filius suus }
VVinardus de Rorbach }
Henricus de Prisingen, }
& alij quamplures. Actum & datum Augustæ, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, Regni verò nostri anno secundo.

PRINCIPVM ELECTORVM S. ROMANI IMPERII DIPLOMA.

Quo ratificantur donationes Pontifici Romano factæ à RODVLPHO IMPERATORE.

LVDOVICVS Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ; Ioannes & Adalbertus Duces Saxoniæ; Otto Marchio Brandeburgensis, vniuersis præsentem paginam inspecturis salutem in Auctore salutis.

1. Complectens ab olim sibi Romana mater Ecclesia, quadam quasi germana charitate Germaniam, illam coterrenæ dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen temporaliter tantùm præsidentium super terram, plantans in ea Principes tanquam arbores prælectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum tam mirandæ potentiæ, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem illum, qui fræna Romani Imperij teneret, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiæ per luminare maius Christi Vicarium illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit, & conuertit, vt eius præsidio pastorum pastor adiutus, oues sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet, & corrigat ad vindictam malefactorum, laudem verò credentium, & bonorum.

2. Vt igitur omnis materia dissensionis & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiam, & Imperium auferantur, & duo gladij in domo Domini constituti debito fœdere copulati seipsos exerceant, in vtilem reformationem regiminis vniuersi, & nos in actu voluntatis, & operis inueniamur filij deuotionis, & pacis, qui tàm Ecclesiam, quàm Imperium confouere tenemur: quidquid per Dominum nostrum Rodulphum Dei gratia Romanorum Regem semper Augustum sanctissimo patri, & Domino nostro Nicolao Papæ Tertio, eiusdemque successoribus, & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum, denuò donatum, declaratum siue concessum, iuratum, & actum seu factum est per priuilegia, vel quæcumque alia scripta quorumcunque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innouationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus, & factis seu gestis tam aliorum Imperatorum, & Regum Romanorum, Prædecessorum Regis eiusdem, quàm ipsius Regis super fidelitate, obedientia, honorificentia per Romanos Imperatores, & Reges Romanis Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ impendendis, ac possessionibus, honoribus, & iuribus eiusdem Ecclesiæ, & nominatim super totam terram, quæ est à Radicofano vsque Ceperarum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitissæ Mathildis, Ciuitate Rauennæ, & AEmilia, Bobio, Cesena, Foropopuli, Foroliuij, Fauentia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Vrbino, Monteferetro, territorio Balnensi, Comitatu Brectonorij, Exarchatu Rauennæ, Pentapoli, Massa Trabaria cum adiicientibus terris suis, & omnibus alijs ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territorijs, atque insulis in terra marique, Prouincijs, Ciuitatibus, territorijs ad prædicta quoquo modo spectantibus, nec non super

per ciuitate Romana, & Regno Siciliæ, cum omnibus ad eam spectantibus tam citra Pharum quàm vltra, Corsica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac iuribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, nos nostri nomine Principatus in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus, ac iisdem omnibus, & singulis, & quibuscumque aliis super iisdem per eundem Regem quoquo modo factis, & in posterum faciendis voluntatem nostram, assensum, atque consensum, vnanimiter atque concorditer exhibemus, & promittimus, quòd contra promissa, vel aliquod promissorum nullo vnquam tempore veniemus; sed ea omnia, & singula pro posse nostro procurabimus inuiolabiliter obseruari. Et vt hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus, atque promissio à nobis eisdem Romanis Pontificibus, & Ecclesiæ in perpetuum obseruentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorumque sigillorum munimine roboratum.

Actum, & datum anno Domini millesimo, ducentesimo, septuagesimo nono, decimoquarto Kalend. Aprilis, Indictione septima, regnante prædicto Domino nostro Rodulpho Romanorum Rege glorioso, regni eius anno sexto.

RVDOLPHI IMPERATORIS DECRETVM.

In actione empti, & venditi Castri Beckelheimensis; vertente inter Archiepiscopum Moguntinum, & Comites Sponheimenses.

RODOLPHVS *Dei gratia Rex Romanorum Semper-Augustus, notum facimus vniuersis, ac singulis has literas lecturis aut legi audituris; Quòd nos omnem discordiam, litem, & contentionem, quæ fuerunt inter dilectos Principes nostros, VVernherum Archiepiscopum Moguntinum, Ecclesiam suam, Henricum fratrem Comitem de Sponheim, cum omnibus amicis, & auxiliariis eorum, partibus ex altera, complanauimus, concordauimus, & pacificauimus integraliter, perfectè, ac in perpetuum super omnibus factis commissis, & perpetratis, in toto tempore illo, quo discordia inter eos cœpit, & durauit, in hunc modum.*

2. *In primis Castro Beckelnheim, castrensibus hominibus, & bonis, quæ præfatus Archiepiscopus emerat, sicut habetur in literis diuisionis inter Comitem Joannem, & Henricum fratrem eius factæ, renunciauit prædictus Comes Ioannes, cum vxore, & fratre suo Euerardo, pro se, & cunctis hæredibus suis, coram nobis in perpetuum: debetque meo iudicio, sub quo dicta bona constare noscuntur, facere omnia, & singula, quæ ordo iuris cum VVarandia expostulat. Comes Henricus sua tertia parte ibidem debet esse contentus, quemadmodum hucusque tenuit eandem; & Archiepiscopus cum Ecclesia Moguntina in duabus partibus, quas ei vendidit Henricus frater Comitis Ioannis, sine alicuius eorum molestatione in possessione quieta permanebit.*

3. *Captiui omnes facto iureiurando pacis, vt moris est, liberi dimissi sunt.*

4. *Omnia præscripta Ioannes, & Henricus Comites de Sponheim, se firmiter obseruaturos, super sancta Dei Euangelia iurauerunt. Quòd si hanc concordiæ, & pacis nostram compositionem ad iniuriam Archiepiscopi, & Ecclesiæ Moguntinæ præfati Comites violare præsumpserint, tunc nos vnà cum Ciuitatibus Regni Francofordia, Fridburg, VVetzlaria, Geilenhausen, Oppenheim, VVesalia, ac Bopardia, & ipse nobiscum aduersus eos, sæpedicto Archiepiscopo, & Ecclesiæ eius auxilium ferentes, assistentiam faciemus. Contra hæc auxilium ferre præfatis Comitibus Ioanni, & Henrico non debebunt Fridericus Comes de Liningen, neque filius eius, neque Euerhardus Comes de Katzenellenbogen, neque Emicho Comes de Liningen, seu aliquis eorum, aduersus Archiepiscopum, & Ecclesiam Moguntinam.*

5. *Hanc autem concordiæ, & pacis compositionem de consensu, & bona voluntate præfatorum, Archiepiscopi Moguntini, & Comitum Ioannis, & Henrici de Sponheim fecimus, & ad instantiam eorundem sigillum nostrum Regium, vnà cum sigillis eorum, & Friderici Comitis de Liningen, & Euerhardi Comitis de Katzenelnbogen, his literis fecimus appendi. Actum Moguntiæ, anno Domini MCC. LXXXI. in profesto S. Luciæ.*

De

De distinctis Burgrauij, & Senatus Populique Ciuitatis iuribus, eorumque concordia, & integritate.

NOs RVDOLPHVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, ad vniuersorum Sacri Imperij Romani fidelium, tam præsentium, quam futurorum, notitiam tenore præsentium volumus peruenire, quòd nos inter nostros fideles Milites Castrenses, & Ciues de Fridberg ordinationem, concordiam, & securitatem fecimus cum consensu, & voluntate partis vtriusque in hunc modum.

1. *Quod Ciues Castrum in Fridberg nunquam destruent, nec Castrenses de Castro expellent, nec Castrum capient, nec recipient, nec retinebunt, nec talia volentibus facere consilium, auxilium, seu fauorem præstabunt.*

2. *Milites etiam ciuitatem Fridberg nunquam destruent, nec de ciuitate ipsos ciues expellent, nec capient, nec recipient, nec insultum communiter in ciuitatem facient, nec talia volentibus facere consilium, auxilium seu fauorem præstabunt.*

3. *Et si milites Castrenses contra Ciues, vel Ciuitatem prædictam aliquid fecerint prædictorum, tunc ipso facto omnibus libertatibus, & tam feudis Castrensibus, quàm alijs, & omnibus honoribus, & iuribus, quæ vel quos ab Imperio tenuerunt, perpetuò carebunt: & in se elegerunt Domini Papæ excommunicationem, & nostram proscriptionem faciendam, quando Ciues hoc duxerint requirendum. Et si Ciues contra Castrenses Milites, vel Castrum aliquid fecerint prædictorum, tunc ipso facto omnibus libertatibus, feudis, & omnibus honoribus, & iuribus, quæ, vel quos ab Imperio tenuerunt, perpetuò carebunt: & in se elegerunt Domini Papæ excommunicationem, & nostram proscriptionem faciendam, quando Milites Castrenses hoc duxerint requirendum.*

4. *Adiectum est etiam, quòd si inter prædictos Milites, & Ciues, vel eorum familiam aliquæ rixæ, vel contentiones, seu pugnæ surrexerint, hoc iudicari debet secundum, quod in ipsa Ciuitate à retroactis temporibus est consuetum.*

5. *Promiserunt insuper ex vtraque parte, quòd postquam nos viam vniuersæ carnis ingressi fuimus, ipsi Castrenses Milites nullum ad Castrum prædictum intromittent, per quem ipsi Ciues, vel eorum Ciuitas lædi valeat, vel offendi: hoc etiam ipsi Ciues Militibus facient è conuerso, donec nouus Rex creatus fuerit, cui tam Castrenses, quàm Ciues faciant, vt tenentur.*

6. *Et nos tàm Ciues, quàm Castrenses Milites, vt prædicta per nos inuiolabiliter obseruentur, vnà cum Sigillo Serenissimi Domini nostri prædicti Regis, sigilla nostra duximus præsentibus appendenda. Et nos Rudolphus Romanorum Rex sigillo nostro præsentem paginam fecimus communiri. Datum Moguntiæ idus Iulij, Indictione XIII. Anno Domini MCC. LXXXV. Regni nostri anno XII.*

RESCRIPTVM.

Vt de Ciuibus Imperij nemo seruilis conditionis, tanquam in homines liberos, iudicare possit.

RODOLPHVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, prudentibus viris, vniuersis hominibus vallis in Sutz, liberæ conditionis existentibus, dilectis suis fidelibus gratiam suam, & omne bonum. Inconueniens nostra reputat Serenitas, quòd aliquis seruilis conditionis existens pro Iudice vobis detur. Propter quod auctoritate Regia volumus, vt nulli hominum, qui seruilis conditionis extiterit, de vobis de cætero iudicia liceat aliqualiter exercere, præsentium testimonio litterarum, quas nostræ Maiestatis sigillo iussimus muniri. Datum in Baden, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, Regni verò decimo octauo.

CONSTITVTIO.

De iure Electoratus in Romano Imperio Regibus Bohemiæ competente.

RVdolphus Dei gratia Rom. Rex semper Augustus vniuersi Sacri Imperij Romani fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum.

Quar-

1. *Quantò iura personarum prodierint in lucem notitia clariore, tantò liquidius posteritati successuræ materia tollitur altercandi. Inquisitionis igitur circumspectæ præhabita indagine, scrutinioque solerti scire desiderauimus, quid quantumue iuris in Romano competat Imperio, & in electione Romanorum Regis, futuri Imperatoris, inclyto Regi Bohemiæ, Principi, & filio nostro charissimo, & hæredibus ipsius. Quo facto, Principum, Baronum, Nobilium, & Procerum Imperij, nec non veteranorum communi assertione, & concordi testimonio comperimus assonante, ipsum Regem Bohemiæ, Imperij debere Pincernam existere, & ius ac officium Pincernatus apud eum, nec non eius heredes, iure hæreditario residere.*

2. *Extitit etiam dilucidè declaratum, prædictum Regem Bohemiæ, & suos hæredes, in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, cum cæteris Electoribus habere debere, ad similitudinem aliorum Electorum, eligendi plenarium ius, & vocem.*

3. *Hæc verò iura Pincernatus, & Electoratus, nedum dicto Regi, & suis hæredibus dicimus competere, sed etiam suis progenitoribus, ab auis, atauis, proauis, & auis, purè plenissimè competebant.*

4. *Volentes itaque dicti Regis, & heredum suorum dispendijs cauere, ius & officium Pincernatus in Imperio sibi, & heredibus eius, & non alij, competere, & in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, habere ius, & vocem, clarè recognoscimus, approbamus, & præsentium testimonio profitemur.*

5. *Si quid autem diminutionis, vel calumniæ, quod non credimus, cauillosè, malitiosè, vel subdole possit opponi, supplemus de plenitudine Regiæ potestatis. In cuius rei testimonium præsens scriptum Maiestatis nostræ sigillo fecimus communiri. Datum Erfordiæ, VI. Kalend. Octobris, Indictione tertia, anno Domini MCCXC. Regni verò nostri anno XVII.*

RODVLPHI I. IMPERATORIS
Cadauer sepultum est Spiræ, cum hac inscriptione

Anno Domini MCCLXXXXI. Pridie Cal. Octob. obijt Rudolphus Rex.

Epitaphium ex Sabino

Composuit mitis ciuilia bella Rodolphus,
Temporibus pacem restituitque suis.
Marte Doringiacas latronum subruit arces,
Aduena frugiferos qua Sala findit agros,
Vltus & est iustis Othocarum fortiter armis,
Regna sub arbitrio Vandala cuius erant.
Boiorumque ducem domuit, Sueuumq; ferocem.
Qui duo cum gemino cornua pisce gerit.
Norica finitimis iacet vrbs contermina Fräcis,
Diuitijs vsquam vix habet illa parem.
Huius honorificum titulum nomenq; Rodolphus
Principibus dono, cum regione dedit.
Qui piscosa tua dominantur Marchia terra,
Ac titulos hodie Noridos vrbis habent.



Monetam auream Rodulphi. I. Imp. vide pag. 4. supra.

C A-

CAPVT TERTIVM

Ottocari superbia, ad pedes humiliata Rudolphi Imperatoris, præsentem excitat titulum.

REGES ADORANDI.

4. 16. *Reges dij.* 8. *Regis dignitas.* 9. *Dei imago.* 10. *in Rege Deus adoratur.* 11. *dignitas* Regis *sancta.* 12. Regia *potestas diuina.* 13. *Honoris filia. Deo proxima.* 14. *in sinu Iouis educatur.* 15. *tituli diuini* Regi *dantur.* 18. Regis *munus.* 19. *à Deo est, sed super omnes.* 21. *Dei gratia dicuntur electi.* 22. *sola maiestate tuentur.* 23. *per vnctionem renascitur.* 24. *cor* Regis *in manu Dei.* 25. *Duo Angeli custodiunt* Regem *eum vnus hominem* 26. 32. *Dei simulachrum.* 27. Regum *superbia.* 28. 1. 33. 37. Rex *adorandus.* 29. Regum *imagines honorandæ.* 30. *sunt ciuitatis munimen.* 34. Regis *tabernaculum, velut altare.* 38. *quomodò adorandi.* 45. *ab Episcopis adorari prohibiti.* 49. *irrideatur, si nimiū honorentur.*

5. *Adoratio cui competat.* 28. 33. *adorationis exempla.* 35. *duplex est adoratio.* 37. *adorare verbum equiuocum.* 38. *adoratio triplex.* 40. *adorare minùs quam colere.* 41. *homini an cōpetat.* 42. *Adoratio Regalis, et Pōtificia distāt.* 47. *adorare idē est ac honorare.*

6. *Alex. Macedo adorari voluit.* 7. *adulatores spernit.*

20. *Imperator omnibus præcedit.*

21. *Maiestas quid.*

40. *Sacrificium soli Deo competis.*

44. *Pontifex a Regibus adoratur.*

48. *Homo adoratur.*

I. *Verbum Adorandi sigillatur à quodam anonymo contra Auctorem.*

OTtocari superbia ad genua Imperatoris R*udolphi* prouoluta. non tam Austriæ succollat triumphos, quàm Regum arguit obtrectatores, qui vno in verbo *Adorandi* à me exarato in dedicatoria *libri* 1. *Monarchiæ Occidentalis ad Ludouicum Francorum* Regem, mordentes vocabulum, Reges omnes sugillarunt. Victus à R*udolpho* Imperatore *Ottocarus*, Bohemiæ Rex potentissimus, vt sibi conciliaret victorem, fidem obtulit, & de more, Bohemiæ regnum accepturus in feudum promisit, ea conditione tamen, ne spectante milite, cogeretur

II. *Ottocarus genua flectit coram Rudolpho.*

Cæsarem venerari. Annuit R*udolphus*: cumque venisset *Ottocarus*, in genua procidens; iussit Imperator tentorium, in quo res gerebatur, subitò pandi, & reuelari, vt ab omnibus *geniculans Ottocarus* conspici posset. Huc prouoco, qui me Regiam insimularunt adorantem Maiestatem. Rex quia *Ligius*, si coram Imperatore procumbit, cur homo coram supremâ Mundi stabit Maiestate?

III. Apage diuinitatis hostis, nec Deos impedi venerantem. Regiam *adoraui* Maiestatem, ea cordis simplicitate, quam in cordibus hominum innocentia exarauit; & præter assentationis lenocinia impulit obedientia, quæ Deo, & Dijs hominem traxit in timorem, & in honorem. At quid insolitum, & iniucundum; si Regicidas audio. Reges, *Deos*? propterea adoraui. Ni *Deos* crederem, non adorassem. Cum *Deos* profitear, *adoraui*. IV.

Subijcite itaque, *Subijcite colla vestra iugo* Hier. 27
Regis *Babylonis*: *& seruite ei, & populo,* n. 12.
& viuetis. Quærite pacem ciuitatis, ad quas 29. n. 7.
deportaui vos, & orate prò ea Dominum: nam
in pace illius vobis erit pax. Ad Hebræos ser- V.
mo dirigitur. Quod si tyranno Babylonico iubentur colla subdere, quanto plura Regibus debemus legitimis, quos *Deos* resonat Increata Sapientia, *Vos dij terræ estis, & dij excelsi omnes*. Non quòd mortalium sit diui- VI. *M. Alex. superbi a*
nitatem largiri, & homines Cœlo locare, vt de Alexandro legimus, qui non tantum *Iouis filius* voluit appellari, & Persarum more *Curtius*
prostratis humi corporibus à milite salutari; sed Deos ipsos Cœlo pellere, vt seipsum reponeret. Ita canebant, & adulabantur impij *Agis Argiuus, Chærilus, & Cleo Siculus*, assentantes Herculem, Bacchum cum Castore Pollucem nouo cessuros numini. Sic *Anaxander* philosophus ex adulatoribus Alexandri, iter quondam cum Rege agens, magno ac graui tonitruo facto, ita vt omnes expauissent. *Nunquid tu huiuscemodi fecisti*, ait, *Alexander Iouis*? Risit tum Alexan- *Satyrus*
der, & canis blandimenta derisit. *Nolo ita* *in vitis.* VII.
(inquit) *esse formidandus, vt tu me doces, qui*

Alex. assentatorē deludit. *satraparum Regumque capita abscissa ad me cœnantem adferri iubeam.* Longe fœda hæc assentatio, & impiorum vultus ab aulà fideli, & homine Christiano. Regem *Deum* dico, hoc est *Imaginem Dei* non superiorem, vel æqualem Deo; vt Cæsar, qui sibi nòceri, nec à Ioue posse putaret, imò se etiam Ioui nocere posse, autumaret. Vox adeò barbara, & inhumana (vt teste Seneca) horrisona bucina fuerit, quæ in eum coniuratos excitaret, & vltima videretur patientia, *cum ferret, qui Iouem non ferret.* Exuberat Prouidentia Superna, cum supra humani generis dignitatem Principem euehit, & tot priuilegijs cumulat, vt Creatori ipsi sit quasi venerabilis. Duo fecit Deus simulacra sui, in Cœlo Solem, in terris Regem, vt in eis fas sit, auctorem adorare. *Constat enim* (ait Petrus Blesensis) *quod in exhibendo Regibus, cæterisque huius ordinis potestatibus honore, Regem Regum, & dominum dominantium honorari. Qui potestatem honorat, Dei ordinationem, imò ipsum Deum honorat.* Sic qui Reges vituperat, ipsum Deum Regum authorem contemnit. Vnde est, quod Samueli dixit Deus. 1. *Reg.* 8. 7. *non te, sed me reiecerunt, ne regnem super eos.* Et Moyses Israelitis in se, & Aaronem obmurmurantibus, *non sunt aduersus nos murmura vestra, sed aduersus Dominum. Exod.* 16. 8. Regis persona esto profana; *Dignitas Regalis Sancta est,* & *Sanctum* clarà voce insonat Patriarcha, quùm sacro vnguento perlinit verticem Imperatoris in die coronationis eius: quam excipientes Cantores, ter pronuntiant; quod deinde populus similiter resonat *Sanctus.* Oportere meminisse Regem (aiebat Philippus Macedo) quòd homo existens, potestatem adeptus sit *diuinam*; vt res honestas, & diuinas instituat, sermone autem vtatur humano; Inde Maiestatem Cœlo delapsam finxere; ac vt Deam; Honoris, & reuerentiæ filiam voluere prisci. (*omnem*

Rex Imago Dei nō supra Deum.
VIII. *Lib. de ira. c. 16. Cæsaris superbia.*
IX.
X. *In Rege Deū adorā.*
XI. *Dignitas Regis Sācta.* *Io. Cantacuzen. lib. 1. c. 41.*
XII. *Diuina potestas Regis* *Stob. ser. 46.*

Hinc lata Maiestas, quæ Mundum temperat
Quaq; die partu est edita, magna fuit.
Ouid. *lib.* 5. *Fastorum.*

XIII. *Filia honoris.*

Deo proxima. Proximam Deo dixit Guntherus *Ligur.* 5.
Semper terribilis, semper metuenda, suoq;
Plena vigore manet, nulliq; impunè premēda
Creditur, & sēper cunctis, & vbiq; timetur.

XIV. *Tituli diuini Imperatori dati.*

Homerus in sinu Iouis, & vlnis dixit Reges educari; quo factum vt *diuinas* appellationes non rarò videamus Principibus adaptari; quodque *Numinis,* & *Oraculi* verbo exprimuntur. Hinc *Sacra, & Sancta* in Iure nostro audit Maiestas; & Imperator *Sacratissimus* Saluator, *in prohem. digestorum, & Codicis.* Præterea *diuini Numinis* aures *l. vlt. C. de acquir. possess.* Indignationem *Numinis sui. l. 2. C. de petit. bonorum. lib.* 10. Suam *adorandam* Serenitatem *l.* 1. *C. de silentiar. lib.* 10. Suam *perennitatem l.* 3. *C. de Ep. Audientia.* Atque etiam *Æternitatem. l. 2. de Fabricens. lib. ij.* Itemque *diuinam* suam domum. *l.* 2. *C. de quibus muner. vel præstat lib.* 10. Indulgentiam *diuinam,* *diuinos* affatus. *l.* 23. *Imperialis. C. de Nuptijs.* Oraculum *Cœleste l. iubemus.* 10. *C. de S. S. Eccles. l. in Criminal.* 5. *C de Iurisd. Omn. Iud. l.* 2. *C. de nautibus non excus. lib. ij.* Vel *diuinum, cit. l.* 2. *C. de petit. honor. lib.* 10. aut *sacrum l. & si legibus.* 5. *si contra ius, vel vtil. publ.* Non quod Principes humanæ fragilitatis parum memores, vt vult *Henricus Salmuthius decade* 1. *epigram.* 1. Deo, quod ipsius propriam, impiè eripere velint boni Principes; vel nos eorum superbiæ addamus stimulos; sed vt Dei se ministros intelligentes, Dei clementiam, iustitiam sequantur, & beneficentiam. Hæc illa deitas, quam subditis adorandam proponimus: & à Trinitate plasmata cæteris potentià præpolleat, quæ refertur ad patrem. sapientià ad filium; amore ad Spiritum Sanctum. Hæc illa deitas, quam in Principe suo *Eberardo* VVirtembergenses agnouerunt. Is Vrbes ditionis suæ circumeundo, & apud Ciues de Magistratus, & præfectorum integritate, apud peregrinos de hospitum fide diligenter inquirendo, tantùm sibi omnium comparauit amorem, vt subditi viuentem etiamnum inter Deos eo referrent præconio: *Nisi Deus, Deus esset; Dux noster Eberardus Deus esse posset.* Hic ille, qui in comitijs Principum, cum alij alia dictionum suarum bona prædicarent: *Ego vero* (inquit) *hoc solum glorior, quòd nullus ex subditis meis sit, in cuius sinu solus in vastissima sylua quiescere metuam.* Huc voco Principes, atque dynastas, quos omnes *Deos* dicam, Cœloque locabo, si eorum prudentia, ne quid decipiat, suis, prouidebit: fortitudo arcebit pericula; beneficentia augebit, ornabitque subiectos: eorumque imperare, officium erit non regnum. Nulli erit animus in iniuriam, vel causa

XV.
XVI. *Cur diuini dicti Princip.*
XVII. *Eberhardus VVirtemberg. quàm dilectus à subditis.*
XVIII. *Munus Regis.*

causa, si vtrique meminerint: *Rex per quem* XIX. *à Deo est, sed super omnes.* *cœperit posse*; Per me Reges regnant, & Principes iusta decernunt, Sapientia clamat Æterna: ex quo sequitur *Summam Maiestatem* primam esse, & suæ quasi originis: quippe cum à superiore nullo dependeat, nisi à solo Deo; qui eam proximè antecedit, & cuius vicem obtinet in hoc mundo.

Superiorem non agnoscit.

Nullum caput ista supra se
Aspicit, excepto Cœlorum Rege, potestas.

XX. *Imperat. præcedit omnibus Regibus.* Et de Imperatore Guntherus *lib.6. in Ligur.*

Cum tu cunctorum quos cernunt sydera Regũ
Maximus: & toto nulli cessurus in orbe.

& paulo post in persona Henrici Regis Angliæ ad Imperatorem Frider.

Sic tamen: hic vt tu, qui me cunctosq; per orbem
Præcellis Reges.

& paulo post.

Quam, quem toti Romana potentia Mundo
Imposuit Dominum, quẽ totus suspicit Orbis?

Vel vt legitur in orat. ad Carol.V.

Vis vltra? ast vltra non est, quò progrediaris,
Nil vltra est aquilas imperijque decus.

Vel cum alijs

Astra Deo nil maius habent, vel Cæsare terra:
Sic Cæsar terras, vt Deus astra tegit.

XXI. *Reges Dei gratia se dicunt electos.* Hinc Romani Imperatores profitentur passim, imperium sibi traditum accepisse à cælesti Maiestate, & Deum imperium omne constituere. *Nouell. 82. cap. 4. in fin. Nouell. 83. c. 1. l. 1. C. de Vet. iure enucle. l. final. Cod. de legib.* Romanorum olim Imperatores *Deorum prouidentia*; hodierni, *Dei gratia* se constitutos scripserunt, & adhuc scribunt. *Regia potest. quid.* Gregorius propterea Tholosanus *Maiestatem* non per *potentiam*, sed per *Venerationem* exprimit, dicens: *esse latens quidpiam, quod præter Naturam propriam, admirabile quidpiam reddit. 8. de Rep. c. 3. §. 2.* Sic Lipsius *lib. 2. polit. c. 16.* Maiestatem *reuerendam quandam amplitudinem* appellat. *Keckermanus* denique Maiestatem definit; quod sit vis quædam, per quam Princeps sibi conciliat in animis hominum singularem quandam *admirationem, & venerationem*, & cum vtraque coniunctum *metum*. Hac plurimi XXII. *Regalis maiestas, est veluti lorica Regi.* leguntur maiestate deterriti, & à proposito necandi Reges reuocati. *Emericus* Hungarorum Rex bello petitus iniusto ab Andrea fratre, cum literis, neque internuncijs eum, conciliare potuisset, aciem instruit inuitus. Iam tuba tonabat classicum, & signa mouebantur in hostem. Vbi Emericus, ne cognati sanguinis auctor esset, armis depositis, ornatus diademate, sceptrum gestans, solus per medias fratris acies incedens, exclamat. *Quis tandem erit, nunc agite milites, qui Sacrosanctum Regum sanguini manum ausit inijcere. Quis erit denique, qui Regiam Maiestatem, quæ à Deo est, vi aliqua fœdare audeat? Quum se ipsi quoque Reges pensatâ dignitate, vel inuiti colere, ac revereri cogantur. Non Emericus sum, non homo priuatus, sed Dei vicarius, publicam personam gerens, quia non tam vestra suffragia, & hæreditaria iura, quàm diui, ac sacra huiusce coronæ numen, me Vngariæ Regem præstitere. In quem igitur miseri arma sumpsistis? in me, vel in Dei vicarium. Si in me quando homo sum, siccarij estis, & homicidæ; si in Regem prophani parricidæ estis. Non cum mortali vobis res est, miseri, sed cum eo, cui præ diuina dignitatem, supra mortalitatem aliquid accedit. Sub Omnipotentis Dei tutela Reges degunt, quorum læsa maiestas vix populorum exitio expiari potest. Ego quoque inermis inter infesta arma progredior, quando hæc corona data diuinitùs me inter furentum studia satis tutum efficit. Videte quem læseritis, & ne in caput vestrum, ac filiorum sanguinem haurire sanctum prospicite.* His dictis, omnium animi vsque adeo mutati XXIII. *Per vnctionem Regia homo renascitur.* sunt, vt confestim arma posuerint, certatim quisque veniam implorarit insolentissimæ pertæsus audaciæ, quam plerique magnates, deprauatis studijs confouebant. Bonfinius. *Rer. Vngar. in Emerico.* Adstat illi Deus, quasi excubia ducens prò Rege, ne quis manum mittat in Christum suum. *Nolite tangere Christos meos.* Sua namque vnctione Deus Reges à vulgo hominum secreuit, ne cuiquam liceat illos, vel minimum attingere. Instar sepis illius, qua Iobum obsepserat, Regalis est vnctio, aut vt fines montis appositi, ne liceret accedere. Imò hæc vnctio tanti est momenti, vt per illam à Deo dicantur generari Reges: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Psalm. 2. 6.* Hinc Saul cum in Philistæos bellum suscepit, legitur *filius fuisse vnius anni. 1. Reg. 13. 1.* Quia à die vnctionis solùm annus effluxerat: Quasi tum natus esset, cum in Regem vnctus est, & mutatus in alium virum,

an. 1285 ximo suo incomodo; nam à Papa Episcopa-
tu exutus, rursus cucullam *recepit* Tuscula-
nus vix euadit, iussu Cæsaris in hospitium
deducitur ab æquitum Magistro. Miserat
etiam *Pinziuallam Fliscum Genuensem*,
Imperij Vicarium per Italiam ab se consti-
tutum, vt confirmaretur à Cæsare, cui as-
sensit *Rodulphus*, ægrè tamen patiens sacer-
dotem vsurpare quæ erant imperij: nullis
an. 1286 tamen Germanorum copijs auctum in Ita-
liam redire iussit: Legato paulò post *Henri-*
LXXIV. *Rudolph. Exarcha tū renunciat.* *co* Basiliensi Antistite, qui in mandatis dice-
batur habere, vt Pontifici Exarchatum re-
nunciaret Cæsaris nomine. Donare simu-
lans, quod armis retinere non poterat, dis-
sidio implicitus Germanorum. Henrico fe-
lix in vrbem aduentus fuit. Nam alternan-
tibus in Curia per triennium de Moguntino
Archiepiscopatu, *Petro Richio* Moguntino,
ac Basiliensi præposito, & *Gerardo Eppen-
Hainio* Archipresbytero Treuirensi, Ponti-
fex *Henricum* elegit, & confirmauit. Sic
fortuna ludens ex Monacho fecit Archiepi
scopum, ex pistoris filio in Septemuirum
electorem Imperij. Hoc ferè tempore Iu-
LXXV. *VVencesl. nuptiæ.* tha *Rudolphi* filia Bohemiam adijt, cum
qua *VVenceslaus* Bohemiæ Rex Pragæ nu-
ptias luxu plusquàm Regio celebrauit. Am-
bo Cæsaris filij *Rudolphus*, & *Albertus* comi-
tati sunt sponsam. Et centum millia homi-
num epulo quotidiano accepta feruntur.
LXXVI. Inter Sanctos Rex iste connumeratur. Huic
cum masculam prolem largitus esset Deus,
Egram profectus Cæsar, sacro adfuit baptis-
mati; eique paterno *VVenceslai* imposito *an.* 1286
nomine, Electoratus, & pincernæ confir-
mauit dignitatem in posteros transferen-
dam. Hæc vsque in annum 1288., quo bel- *Sal. An.* 1288.
lum inter *Petrum* Basileensem Antistitem, LXXVII.
& *Reginaldum* resuscitatur, in quo Basileen- *Bellum Burgun-*
ses numero potiùs quàm virtute victi, fugam *dum.*
ineunt. Ad Cæsarem accurrit *Petrus*. Cæ-
sar benè sperare iubet, suppetias exhibet,
non tam Episcopi causa, quàm Burgundi
odio, qui maiori prosequebatur obsequio
Gallorum Regem, quàm Cæsarem. Nec
vna belli flamma. In Austria *Rudolphus*
Salisburgensis Episc. synodo congregata, LXXVIII.
decreuerat, *ne quis Ecclesiasticus prfano ali-* *Bellum*
quo munere fungeretur. Notabantur hoc de- *Austria-*
creto Seuouiensis Episcopus, & Admontij *cum.*
cænobij Abbas Styriæ Præfectus. Decretum
ægrè tulit *Albertus*, quia *Rudolphus* tot ac
tantis à Cæsare beneficijs, aliquid in suorum
fraudem moliretur. Cœpit igitur nonnulla
Episcopi prædia: quæ res ipsi carò stetit.
Præter alia detrimenta, arx Pfandorha qua-
tuor turribus, prò istius æui ingenio firmiter
munita, haud procul à Iudenburgo expu-
gnata, & æquata solo: ciuitas Frisacensis vi
occupata, vastata flammis, exuta mœnibus.
Ne bellum prosequeretur, mors prohibuit LXXIX. *Obitus Sa-*
Archiepiscopo; cuius sedem tenuit *Conra-* *lisburg.*
dus Vansforsinis Ep. Lauantinus datus à *Ni-* *Archiep.*
colao IV. Pontif. Romano, reiecto *Stepha-*
no filio Henrici Boij Ducis, quem Canonici
postulauerant. *Rudolphi Salisburgensis* fu-
nus, secutus est obitus *Henrici Bauari*. *Henrici Boyolitus.*

EXPEDITIO BVRGVNDICA. An. 1289.

LXXX. *Rodulphi periculū.* INterim Cæsar necessarijs collectis pro
Burgundica expeditione, in Montē Bel-
gardum mouet, cuius dictionem primo ad-
uentu, occupauit non tamen sine periculo.
Paulò audacius, vt solebat, in hostem pro-
gressus, ab equo hastâ perfosso deijcitur: pe-
des aliquandiù pugnauit; vt autem hostium
multitudine obrui videret, armatus in la-
cum prosiliuit vicinum, & palo arrepto,
tandiu se se retinuit, donec ab *Hermanno
VValdeccio* adiutus, Friburgum. Nuit ho-
num deducitur. Inde Burgundiam ducens,
castra ad Vesontionem metatur. Accurrit
Rupertus, & prope *Dubim* amnem tentoria
ponit. Cæsar colle occupato vicino *Philip-
pi III.* Gallorum Regis legatos audit minan- LXXXI. *Legati Gallorū.*
tes, nisi abiret, Regem expectaret arma-
tum. *Veniat* (inquit Rudolphus,) *nos eius
aduentum hic præstolabimur. Videbit forsam
non tam facile esse, leges dare arma tenenti*.
Admonitus inde commeatum deficere, LXXXII.
facetè respondit: *se victorem hostium com-* *Rodulphi*
meatu potiturum. Cum verò milites iam *constātia.*
apertè tumultuari videret, postridie mane
obtulit, educturus in pugnam. Porrò ante-
quàm dies illuceret promissa, mille quin-
gentos Heluetios noctu eduxit, qui castra
hostilia aggressi, post multos trucidatos,
præda reuertuntur onusti. Inde tanta tre-
pidatio hostem inuasit, vt missis legatis
pacem

an. 1289 pacem peteret. Negauit *Rudolphus* verba
pacis audire ni prius absque pretio Basi-
leenses redderentur captiui. Quibus ab ho-
LXXXIII. ste manumissis, iussit *Ruperto* Cæsar resigna-
Albertus in Nouatores. re ditiones, quas iterum nouo Cæsaris
beneficio *Rupertus* redemit. Hæc vsque in
annum 1290., quo noui in Austria, & Sti-
LXXXIV. ria motus. *Rudolphus* ad compescendos
nouatores filium legauit *Albertum*, ei spectatæ
fidei, & probitatis viris adiunctis, quos
consiliorum moderatores esse iusserat. Ægrè
tulerunt Austriaei extraneos aulicos, veluti
eis homo deficeret. Propterea cum non
auderent in Principem, calumniabantur
ministros; quia opes emungerent Austria-
cas, vt in solum transferrent alienum. Hæc
mussitabant in vulgo, interea apertam re-
bellionem parabant, inito fœdere cum Re-
ge Bohemorum, *Ottone Bauaro*, Salisbur-
gensi Antistite, & Hungarorum Rege, qui
tamen auxilia non misit, quia fœdus teneret
cum *Alberto*, quamuis Gunsenses Comites
arma ferre non prohibuerit, cum posset.
Hisce paratis, *Albertum* petunt clamantes,
*vel suis permitterentur viuere legibus, vel
sibi consulturi*. Tum *Albertus* coniuratione
detectâ, antequam copiæ aduenirent auxi- an. 1290
liares, maturandum ratus, relictâ vrbe in
Cæcium montem (vulgo Calenbergam) se-
cedit, vrbis aditus præcludit, vt nihil com-
meatus inferri posset, nec Viennenses longè
ab vrbe discedere. Iamque tardè coniura-
tionis socijs progredientibus, in vrbe fame
cœptum laborari. Domos procerum con-
ueniunt artifices, annonam efflagitant; au-
xilia cum breui promitterentur futura; ver-
bis replicant ventrem non satiari. Vrgente
inedia, ad arma conuenitur, clamantes vel
panem darent, vel *Principem reuocarent*.
Proceribus cum deesset consilium, ciues
Abbatem Scotorum rogatum mittunt *Al-
bertum*, penitentibus veniam daret. Pergit
Abbas, & intercessione Principis *Elisabe-
thæ*, ad ignoscendum proniorem facit. Se-
quuntur Viennenses capite, & nudo pede,
ac in genua prolapsi, perfidiæ deprecantur
pœnas. Miserabili aspectu motus *Albertus*,
ea conditione indulget, vt priuilegia omnia LXXXV. *Mulctat*
illi tradant: Exequuntur. Accepta legi in- *Viennenses.*
bet, & quæ sibi vel posteris aduersa credi-
dit, coram Senatu discerpsit.

RODVLPHVS OBIIT. An. 1291.

LXXXVI. *Albertus petit successorem.* Viennæ *Alberto* gerente, *Rudolphus* pa-
ter senio propè confectus, de *Alberto* filio
successore declarando cum Principibus age-
re cœpit, in comitijs Francofurti; quod cum
non impetraret, sedatè tulit repulsam, vo-
lens primum sibi imperare. Negat *Roo* R.
Francofurtum venisse *Rudolphum*, sed in iti-
nere febri implicatum Confessori suo, qui
Cæsarem quotidie comitabatur, dixisse *Spi-*
LXXXVII *ram pergamus, ò me Reges conuenire oportet.*
Facetia Rudolphi. Iocari voluit etiam in morte, antecessores
suos Rom. Cæsares ibi sepultos intelligens.
Antequàm eò veniret, superatus magnitu-
dine morbi, decessit in oppido Germeshe-
im, die xv. Iulij: ait Trithemius. Alij 18.
Augusti. Alij 30. Septemb. Cum vixisset an-
nos 74. non completos. Fuit *Rudolphus* plu-
rimis virtutibus insignis Princeps, siue ani-
XIIC. *Forma corporis.* mi, siue corporis dotes inspicias. Forma
decora, digna imperio, artubus benè com-
pactis, capite mediocri, rara Cæsarie, naso
aquilino, barba venerabili, cibi potusq; mi-
ra moderatione, prudentia senili, magnitu-
dine imperiali, pietate ecclesiastica; qua-
tuordecim de hoste victorias retulit; vnde
Victoriosi nomen est consecutus.
Spiræ sepultus hanc habet inscriptionem LXXXIX. *Cognomen.*
Anno Domini MCCLXXXXI.
Pridie Calendas Octobris obijt
Rudolphus Rex.
Argentinenses honoris causa statuam e- XC.
questrem lapideam, supra postremum in-
troitum summi templi posuere, cum inscri-
ptione *Rudolphus, Comes de Habspurg, Rex* XCI. *Symbolum.*
Romanorum. dictum eius fuit: *Prudentiâ
gubernantur regiones: quarum limites tyran-
nide non vnquam extenduntur*. Vnde sæpè
ad aulicos. *Melius benè imperare, quàm im-
perium ampliare*.
Aliud Symbolum.
Erat manus armata cum Sparo, armorum
genere, & Oliuæ ramo, sub lemate *Vtrum
libet*, idest bellum aut pacem accipite.
Inscriptio sepulcralis
Montis Auentini Comes Alsatiæq; Rudolphus, XCII.
Et decus, & gentis gloria prima meæ.

Quam benè labentis suscepi pondera regni:
Quando fremit motu Teutona terra graui.
Fluctuat Imperij certo sine rege potestas,
Acta per aequoreas vt vaga nauis aquas.
Pace fui felix, felixque potentibus armis.
Testantur patria me pia facta patrem.
Tyrigetae, Sueui, sociique Bohemi
Edomiti, vires edidicere meas.
Pacatis morior rebus, bellique, domique:
Pro meritis coelum Dij tribuere mihi.

Reusnerus.

LEGES,

De Diplomatibus, & Instrumentis linguà Germanica concipiendis.

OMnia mandata, edicta, priuilegia, pacta, dotalia, contractus, & id genus alia scripta, & instrumenta Theutonicâ linguâ, & non vt antea in Latina, concipiantur.

DECRETVM.

De iure eligendi Imperatorem in Regem Bohemiae, & Ducem Bauariae contrà uerso.

RVDOLFVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, vniuersis praesentia inspecturis in perpetuum declaramus, quòd praesidentibus nobis Curiae apud Augustam Idibus Maij. solemniter celebratae, & constitutis ibidem in praesentia nostra Illustrium Principum Ottockari Regis Bohemiae Nuncijs, & Henrici Ducis Bauariae Procuratoribus, subortaque inter eos quaestione, super quasi possessione iuris eligendi Romanorum Regem per Procuratores, dicti Ducis Henrici, & Illustrem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni Ducem Bauariae, filium nostrum charissimum, fuit propositum, ratione Ducatus Bauariae hoc eis competere ex antiquo. Idemque noster filius Ludouicus coram nobis, cunctisque Principibus, Praelatis, Baronibus, Militibus, & vniuerso populo, qui eidem Curiae assidebant, extitit publicè protestatus, quòd praedictus Dux Heinricus frater ipsius, olim electioni Inclyti Ricardi Romanorum Regis, nostri praedecessoris, vnà cum ipso praesentialiter cum caeteris Principibus Coelectoribus interfuit, & in eum vterque direxit legaliter votum suum, eundem in Romanum Regem vnà cum alijs Conprincipibus ius in hoc habentibus eligendo.

2. Deinde verò electionis tempore apud Franchanfurte de nobis ab omnibus Principibus ius in electione habentibus concorditer celebrata, per Nuncios, & Procuratores eiusdem Ducis Henrici, videlicet Henricum Praepositum Oetingensem, & Fridericum Rectorem Ecclesiae de Landshuet, ipsius absentiam propter impedimenta legitima legitimè excusantes, praesente Venerabili Berchtoldo Babenbergensi Episcopo, Procuratore praedicti Regis Bohemiae, & contradicente quidem ipsis Procuratoribus, sed ipsius contradictione à Principibus Electoribus omnibus, tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus, non admissa, in dictum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni nostrum filium, vnà cum alijs Principibus omnibus, qui in nos direxerant sua vota, prout iam dicti Procuratores in mandatis receperant, concorditer extitit compromissum, qui commissum huiusmodi in se recipiens, suo & dicti Henrici Ducis fratris sui, ac omnium aliorum Principum ius in electione habentium auctoritate, & nomine, in Romanum Regem solemniter nos elegit, vocibus eorundem fratrum Ducum Bauariae, Comitum Palatinorum Rheni, ratione Ducatus pro vna in Septem Principum ius in electione Regis Romani habentium numero computatis; prout etiam in praedicta Curia Augustensi viua nostrae vocis eloquio, vtrique ipsorum, in praesentia Nunciorum praefati Regis Bohemiae, videlicet Venerabili VVernbardo Seckouensi Episcopo, Magistro Henrico Praeposito VVerdensi, N. Commendatore Domus Theutonicae per Austriam, & VVolfingo Magistro Hospitali S. Ioannis de Muurperge, ac omnium ibidem praesentium Principum, Praelatorum ac Baronum recognouimus, & recognoscimus manifestè. In huius rei testimonium, & perennem memoriam praedictorum, praesentes eis literas donauimus, nostro Regali sigillo, necnon subscriptorum testium sigillis munitas. Qui sunt

Hartmannus Augustens
Hiltprandus Eistetensis } *Episcopus.*
Henricus Tridentinus.

N. de

N. de Sancto Gallo } *Abbates.*
N. de Augea }
Rudolfus Cancellarius noster.
Ex Laicis verò filius noster Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ.
Philippus Dux Karinthiæ.
Meinhardus Comes Tyrolensis.
Fridericus Burgrauius de Nurnberg.
Heinricus Marchio de Burgaue.
Vlricus de Helfestain, }
Ludouicus de Oetingen }
Albert. & Burchard. de Hochenberg } *Comites.*
Henricus de Furstenberg }

Tybaldus de Pirreto }
& Ludouicus de Honburg }
Henric. & Berchtoldus de Niffen }
Albertus de Pruckberch }
Hermanus de Hagiuberch }
Volkmarus de Chemnaten } *Barones.*
& Marquartus filius suus }
VVinardus de Rorbach }
Henricus de Prisingen, }
& alij quamplures. Actum & datum Augustæ, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, Regni verò nostri anno secundo.

PRINCIPVM ELECTORVM S. ROMANI IMPERII DIPLOMA.

Quo ratificantur donationes Pontifici Romano factæ à RODVLPHO IMPERATORE.

LVDOVICVS Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ; Ioannes & Adalbertus Duces Saxoniæ; Otto Marchio Brandeburgensis, vniuersis præsentem paginam inspecturis salutem in Auctore salutis.

1. *Complectens abolim sibi Romana mater Ecclesia, quadam quasi germana charitate Germaniam, illam coterrenæ dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen temporaliter tantum præsidentium super terram, plantans in ea Principes tanquam arbores prælectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum tam mirandæ potentiæ, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem illum, qui fræna Romani Imperij teneret, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Ecclesiæ per luminare maius Christi Vicarium illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit, & conuertit, vt eius præsidio pastorum pastor adiutus, oues sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet, & corrigat ad vindictam malefactorum, laudem verò credentium, & bonorum.*

2. *Vt igitur omnis materia dissensionis & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiam, & Imperium auferantur, & duo gladij in domo Domini constituti debito fœdere copulati seipsos exerceant, in vtilem reformationem regiminis vniuersi, & nos in actu voluntatis, & operis inueniamur filij deuotionis, & pacis, qui tàm Ecclesiam, quàm Imperium confouere tenemur: quidquid per Dominum nostrum Rodulphum Dei gratia Romanorum Regem Semper Augustum sanctissimo patri, & Domino nostro Nicolao Papæ Tertio, eiusdemque successoribus, & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum, denuò donatum, declaratum siue concessum, iuratum, & actum seu factum est per priuilegia, vel quæcumque alia scripta quorumcunque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innouationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus, & factis seu gestis tam aliorum Imperatorum, & Regum Romanorum, Prædecessorum Regis eiusdem, quàm ipsius Regis super fidelitate, obedientia, honorificentia per Romanos Imperatores, & Reges Romanis Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ impendendis, ac possessionibus, honoribus, & iuribus eiusdem Ecclesiæ, & nominatim super totam terram, quæ est à Radicofano vsque Ceperarum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitissæ Mathildis, Ciuitate Rauennæ, & Æmilia, Bobio, Cesena, Foropopuli, Foroliuij, Fauentia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Vrbino, Monteferetro, territorio Baluensi, Comitatu Brectonorij, Exarchatu Rauennæ, Pentapoli, Massa Trabaria cum adiicientibus terris suis, & omnibus alijs ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territorijs, atque insulis in terra marique, Prouincijs, Ciuitatibus, territorijs ad prædicta quoquo modo spectantibus, nec non su-*

per

per ciuitate Romana, & Regno Siciliæ, cum omnibus ad eam spectantibus tam citra Pharum quàm vltra, Corsica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac iuribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, nos nostri nomine Principatus in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus, ac iisdem omnibus, & singulis, & quibuscumque aliis super iisdem per eundem Regem quoquo modo factis, & in posterum faciendis voluntatem nostram, assensum, atque consensum, vnanimiter atque concorditer exhibemus, & promittimus, quòd contra promissa, vel aliquod promissorum nullo vnquam tempore veniemus; sed ea omnia, & singula pro posse nostro procurabimus inuiolabiliter obseruari. Et vt hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus, atque promissio à nobis eisdem Romanis Pontificibus, & Ecclesiæ in perpetuum obseruentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorumque sigillorum munimine roboratum.

Actum, & datum anno Domini millesimo, ducentesimo, septuagesimo nono, decimoquarto Kalend. Aprilis, Indictione septima, regnante prædicto Domino nostro Rodulpho Romanorum Rege glorioso, regni eius anno sexto.

RVDOLPHI IMPERATORIS DECRETVM.

In actione empti, & venditi Castri Beckelheimensis; vertente inter Archiepiscopum Moguntinum, & Comites Sponheimenses.

RODOLPHVS Dei gratia Rex Romanorum Semper-Augustus, notum facimus vniuersis, ac singulis has literas lecturis aut legi audituris; Quòd nos omnem discordiam, litem, & contentionem, quæ fuerunt inter dilectos Principes nostros, VVernherum Archiepiscopum Moguntinum, Ecclesiam suam, Henricum fratrem Comitem de Sponheim, cum omnibus amicis, & auxiliariis eorum, partibus ex altera, complanauimus, concordauimus, & pacificauimus integraliter, perfectè, ac in perpetuum super omnibus factis commissis, & perpetratis, in toto tempore illo, quo discordia inter eos cœpit, & durauit, in hunc modum.

2. In primis Castro Beckelnheim, castrensibus hominibus, & bonis, quæ præfatus Archiepiscopus emerat, sicut habetur in literis diuisionis inter Comitem Joannem, & Henricum fratrem eius factæ, renunciauit prædictus Comes Ioannes, cum vxore, & fratre suo Euerardo, pro se, & cunctis hæredibus suis, coram nobis in perpetuum: debetque meo iudicio, sub quo dicta bona constare noscuntur, facere omnia, & singula, quæ ordo iuris cum VVarandia expostulat. Comes Henricus sua tertia parte ibidem debet esse contentus, quemadmodum hucusque tenuit eandem, & Archiepiscopus cum Ecclesia Moguntina in duabus partibus, quas ei vendidit Henricus frater Comitis Ioannis, sine alicuius eorum molestatione in possessione quieta permanebit.

3. Captiui omnes facto iureiurando pacis, vt moris est, liberi dimissi sunt.

4. Omnia præscripta Ioannes, & Henricus Comites de Sponheim, se firmiter obseruaturos, super sancta Dei Euangelia iurauerunt. Quòd hi hanc concordiæ, & pacis nostram compositionem ad iniuriam Archiepiscopi, & Ecclesiæ Moguntinæ præfati Comites violare præsumpserint, tunc nos vnà cum Ciuitatibus Regni Francofordia, Fridburg, VVetzlaria, Geilenhausen, Oppenheim, VVesalia, ac Bopardia, & ipse nobiscum aduersus eos, sæpedicto Archiepiscopo, & Ecclesiæ eius auxilium ferentes, assistentiam faciemus. Contra hæc auxilium ferre præfatis Comitibus Ioanni, & Henrico non debebunt Fridericus Comes de Liningen, neque filius eius, neque Euerhardus Comes de Katzenellenbogen, neque Emicho Comes de Liningen, seu aliquis eorum, aduersus Archiepiscopum, & Ecclesiam Moguntinam.

5. Hanc autem concordiæ, & pacis compositionem de consensu, & bona voluntate præfatorum, Archiepiscopi Moguntini, & Comitum Ioannis, & Henrici de Sponheim fecimus, & ad instantiam eorundem sigillum nostrum Regium, vnà cum sigillis eorum, & Friderici Comitis de Liningen, & Euerhardi Comitis de Katzenelnbogen, his literis fecimus appendi. Actum Moguntiæ, anno Domini MCC. LXXXI. in profesto S. Luciæ.

De

De distinctis Burgrauij, & Senatus Populique Ciuitatis iuribus, eorumque concordia, & integritate.

Nos RVDOLHPVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, ad vniuersorum Sacri Imperij Romani fidelium, tam præsentium, quàm futurorum, notitiam tenore præsentium volumus peruenire, quòd nos inter nostros fideles Milites Castrenses, & Ciues de Fridberg ordinationem, concordiam, & securitatem fecimus cum consensu, & voluntate partis vtriusque in hunc modum.

1. *Quod Ciues Castrum in Fridberg nunquam destruent, nec Castrenses de Castro expellent, nec Castrum capient, nec recipient, nec retinebunt, nec talia volentibus facere consilium, auxilium, seu fauorem præstabunt.*

2. *Milites etiam ciuitatem Fridberg nunquam destruent, nec de ciuitate ipsos ciues expellent, nec capient, nec recipient, nec insultum communiter in ciuitatem facient, nec talia volentibus facere consilium, auxilium seu fauorem præstabunt.*

3. *Et si milites Castrenses contra Ciues, vel Ciuitatem prædictam aliquid fecerint prædictorum, tunc ipso facto omnibus libertatibus, & tam feudis Castrensibus, quàm alijs, & omnibus honoribus, & iuribus, quæ vel quos ab Imperio tenuerunt, perpetuò carebunt: & in se elegerunt Domini Papæ excommunicationem, & nostram proscriptionem faciendam, quando Ciues hoc duxerint requirendum. Et si Ciues contra Castrenses Milites, vel Castrum aliquid fecerint prædictorum, tunc ipso facto omnibus libertatibus, feudis, & omnibus honoribus, & iuribus, quæ, vel quos ab Imperio tenuerunt, perpetuò carebunt: & in se elegerunt Domini Papæ excommunicationem, & nostram proscriptionem faciendam, quando Milites Castrenses hoc duxerint requirendum.*

4. *Adiectum est etiam, quòd si inter prædictos Milites, & Ciues, vel eorum familiam aliqua rixæ, vel contentiones, seu pugna surrexerint, hoc iudicari debet secundum, quod in ipsa Ciuitate à retroactis temporibus est consuetum.*

5. *Promiserunt insuper ex vtraque parte, quòd postquam nos viam vniuersæ carnis ingressi fuimus, ipsi Castrenses Milites nullum ad Castrum prædictum intromittent, per quem ipsi Ciues, vel eorum Ciuitas lædi valeat, vel offendi: hoc etiam ipsi Ciues Militibus facient e conuerso, donec nouus Rex creatus fuerit, cui tam Castrenses, quàm Ciues faciant, vt tenentur.*

6. *Et nos tàm Ciues, quàm Castrenses Milites, vt prædicta per nos inuiolabiliter obseruentur, vnà cum Sigillo Serenissimi Domini nostri prædicti Regis, sigilla nostra duximus præsentibus appendenda. Et nos Rudolphus Romanorum Rex sigillo nostro præsentem paginam fecimus communiri. Datum Moguntiæ idus Iulij, Indictione XIII. Anno Domini MCC. LXXXV. Regni nostri anno XII.*

RESCRIPTVM.

Vt de Ciuibus Imperij nemo seruilis conditionis, tanquam in homines liberos, iudicare possit.

RODOLHPVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, prudentibus viris, vniuersis hominibus vallis in Suitz, liberæ conditionis existentibus, dilectis suis fidelibus gratiam suam, & omne bonum. Inconueniens nostra reputat Serenitas, quòd aliquis seruilis conditionis existens pro Iudice vobis detur. Propter quod auctoritate Regia volumus, vt nulli hominum, qui seruilis conditionis extiterit, de vobis de cætero iudicia liceat aliqualiter exercere, præsentium testimonio litterarum, quas nostræ Maiestatis sigillo iussimus muniri. Datum in Baden, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, Regni verò decimo octauo.

CONSTITVTIO.

De iure Electoratus in Romano Imperio Regibus Bohemiæ competente.

RVdolphus Dei gratia Rom. Rex semper Augustus vniuersi Sacri Imperij Romani fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum.

Quar-

1. *Quantò iura personarum prodeunt in lucem notitia clariore, tantò liquidius posteritati successuræ materia tollitur altercandi. Inquisitionis igitur circumspectæ præhabita indagine, scrutinioque solerti scire desiderauimus, quid quantumue iuris in Romano competat Imperio, & in electione Romanorum Regis, futuri Imperatoris, inclyto Regi Bohemiæ, Principi, & filio nostro charissimo, & hæredibus ipsius. Quo facto, Principum, Baronum, Nobilium, & Procerum Imperij, nec non veteranorum communi aßertione, & concordi testimonio comperimus assonante, ipsum Regem Bohemiæ, Imperij debere Pincernam existere, & ius ac officium Pincernatus apud eum, nec non eius heredes, iure hæreditario residere.*

2. *Extitit etiam dilucidè declaratum, prædictum Regem Bohemiæ, & suos hæredes, in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, cum cæteris Electoribus habere debere, ad similitudinem aliorum Electorum, eligendi plenarium ius, & vocem.*

3. *Hæc verò iura Pincernatus, & Electoratus, nedum dicto Regi, & suis hæredibus dicimus competere, sed etiam suis progenitoribus, ab auis, atauis, proauis, & auis, purè plenissimè competebant.*

4. *Volentes itaque dicti Regis, & hæredum suorum dispendijs cauere, ius & officium Pincernatus in Imperio sibi, & hæredibus eius, & non alij, competere, & in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, habere ius, & vocem, clarè recognoscimus, approbamus, & præsentium testimonio profitemur.*

5. *Si quid autem diminutionis, vel calumniæ, quod non credimus, cauillosè, malitiosè, vel subdolè poßit opponi, supplemus de plenitudine Regiæ potestatis. In cuius rei testimonium præsens scriptum Maiestatis nostræ sigillo fecimus communiri. Datum Erfordiæ, VI. Kalend. Octobris, Indictione tertia, anno Domini MCCXC. Regni verò nostri anno XVII.*

RODVLPHI I. IMPERATORIS

Cadauer sepultum est Spiræ, cum hac inscriptione

Anno Domini MCCLXXXXI. Pridie Cal. Octob. obijt Rudolphus Rex.

Epitaphium ex Sabino

Compofuit mitis ciuilia bella Rodolphus,
Temporibus pacem restituitque suis.
Marte Doringiacas latronum subruit arces,
Aduena frugiferos qua Sala findit agros,
Vltus & est iustis Othocarum fortiter armis,
Regna sub arbitrio Vandala cuius erant.
Boiorumque ducem domuit, Sueuumq; ferocem.
Qui duo cum gemino cornua pisce gerit.
Norica finitimis iacet vrbs contermina Fräcis,
Diuitijs vsquam vix habet illa parem.
Huius honorificum titulum nomenq; Rodolphus
Principibus dono, cum regione dedit.
Qui piscosa tuæ dominantur Marchia terræ,
Ac titulos hodie Noridos vrbis habent.



Monetam auream Rodulphi. I. Imp. vide pag. 4 supra.

CAPVT TERTIVM

Ottocari superbia, ad pedes humiliata Rudolphi Imperatoris, præsentem excitat titulum.

REGES ADORANDI.

I. *Verbum* Adorandi *sigillatur à quodam anonymo cōtra Auctorem*. OTtocari superbia ad genua Imperatoris R*udolphi* prouoluta, non tam Austriæ succollat triumphos, quàm Regum arguit obtrectatores, qui vno in verbo *Adorandi* à me exarato in dedicatoria *libri* 1. *Monarchiæ Occidentalis ad Ludouicum Francorum Regem*, mordentes vocabulum, Reges omnes sugillarunt. Victus à R*udolpho* Imperatore *Ottocarus*, Bohemiæ Rex potentissimus, vt sibi conciliaret victorem, fidem obtulit, & de more, Bohemiæ regnum accepturus in feudum promisit, ea conditione tamen, ne spectante milite, cogeretur
II. *Ottocarus genua flectit coram Rudolpho*. Cæsarem venerari. Annuit R*udolphus*: cumque venisset *Ottocarus*, in genua procidens; iussit Imperator tentorium, in quo res gerebatur, subitò pandi, & reuelari, vt ab omnibus *geniculans Ottocarus* conspici posset. Huc prouoco, qui me Regiam insimularunt adorantem Maiestatem. Rex quia *Ligius*, si coram Imperatore procumbit, cur homo coram supremà Mundi stabit Maiestate?
III. Apage diuinitatis hostis, nec Deos impedi venerantem. Regiam *adoraui* Maiestatem, ea cordis simplicitate, quam in cordibus hominum innocentia exarauit; & præter assentationis lenocinia impulit obedientia, quæ Deo, & Dijs hominem traxit in timorem, & in honorem. At quid insolitum, & iniucundum; si Regicidas audio. Reges, *Deos*? propterea adoraui. Ni *Deos* crederem, non adorassem. Cum *Deos* profitear, *adoraui*. IV.
Subijcite itaque, *Subijcite colla vestra iugo* Hier. 27
Re*gis Babylonis: & seruite ei, & populo*, n. 12.
& viuetis. Quærite pacem ciuitatis, ad quas 29. n. 7.
deportaui vos, & orate prò ea Dominum: nam in pace illius vobis erit pax. Ad Hebræos ser- V.
mo dirigitur. Quod si tyranno Babylonico iubentur colla subdere, quanto plura Regibus debemus legitimis, quos *Deos* resonat Increata Sapientia, *Vos dij terræ estis, & dij excelsi omnes*. Non quòd mortalium sit diui- VI.
nitatem largiri, & homines Cœlo locare, vt *M. Alex. superbia*
de Alexandro legimus, qui non tantum *Iouis filius* voluit appellari, & Persarum more *Curtius*
prostratis humi corporibus à milite salutari; sed Deos ipsos Cœlo pellere, vt seipsum reponeret. Ita canebant, & adulabantur impij *Agis Argiuus, Chærilus, & Cleo Siculus*, assentantes Herculem, Bacchum cum Castore Pollucem nouo cessuros numini. Sic *Anaxander* philosophus ex adulatoribus Alexandri, iter quondam cum Rege agens, magno ac graui tonitruo facto, ita vt omnes expauissent. *Nunquid tu huiuscemodi fecisti*, ait, *Alexander Iouis*? Risit tum Alexan- *Satyrus*
der, & canis blandimenta derisit. *Nolo ita* *in vitis*. VII.
(inquit) *esse formidandus, vt tu me doces, qui*

causa, si vtrique meminerint: *Rex per quem cæperit posse*; Per me Reges regnant, & Principes iusta decernunt, Sapientia clamat Æterna: ex quo sequitur *Summam Maiestatem* primam esse, & suæ quasi originis: quippe cum à superiore nullo dependeat, nisi à solo Deo; qui eam proximè antecedit, & cuius vicem obtinet in hoc mundo.

XIX. *à Deo est, sed super omnes.*

Superiorem non agnoscit.

Nullum caput ista supr à se
Aspicit, excepto Cœlorum Rege, potestas.

XX. Et de Imperatore Guntherus *lib. 6. in Ligur.*

Imperat. præcedit omnibus Regibus.

Cum tu cunctorum quos cernunt sydera Regũ
Maximus: & toto nulli cessurus in orbe.

& paulo post in persona Henrici Regis Angliæ ad Imperatorem Frider.

Sic tamen: hic vt tu, qui me cunctosq; per orbem
Præcellis Reges.

& paulo post.

Quam, quem toti Romana potentia Mundo
Imposuit Dominum, quē totus suspicit Orbis?

Vel vt legitur in orat. ad Carol. V.

Vis vltra? ast vltra non est, quò progrediaris,
Nil vltra est aquilas imperijque decus.

Vel cum alijs

Astra Deo nil maius habent, vel Cæsare terra:
Sic Cæsar terras, vt Deus astra regit.

XXI. *Reges Dei gratia se dicunt electos.*

Hinc Romani Imperatores profitentur passim, imperium sibi traditum accepisse à cælesti Maiestate, & Deum imperium omne constituere. *Nouell. 82. cap. 4. in fin. Nouell. 83. c. 1. l. 1. C. de Vet. iure enucle. l. final. Cod. de legib.* Romanorum olim Imperatores *Deorum prouidentia*; hodierni, *Dei gratia* se constitutos scripserunt, & adhuc scribunt.

Regia potest. quid.

Gregorius propterea Tholosanus *Maiestatem* non per *potentiam*, sed per *Venerationem* exprimit, dicens: *esse latens quidpiam, quod præter Naturam propriam, admirabile quidpiam reddit. 8. de Rep. c. 3. §. 2.* Sic Lipsius *lib. 2. polit. c. 16.* Maiestatem *reuerendam quandam amplitudinem* appellat. *Keckermanus* denique Maiestatem definit; quod sit vis quædam, per quam Princeps sibi conciliat in animis hominum singularem quandam *admirationem, & venerationem*, & cum vtraque coniunctum *metum*. Hac plurimi leguntur maiestate deterriti, & à proposito necandi Reges reuocati. *Emericus* Hungarorum Rex bello petitus iniusto ab Andrea fratre, cum literis, neque internuncijs eum, conciliare potuisset, aciem instruit inuitus. Iam tuba tonabat classicum, & signa mouebantur in hostem. Vbi Emericus, ne cognati sanguinis auctor esset, armis depositis, ornatus diademate, sceptrum gestans, solus per medias fratris acies incedens, exclamat. *Quis tandem erit, nunc agite milites, qui Sacrosanctum Regum sanguini manum ausit inijcere. Quis erit denique, qui Regiam Maiestatem, quæ à Deo est, vi aliqua fædare audeat? Quum se ipsi quoque Reges pensatâ dignitate, vel inuiti colere, acreuereri cogantur. Non Emericus sum, non homo priuatus, sed Dei vicarius, publicam personam gerens, quia non tam vestra suffragia, & hæreditaria iura, quàm diui, ac sacræ huiusce coronæ numen, me Vngariæ Regem præstitere. In quem igitur miseri arma sumpsistis? in me, vel in Dei vicarium. Si in me quando homo sum, siccarij estis, & homicidæ; si in Regem prophani parricidæ estis. Non cum mortali vobis res est, miseri, sed cum eo, cui præ diuina dignitatem, supra mortalitatem aliquid accedit. Sub Omnipotentis Dei tutela Reges degunt, quorum læsa maiestas vix populorum exitio expiari potest. Ego quoque inermis inter infesta arma progredior, quando hæc corona data diuinitùs me inter furentum studia satis tutum efficit. Videte quem læseritis, & ne in caput vestrum, ac filiorum sanguinem haurire sanctum prospicite.* His dictis, omnium animi vsque adeo mutati sunt, vt confestim arma posuerint, certatim quisque veniam implorarit insolentissimæ pertæsus audaciæ, quam plerique magnates, deprauatis studijs confouebant. Bonfinius. *Rer. Vngar. in Emerico.* Adstat illi Deus, quasi excubias ducens prò Rege, ne quis manum mittat in Christum suum. *Nolite tangere Christos meos.* Sua namque vnctione Deus Reges à vulgo hominum secreuit, ne cuiquam liceat illos, vel minimum attingere. Instar sepis illius, qua Iobum obsepserat, Regalis est vnctio, aut vt fines montis appositi, ne liceret accedere. Imò hæc vnctio tanti est momenti, vt per illam à Deo dicantur generari Reges: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Psalm. 2. 6.* Hinc Saul cum in Philistæos bellum suscepit, legitur *filius fuisse vnius anni. 1. Reg. 13. 1.* Quia à die vnctionis solùm annus effluxerat: Quasi tum natus esset, cum in Regem vnctus est, & mutatus in alium virum,

XXII. *Regalis maiestas est veluti lorica Regi.*

XXIII. *Per vnctionem Reg. à homo renascitur.*

virum, 1. *Reg.* 10.6.9. Sic apud Ethnicos dies Imperatorum, *natalis* dicebatur. Balsamon ad Photij Nomocanonem. *Natalia sunt Imperatorum genitales dies, & ipsorum electio.*

XXIV. *Cor Regis in manu Dei.* Ab eo tempore dicitur Cor Regis stare in manu Dei. Proinde cum electus est Saul, *insilijt in eum Spiritus Domini, & mutatus est in virum alium, & ei cor aliud Deus indidit.* 1. *Reg.* 10.6.9. Vel vt explanat Ambrosius. *Cor Regis in manu Dei cap.* 21. *Prouerb.* 1. cum est diuinæ legis forma compositum, tanquàm quid pretiosum, & volupes, Dei manu tenetur. Manus Dei, quæ solidauit Cœlum, Regum corda tenet, *vt animus Regis, velut riui aquarum, sit in manu Domini, qui quocumque vult, inclinat. Prouerb.* 21. 1. & *Prouerb.* 16.

XXV. *Duo Angeli custodiunt Regem.* 6. *diuinatio est in labijs Regis.* Huic à Domino Excelsiorem Angelum, quàm nulli subditorum datum, adfirmant Patres; Imo Regibus, ac Principibus duos tribuunt custodes Angelos, qui viuum Dei simulachrum dirigant in semitam rectam, & à manu impiorum custodiant. Vnde est quod *Oratione* 9 Themistius picturas Assyrias memorat in quibus, *Regis animus Dei manu protegitur.* Princeps (inquit Plutar. lib. ad Princip. ine-

XXVI. *Rex simulacrũ Dei.* rud.) *Dei imago omnia dirigentis; neque is opus habet Phidia, qui fingat, aut Polycleto, vel Dyrone, sed virtutis opera seipsum Deo, quàm simillimum facit, iucundissimumque spectatu opus, & dijs charissimum. Quale verò elegantissimum in Cælo simulachrum sui Deus Solem, atque Lunam infixit. Tale in ciuitatibus eius*

XXVII. *Rex adoratur.* *exemplum est, atque lumen Principis.* Qui plura, & maiora de Principe cogitat, cælestes vsurpat honores, & ementitæ diuinatis fabulam exhibet; vt Rex Ethio-

Ethiopũ Regis superbia. pum Christianorum, quem *Presbyterum Joannem* vulgo dicunt, olim se tanquàm cœleste numen coli faciebat: vultum ne principibus quidem apertum, nisi statis diebus ostendens: cæteris aliquando pedem, vel manum demonstrabat; reliquam Regis speciem intueri, nefas. Ineptissima fabula, & derisa Lusitanorum aduentu. *Osorius lib.* 9. *rer. Emm.* Serio reliquis *Sanctum* est nomen Regium, & in Oriente præcipuæ veneratio-

XXVIII. *Adorationis exempla.* nis. Egyptij Reges suos, vt Deos obseruant: nam neque absque diuino numine illos tantum Imperium credunt assecutos: & optimè de mortalibus meritos propter res egregiè gestas diuinæ naturæ arbitrantur partici-

pes. *Diod. lib.* 1. *cap.* 7. Medi, Indi, Persæ, Regem adorant, & salutando homines toto corpore procidunt. *Alex. ab Alex. lib.* 2 *c.* 19. In prophanâ litteraturâ, huiusce cultus exuberant exempla, & adorationis occurrunt monimenta. Agamemnon apud Eripidem in Hecuba, & Achilles apud Homerum adorantur. Vltra Alexandrum, qui in summa fortuna, teste *Plutarcho*, voluit adorari; Perseus, & Rex, & Macedo Paulum Æmilium Romanum Imperatorem adorauit; & tamen Æmilium inter Reges politiores, & moderatos reponitur. Traiano nemo moderatior Princeps extitit, & tamen à Decebalo Dacorum Rege passus est adorari. Hadrianus Imperator adorationem non respuit, scribit *Spartianus*. Antoninus Princeps Optimus, teste *Lampridio*, Syluanus, auctore *Ammiano Marcellino* eamdem adorationem probarunt. Maximinum Iuniorem prætereo, cæterosque, quorum ferocia honorem reddit suspectum. Iulium Cæsarem consulamus Dictatorem, qui ex Tullio *ep. ad Ligarium* 15. *lib.* 6. omnibus facem prætulit, ad *cuius pedes fratres, & propinqui Ligarij iacuerunt.* Quod si Gentilibus Christianos iungam, en apud *Zonaram* Constantius, apud *Pacatum* Theodosius apud *Ammianum* Valentinianus quibus omnibus adorationis consuetudo inolæuit, vt quandoque non tam Reges, quàm inferiores Magistratus consueuerint adorari: vt de Cassiodoro Prætorij Præfecto legitur *lib.* 3. *form.* 3. *Ingressus Palatium nostra consuetudine frequenter adoratur Cassiodorus.* Vnde venerit *Adorationis* ritus? ab Hebræis Sacer Chronista respondet *Genes.* 23. *n.* 7. *Surrexit Abraham, & ADORAVIT populum terræ filios videlicet Heth.* Filij Iacob fratrem *ADORARVNT* Ioseph *Genes.* 42. *n.* 7. Samuelem suscitatum à Pythonissa *ADORAVIT* Saul *inclinatus super faciem suam in terram.* 1. *Reg.* 28. 14. Ionatham Dauid *cadens pronus in terram, ADORAVIT tertio.* 1. *Reg.* 21. *n.* 42. Dauidem *prona in terram ADORAVIT* Abigail. 1. *Reg.* 25. 40. Eliseum Ierichuntinorum prophetarum filij *proni in terram ADORAVERVNT. Reg.* 42. 15. Dauidem *ADORAVIT* Bethsabee. 3. *Reg.* 11. *n.* 15. Eundem *ADORAVIT pronus in terram* Natham Propheta. 3. *Reg.* 1. 23. Adonias *ADORAVIT* Regem Salomonem. 3. *Reg.* 1. 53.

53. centenaque loca legere potes in sacra pagina, vbi *adorationis* frequenter recurrunt repetita vocabula.

XXIX. *Reuerentia regia Regiis imaginibus.* Regis personæ eiusdem succedit imago, quæ quanta reuerentia tractanda esset, conijci potest ex his, quæ habent Imperatores Archadius, & Honorius *lib. 15. Cod. Theodos. tit. 1. Si quando* (inquiunt) *vsus exegerit, vel porticus, vel quaslibet ædes ætatis senio, seu fortuitis concussas casibus, reparari, liceat etiam inconsulta clementia nostra cum reuerentia sui* imaginem deponere, *vel nostram, vel retrò Principum reportatam, & post refecta ædificia loco proprio denuò collocare.* In prouincias eum Imperatorum, & Regum deferebantur imagines, magno à populis excipiebantur obsequio, qui cereis, & incensis, eis occurrebant. *Laureatis* (scribit Franciscus Balduinus *lib. 3. Optat., & Iconibus, quæ mittuntur ad ciuitates, vel regiones obuij adeunt populi cum cereis, & incensis, non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem honorantes.* Idem habet Chrysostomus *hom. in quintam diem Paschæ*, vt citat Adrianus Pontifex *in ep.* ad Constantinum, & Irenem Imper. *Cum regiæ* (inquit) *figuræ, & imagines in ciuitates inferuntur, populus non ipsam tabulam, aut ex cera factam imaginem honore prosequitur, cumque Magistratu illuc obuiam procedit; sed potius regiam historiam, & veluti præsentiam suscipiunt.*

XXX. *Regiis imago munimẽ Magistratus.* Imo Libanius addit *tom. 2. orat. 15. in Lucianum*, Magistratus secum ferre solitos Regum imaginem ad munimem in aduersitatum fluctibus. *Alijs autem de regijs Imaginibus, quas habent, sibi ipsis fluctuantibus pro portubus.*

XXXI. Hæc si pauca pro Regum adoratione legitima videantur, grauissimas Patrum, Theologorum, ac I.Consultorum percurramus auctoritates. Recentiores subticeam vt Barclaium in Argenide, cuius verba, *nondum Orbis* adorauerat *Romam*. Emanuelem Thesaurum *in lib. Mor. Philosophiæ.* Restaur. Castal. *Tractat. tom. 5. n. 4. p. 40. & 43.* Eloquentissimos Oratores Brixienses, Parauinos, Veronenses, Forolulienses, Vicentinos, Taruisinos, Dalmatas, Bergomates, *in sua augurali panegyri ad Serenissimum Nicolaum Sagredum.* Consulamus Antiquos; & *Vegetium* auctorem Christianum de ratione *adorandi* Christianos Imperatores à Christianis, quid sentiat, audiant. Proposita enim populorum erga ipsos reuerentia, cultui religioso proxima, sic ait, *Iurant autem per Deum, per Christum, per Spiritum Sanctum, & per Maiestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est, & colenda; nam Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti, & corporali numini fidelis est præstanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus: Deo enim vel priuatus, vel militaris seruit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat Authore.* Duo nos edocet *Vegetius*; Maiestatem quæ colitur, diligere. Quos enim amamus, & colimus. Quos odimus, contemnimus. Secundum, & *causam adorationis* adnotat, quæ est similitudo Dei imperantis in Rege, & Principe impressa.

XXXII. *Rex Dei simulacrum.* *In terra* (inquit Ecphantus Philosophus Pythagoræus *apud Stobæum de Monarchia*) *& apud nos, præstantissimæ naturæ est homo: Rex autem inter homines* diuinissimus, *vt qui multum suprà naturam communem emineat; corpore quidem reliquis similis, vt qui ex eadem materia constet, sed ab optimo artifice factus, qui fabricauit ipsum, archetypo ex se sumpto.* Alij, inter quos Musonius in Charondæ legibus apud Stobæum describunt Regem, quod sit *Iouis æmulus*, & pater eorum, quibus imperat. Nec aliquis *offendatur* (ait Anastasius Episcopus Theopoleos *ep. super quibusdam quæstion.*) *adorationis vocabulo, siquidem, & Deum, & homines, & Angelos Sanctos adoramus.* Proinde Georgius Corcyræ Metropolita ab Emanuele Comneno Grægorum Imperatore Romam missus ad Generalem synodum, quam congregabat Pontifex Alex. III., Brundusij infirmitate correptus, Friderico Imperatori scribens sequentia habet.

XXXIII. *Apud Baronium an. 1178* *Sum equidem missus à cognato, & filio Imperij tui Domino Emanuele felicissimo Comneno, vt diuinam venerer potentiam tuam &c.* & infra: *vt dignus efficiar aliquando, tuum diuinum conspectum Imperij tui adorare.*

XXXIV. *Bonfinius in Geysa III. Rer. Vngar.* Nostris fauet assertis Gallorum Rex *Ludouicus*: iter iste per Hungariam agebat, cuius in castris latebat *Borichus* filius adulterinus Regis *Colomanni*. Hoc vbi *Geysę* tunc sceptra tenenti relatum est, ad *Ludouicum* misit, sibi tradi *Borichum* postulans. *Borichus* his auditis, *Ludouicum* adit, ad cuius pedes prouolutus, vitam exorat, vt tutò ex Vngaria euadat. *Geysa* iam certior factus, *Borichum* in castris *Ludouici* esse,

præ-

præcatur iterum, inimicum suum ad se vinctum remitti. Ad hæc pientissimus Rex Gallorum respondit: *Num hæc Geysa Rex ignorat, cuiusque Regis optimi tabernaculum, haud aliter ac religiosum templum, ac pedes Regis pro aris haberi oportere? Quonam iure, diuino aut humano, hunc reddere possum, si ad tabernaculum, velut ad ædem, & ad pedes tanquàm ad altare confugit?* Similia sunt, quæ in comitijs Hungarorum habuit Helena vxor *Bele II. Cæci*, Hungarorum Regis aduersus eos, qui Regem excæcauerant. *Dicite quæso, viri fideles, Proceresque magnanimi, quum oculos naturæ beneficio omnes assequamur, quorum ductu, in hac operosa mortalium vitâ ducimur, cur Belam Regem cæcum intuemur, quem cæteris oculatiorem esse oporteret? Quorum hoc tantum facinus consilio, & audacia factum sit, in hoc celeberrimo conuentu nunc agite, vos oro, & ingens hoc aperite piaculum. Ab auctoribus tanti sceleris pœnas hic exigite, ne quis post hac* in sacrosanctos Principes *Manum iniicere audeat. Quanquàm diuinâ bonitate, pro duobus oculis quatuor liberi dati sint, quos hic præ oculis habetis, infandum tamen facinus haud quaquam est impunè dimittendum, vt parcere* Regibus qui prò dijs habendi sunt, *hoc exemplo discat vniuersa posteritas.*

Regis tabernaculum est quasi altare.

Bonfinius in Bela II.

XXXV. Gemina itaque est adoratio, vt ait Ionas Episcop. Autel. *lib. 1. de cultu Imag.* Alia, *quæ soli Deo debetur: alia quæ à mortalibus humilitatis, & subiectionis causa, æque mortalibus exhibetur*, cuius *exempla in diuinis reperiuntur eloquijs*, Abrahæ, Ioseph, Betsabeç, &c. *Cæterum cui cordi fuerit diuinarum scripturarum paginas diligenter legere, huiusmodi Adorationis vberiora potest perfacile testimonia reperire.*

XXXVI. Cum Catholicis vsquè adhuc profiteor habuisse sermonem; cum quibus post religionem debitam Deo, creaturis honorem; Pontificem veneramur primùm, Reges adoramus secundùm. Anabaptistæ, Presbyteriani, Independentes, Lutherani, Caluinistæ Supremam irridentes potestatem, omniaque negantes, quæ directè, vel indirectè ad vnum firmandum conducunt Ecclesiæ caput, quid strepant in *Adorationem* oblatam Regibus, vnde maior erga Pontificem surgit, audiamus.

Obiecta cōtra Adorationem.

Vnus Lucifer in Cœlo inuentus, obijciunt isti, quem dira libido ad Dei solium occupandum adegit; sed vix ortus Lucifer Draco redditur tenebrosus, Cœloque pulsus datus est in Tartara præceps. Quod si Angelo, ac Principi licere non potuit, vnde mortali homini licebat in terra? Sacra teuolue volumina: & Mardochæum offendes, qui Amanum adorare noluit, timens ne honorem Dei transferret ad hominem. *Hesther. 13.* Petrus noluit adorari à Cornelio. 2. *Act. 10.* Paulus, & Barnabas à Lycaonibus. *Act. 14.* Mariam ipsam non esse adorandam, sed solum Deum *Epiphanius* docuit *in hæresi Collyridianorum*, Regis Regum Legem sequutus. 6. *Deuter. Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies.* Nos verò violata obseruantia, & Christiana modestiâ ad turpes ingeniculationes, miseras succollationes, infelices adorationes Gentilium more cogi patiemur?

Hisce, & similibus quid respondeant Patres, attende. *Adorare* vocabulum est latinum, & quia æquiuocum competens Creatori, & Creaturæ, Augustinus Dei cultum Græco declarauit vocabulo Λατρείας. *Hic est enim diuinitati* ait Augustinus, 10. *de ciuit. Dei c. 1., vel si expressius dicendum est, deitati debitus cultus, propter quem vno verbo significandum: quoniam satis mihi idoneum non occurrit Latinum, Græco vbi necesse est, insinuo, quid velim dicere. Latinam quippe nostri vbicumque sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem.* Hæc verò gemina est, *Interior*, qua per actus interiores mentis, videlicet intellectus, & voluntatis exhibemus Deo obsequium nostrum. Quo sensu dicit idem Augustinus *in Enchir. c. 3. & lib. 12. de Trinit. c. 14. Christianam religionem esse maximè Deum colere fide, spe, & charitate.* Alia est *Externa*, quæ in exterioribus signis humilitatis consistit, quæ sunt ingeniculationes, inclinationes, demissiones, oscula, adorationi communia Creatoris, & Creaturæ. Non desunt tamen alia, quæ ita *Latriæ* propria sunt, & soli Deo præstamus, vt nefas sit ad *Duliam*, transferre. Cuiusmodi est pectoris tunsio, sacrificium, quæ ita in Latriam quadrant, vt si creaturæ exhibeantur, Idololatria dicatur. Iuxta itaque gradus excellentiæ honos distribuitur. *Deitati* tanquàm excellentiæ infinitæ *Latria* respondet. Excellentiæ *humanæ*, quæ consistit in humanis virtutibus, gradibus, & dignita-

XXXVII. *Adorare verbum æquiuocum.*

Latria.

Duplex.

XXXVIII. *Adoratio triplex.*

gnitatibus, *cultus ciuilis* respondet, analogicè descendens erga Reges, Magistratus, & Genitores. Excellentiæ *Mediæ*, ei scilicet, quæ est inter diuinam, & humanam, qualis est gratia, & gloria sanctorum respondet *Dulia*, quam Theologi Christi tribuunt Humanitati, & B. Virgini, quæ mater filij Dei est, Domina, & Regina nostra. *Bellar. de Sanct. Beatitud. c. 12. lib. 1.* Reliquos Sanctos *hyperdulia* colimus, honore scilicet inferiori à *Dulia*, qua Virginem matrem prosequimur. Vnde *Latria* Deum respicit vt primum principium, & vltimum finem. *Dulia* excellentiam respicit plusquàm humanam, & minùs quàm diuinam. *Ciuilis* cultus humanam apprehendit excellentiam iuxta
XXXIX. *Sacrificiũ solũ Dei est.* gradus dignitatis. Has species cum difficile sit per actus exteriores distinguere, cum omnes ferè actus sint omni adorationi communes, vnum excipe sacrificium doctis cognitum, & indoctis (nam pectoris tunsio quandoq; vulgò etiam coram Sanctis exercetur) quod solius Dei est. *Qui sacrificat dijs*
XL. *Adorare minus quàm colere.* *eradicabitur, præterquàm Domino soli. Exod. 22.* Latini quo vocabulo Dei cultum declarare debeant, non occurrit. *Adorationis* verbum vulgo placet, sed Hieronymo cum ex Hebræo in Latinum legem verteret, & superlatiuum, ac Dei proprium vocabulum perquireret, haud dixit, *Vnum adora Deum*, sed *vnum cole Deum*, quia verbo *colere*
XLI. plus dignitatis inesset, quàm *adorare*. Humanæ deficit creaturæ attributum, quo Deo debitum protestemur obsequium: propterea humano vtimur vocabulo, & per finita atque humana vocabula veneramur infinitum. *Colere*, & *Adorare* nostra sunt attributa: quia cum creaturæ simus, & homines, non nisi humano atque creato vocabulo salutare possumus Creatorem. Eodem *Adorationis* nomine vtimur cum Creatorem, & Creaturam veneramur: licet significatum æquiuoci nominis, quod græce *Latria* sonat, Dei
2.2.q.84 ar.1. proprium sit, & incomunicabile, & hoc est *Sacrificium*, vt ait S.Thomas: *Adoratio ordinatur in reuerentiam eius, qui adoratur. Et quia ea, quæ exteriùs aguntur, signa sunt interioris reuerentiæ, quædam exteriora ad reuerentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum est Adoratio: sed aliquid est, quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium.* Sed vndè tanta egestas creato idiomati, vt creaturæ, & Creatoris faciat communia vocabula? cur diuino sacrata cultui in vsum vsurpare prophanum? si *finitum* est idioma, ne mireris, vel dicas cum Augustino: *Multa de cultu diuino vsurpata sunt, quæ hominibus deferuntur humanis; siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi: si autem eis multum additur, & adorandi.* *Aug. de Ciuitate Dei c. 4. lib.*

Ciuilis vel *diuina* sit Adoratio, quam Pontifici, & Regibus exhibemus, quæstio est. Nos *diuinam* non dicimus, sed *humanam* negamus. *Ciuili* adijcimus, de *diuina* detrahimus, vt & vltra *ciuilem* sit, & citra *diuinam*. Vtrique porrò *Sacrificium* negamus, imò, & *pectoris tunsionem* excludimus, hæc soli Deo reseruamus. Eàdem ergo Regem prosequar, & Pontificem? absit: Hæc *Papalis*, illa *Regalis*: & tantùm distant, quantùm à Sole Luna. Inter Principes, & potestates tantum præfulget Adoratio Regalis, quantum inter Orbes Luna minores. Externa ne deficiant, quibus Papalem veluti superiorem à Regali seiungas: ei addimus *Osculum pedum*, quod hominibus infra Papam positis denegamus. Regali verò *ingeniculationem*, quam Christianorum ritus Regibus adiudicauit. Vtrâque mutuo cultu exequuti leguntur Pontifex Leo III. & Carolus Magnus. Romam inuectum Carolum teste Aimoino *lib. 4. de Gestis Francorum, c. 90.* coluit, & *adorauit* Leo. Carolus verò teste Anastasio, regnante Hadriano II. Pontifice cum Romam venisset, *pedestris ad B. Petrum properare studuit, cumque ad gradus aulæ Apostolicæ peruenisset, omnes gradus sigillatim eiusdem sanctissimæ D. Petri Ecclesiæ deosculatus est, & ita ad prænominatum peruenit Pontificem*, Pipini Patris religionem emulatus (teste eodem Anastasio) qui Stephano III. Pontifici in Gallias venienti occurrens, *equo descendens cum magna humilitate terræ prostratus vnà cum coniuge, & filijs, & primatibus eumdem. Sanctissimum Papam suscepit. Cui & vice stratoris vsque ad aliquantum locum iuxta eius sellarum properauit.* Pontificis porrò humilitas cum in debitum à Regibus vsurparetur, nec coram ipsis admitterentur Episcopi, nisi ante genua sæcularium Principum adoratores procumberent, necesse fuit vtrorumque studia coerceri, ne humilitas religiosa, qua abute-

XLII. *Adoratio Pontificis, & Regis cuius generis?*

Differentia.

XLIII.

XLIV. *Obsequiũ Pipini erga Papã.*

XLV. *Episcopi coram Regibus ne procũbãt.*

abutebantur impij, ansam præberet superbiæ. Propterea in Synodo Septima. *cap.14.* sancitum est. *Non debere Episcopos ante genua Principum sæcularium ad eos adorandos procumbere; quamuis cum omni modestia illos debeant honorare.* Ita relictus moderationi locus, & occasio præcisa contemptus. Suum reddamus cuique, *quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.* Cæterum post Deum non alius sit populo Deus; sit tamen qui Dei vicem sustineat, & Dei nomine iusta decernat. Iisdemque titulis, quibus prosequitur Ecclesia Christum, prosequamur & Regem. *Nec iniuriam putes:* (ait Ambrosius) *charactere Domini inscribantur & seruuli, & nomine Imperatoris signantur milites.* Nam *& ipse Dominus dixit*: nolite tangere Christos meos: & vos estis lux Mundi: *Liceat ergo & mihi; charactere Domini signare seruulum.* Ita Ambrosius *in obitu Valentiniani.* Licentiam porrò Ambrosij non vsurpo, neque cum sancto auderem profano obsequio nomina polluere diuina. Regem adoro, quia, vt scribit Hadrianus in *Nicæno Concilio ad Constantinum Imper. tom.7. p. 114. d. edit. Paris.* Adoratio non aliud est, quàm honoratio. *Qualis enim* (inquit) *est adorationis honoratio, nisi tantùm quemadmodum, & nos peccatores adoramus, & salutamus alterutrum per honorem, & dilectionem.* Idem legitur p. 541. c. eiusdem Concilij. *Siue ergo alicui sit salutationem gratum vocare, siue adorationem (hoc ipsum enim est vtrumque; nisi fortè quis adorationem, quæ secundùm latriam exhibetur, intelligat: alia enim hæc est.)* Idem clamat S. Anastasius Ep. Theopoleos in eod. Concil. p.247. *Nemo offendatur adorationis significatione. Adoramus enim homines, & Angelos Sanctos, non tamen seruimus illis.* Adorare namque *honoris indicium est.* Nemo itaque offendatur (subiungit. Idem S. Anastasius p.758.) *adorationis vocabulo. Siquidem, & homines, & Sanctos Angelos adoramus, non autem per Latriam, diuinum cultum exhibemus. Inquit enim Moyses;* Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Quo loco diligenter obseruabis, qua ratione posteriori dicto, nimirum Latriæ* (quam in verbo *seruies* habes) *adiecerit*, soli: *Adorabis verò hoc ipsum non est appositum. Quamobrem Adorare licet. Quid enim aliud est, quàm honoris alicui exhibiti veluti* emphasis *Adoratio.* Quod si aliquandò regulas excedentes obsequij, Creatori debita, creaturæ impartimur vocabula, patienter sustine, & prudenter ne accuses loquentem, sed Regem corripe audientem si audes; calamumque verte in eum, qui scribit gladio. Quoties enim diuinis abutimur titulis erga homines, confidenter dico, & scribo constanter, non peccare, sed fallere, decipere, assentiri non consentire, adulari non famulari. Quidam presbyter iuxta aram Dei pertransiens, aperijt caput, non tamen genua flectit, nec se curuauit; coram verò dynasta, qui non longè stabat, profundè se inclinans; cum interrogaretur ab eo, *cur coram homine, non coram Deo se inclinasset?* respondit, *quia Deo non adulamur.* quasi diceret, *Vos homines irridemus, cum diuina pangimus.* Italica verba prohibet modestia referre, quibus argutum elucet responsum.

XLVIII.

XLIX.



ADOL-

ADOLPHVS NASSOVIENSIS
OCCIDENTIS IMPER. XXX.

1. Iustitiæ laruam plerumque sumit Iniustitia. 3. Adolphi hieroglyphicum. 4. virtus, vitia. 5. in prælio captus, seruat constans maiestatem. 6. togatos spernit. 7. Vino, & Veneri indulget. 8. Eduardo Anglo Regi operam locat, sed dolosam. 9. Thuringiam iniustè emit. 10. occiditur. 11. iacet insepultus.

1. INiustitia, vel tyrannis ea est, quæ in hieroglyphico, dormientis Astreæ insignia arripit; quibus induta, in tribunali laruata sedet, & Iustitiæ spetie aduersùs sæuit innocuos. Symbolum hoc est; non tam *Adolphi* Imperatoris, quàm eorum, qui gladio abutentes Iustitiæ, priuatas quærunt vindictas. Plerumque enim Iustitiæ larua exornata tyrannis grassatur impunè, & sibi laudem parricidio quærit, vel *Albertum I.* Imperatorem sub larua iniustitiæ habes; quum spetie iustitiæ *Adolphum* Cæsarem gladio sustulit; vnde & ipse (vindictam Diuina repetente Nemesi) gladio perijt: quia Regum causa Soli Deo est reseruata vt in capite, *Reges Deo subditi* videre est, post Vitã *Alberti I.*

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

QVæ duo conspicio mundi prodigia Adulphum
Immunem referunt, & quoque Iniustitiam.
Jlle renidenti Regis diademate cinctus
Exoptat gentes fallere mille modis.
Iudicis hæc tristis crudeli munere fungens
Haud æquâ causæ pondera lance tenet.
Ille fieri spernens resonantia murmura Martis
Exoptat Veneris castra nefanda sequi.
Hæc, dum Iustitiæ serpit per viscera somnus
Fraude rapit vestes, & sua membra tegit.
Quæ maiora putas monstra? hæc ad crimen anhelat
Innumerum, & ille dolos; dicigitur paria.

I.B.P.

ALIVD.

HInc Fortuna Comes; Dux hinc Bellona recedat;
Nimedia, & Virtus, Vtraque, Sorte caret.
Miles, Victor erat; Cum Rex, Bellator Adolphus,
Hostes aggreditur, Victus ab Hoste redit.
Primum quam coluit, Virtutem posteà spreuit:
Mores in peius, sic quoque mutat Honos.
Currit in aduersùm: Veneres, Vinumque propinans;
Libauit Vitijs Regnaque, Bella, Duces.
Anglicus, & Gallus cum certant, decipit Ambos;
Ac Auro tantùm seruat in Arma, fidem.
Nonne Iniustitia hæc est, quæ fucata sub vmbra
Iustitiæ, & quandò pressa sopore, tacet?
Culpa semel Regis, fit Regno Culpa perennis;
Cumque scatet Vitijs, Pestis in Imperio est.

M.Ant. Molles S.T.D.



ADOLPHVS NASSOVIVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XXX.

Sal. An. 1292. Honores mutant mores
Optimus Comes, pessimus Cæsar
Virtutis terminos credens dignitatem
Vitia soluit, vt eam illigaret.

IV. *Virtus Adolphi ante Imperium. Vitia post imperium.*

Fortis imberbis, vir imbellis, Senis senex
Adolphus Rudolpho similis duabus syllabis
Cæteris virtutibus non tam claruit, quàm caruit.
Quinque prælijs fuso Brabantiæ Duce, quinq; Duces occidit:
Sesto triumphauit victus,
Et vinctus catenauit victorem.

V. *Captus in prælio interrogatus quis esset? sum (inquit)* Comes Nassouius, & miror, quòd mucronẽ meũ effugeris.

Nuda virtus loculos seruans oculo, & flores in ore
Linguæ serra seras omnes disrumpit,
Ni crinibus irretita.
Quid nobis mortalibus tutum? Virtus.
Fallitur; immortalis moritur in gremio fœminarum.
Tenuit Imperium luctus, cum luxus Imperatorem
Qui omnium retrò principum liberalissimus latro

VI.

Familiæ totam dedisset Rempublicam,
Si inuenisset emptorem.
Ius dicens in armis,
Sagatos togatis prætulit in aula,
Vt lites omnes finiret, parte inaudita.

Homo sagatus parui faciebat togatos; quorum odiũ incurrit.

In Triclinio vigilans, in Gynæceo strenuus;
Nassouiorum decus, & dedecus

VII. *Vino, & Veneri indulget.*

Inops inter opes, inter sagas insanuit.
Ne Venus ægeret, egit Martem stipendiarium
Aquila locata Pardis
Perfidiæ præmium, fuit rapinæ pretium

VIII. *Eduardo Angliæ Regi operam locat in Gallos: sed vtrumque decipit.*

1297. Vt adulter Thuringiæ filios exhæredaret coniugales,
Alberti filij *Diezmanus*, & *Fridericus*
Cum patriam à patre repeterent,

IX. *Thuringiam emit ab Alberto, filijs inuitis.*

Cæsarem inuenère reum, & iudicem in propria causa.
Cum hi agerent calamo, respondens capulo
Caput amisit, & Imperium inter victorias.
Vittam proba tulit vita, improbam abstulere vitia.
Cum displicuit *Adolphus*; placuit *Albertus*;
Bis Cæsar quòd cæsus, & quòd Cæsarem cæcidit

X. *Albertus Austriacus à Principibus excitatus, in bello Adolphum occidit.*

1298. Extra tumulum tumulatus
Nec mortuos Reges potuit habere consortes;
Vel
In vmbra vagatus, noluit sepulchro includi,
Priusquàm Regicidæ vindictam sumeret.
Non defuit mortuo solatium:
Par illi fortuna stetit prò dispari fama
Ea contentus, Reges in Mausolæo conuenit, & quieuit.

XI. *Cadauer in Monasterio Rosental humatur donec ab Henrico VII. Rẽ[illegible] translatum.*

CATENA HISTORICA.
PRO ADOLPHO NASSOVIENSI OCCIDENTIS IMPER. XXX.
CAPVT SECVNDVM.

1. *Adolphi Imper. natalia. 3. Vxor, liberi. 10. eligitur Imperator. ij. facinora præclara ante imperium edit: fortitudo, constantia. 12. periculum. 13. Columbariam occupat: pacem procurat cum Alberto Austrio. 17. odiosus togatis. 18. viros togatos paruì facit. 19. ab Eduardo Anglorum Rege pecuniam accipit, vt arma in Gallos inferat 20. periurus Anglo. Thuringiam: emit eius immanitas: à Gallis repetit occupata. 22. & 26. accusatur. 23. in Moguntinum mouet 24. odio habet Albertum Austriacum. 26. imperio priuatur. 29. in prælio occiditur. 31. sepultura, epitaph. symbol. 32. eius percussores male pereunt. 33. leges. 34. moneta.*
2. *Nassouiæ domus origo.*
5. *Albertus Austrius crudelis. 55. dat filiam in vxorem Hungarorum Regi. 56. veneno petitus oculum amittit. 21. fœdus init in Adolphum Imp. cum Gallis. 24. mouet in Adolphum. 27. eligitur Imperator 29. Adolphum vincit. 30. iterum coronatur.*
6. *Gerardus Mogunt. Archiep. eligi Imperatorem curat Adolphum Nassouium. 57. odiosus aulicis. 18. ministerio aulico priuatus. 22. molitur in Adolphum 29. plangit Adolphi cædem. 30. Alberto suspectus.*
9. *Albertus* cum telo, *& Otto* longus *Brandeburg. de electorali dignitate contendunt.*
10. 3. *Imagina vxor Adolphi Imper.*
12. *Ludouicus Seuerus perduellionis accusatur: proscribitur: reconciliatur 13. obit.*
14. *Tomasina Maurocena.*
12. *Elisabetha Vxor Alberti Austrij studiosa pacis. 17. ad maritum properat.*
14. *Andreæ III. Regis Hungar. natalia.* Venetus *dictus. 15. captus ducit vxorem Agnetem filiam Alberti Austrij.*
19. *Guido Comes Flandriæ à Gallis captus.*
19. *Philippi Pulchri Gallorum Regis effigies.*
20. *Albertus Thuringius in damnum filiorum Thuringiam vendit.*
24. *Rudolphus Palatin. Dux Bauariæ pugnat pro Adolpho Imp. 26. renuit comitijs adesse contra Adolphum.*
24. *Otto Dux Bauariæ pro Adolpho Imper. & 27.*
25. *Rudolphus Habsburgicus.*

ADOLPHI NATALIA.

I. 

Ens *Nassouia* nobilitatis antiquitate clara, non tam per Germaniam, quàm per Italiam bello sub Henricis cognita, ab exiguis initijs eò est progressa potentiæ, vt non tantùm vicinos inter Comites vltrò citroque Abnobios Montes, qui Cattos ab Angriuarijs, & VVestphalis diuidunt, principem locum obtinuit, sed ad fastigium ducum conscenderit. In agro Norico plurimas *Adolpho* possessiones fuisse testantur monumenta familiæ. Eius pater *Adolphus* apud Imperatorem *Rudolphum* egit *Præfectum Prætorij*, scilicet *Iudicem Cameræ*. Philippus Iacob. Spenerus *in theatro nobilitatis* Nassouiam domum ex *Theodorico* deducit; qui seculo septimo Comes Nassouiæ ab vxore cæperit esse. Ex hac arbore, sæculo vndecimo exijt *Gelricus*, cum Otto filius *VValrami Nassouij* ab vxore Geldriam, & Lutfaniam comitatus nactus, nouam stirpem ordiretur. Hæc in *Rainaldo* D. Geldriæ, An. 1423. defecit, translatis deinde ad Egmondanos iure fœmineo ditionibus. In principàli stirpe postea *Henricus diues*, qui viuere desijt An. 1254. duos genuit filios *VValramum*, & *Othonem*. VValramus Idsteinam, & VVeilburg nactus est, & filium habuit *Adolphum* Imperatorem; ita *Spenerus*. Cui hodierni *Arausionenses* Principes iuncti sunt, recto vel transuerso tramite: Genealogici discrepant. II. *Origo Domus Nassoniæ.*

Vxor. Liberi. III.

Imagina Lympurgensis, ex qua *Rupertum*

genuit

genuit, qui ab *Alberto Austriaco* captus est in
eo bello, quo *Adolphus* occisus occubuit;
vxor fuit *Adolphi* Imperatoris.

Adolphum primogenitum Comitem de
Nassau.

IV. *Mecthildim*, quam copulauit *Rudolpho*
Rheni Palatino.

an.1291. *Imperij Occupatio.*

V. *Albertus Austrius vincit.* Extincto *Rudolpho*, arma victor in Comi-
tes Gunsenses Hungaros, Austriæ acolas ge-
rebat *Albertus* non sine crudelitatis exem-
plo. Propè namquè Altemburgum in pa-
bulatores hostium incidens, quingentos oc-
cidit, quos viuos capere potuit, iis crura, &
manus amputat. Eos vincere cum facile
fuisset *Alberto*; in Austriacos mouet; quos à
fœderatis desertos ad deditionem coegit. Sti-
ri supererant, cum quibus auctore *Ludouico
Seuero* inducias paciscitur, postea pacem,
sed breui dissoluendam.

An.1292 VI. *Imperiũ sperat.* Interim certior factus, Augustalia Fran-
cofurti instare comitia; Monachium pergit,
Methildem sororem salutatum, spe concepta,
se Romanum Regem ad eam regressu-
rum, quia de aliquot Principum studijs, ni-
hil ambigeret, aliorum suffragia facile cre-
deret conciliaturus. Egerat paulò ante cum
Boemorum Rege *Albertus ab Hohenloe*, vti
VII. suum *Alberto* daret suffragium. Quod non
Bohem. Rex Alberto obstat. solum negauit, sed & Electoribus scripsit,
neminem ab se excludi præter *Albertum*.
Comes indignabundus respondit, *te etiam
inuito, Rex erit Albertus.* Sunt qui *Adolphum*
Nassouiæ comitem ab eo nominatum vo-
VIII. lunt, etsi ignotum; scripsisse *Ottonem Baua-*
Nominati ad Imperium. *rum*, & Salisburgicum ferunt, *Albertum* se,
si eligatur, non agniturus Cæsarem, crimina
etiam addita, auarum esse ac leuem, sæuum
suis, vicinis grauem. Nemo *Alberto* iniquior
erat, quàm Moguntinus *Gerardus Eppen-
stainius*, vir solers ac versutus, qui prò *Adol-
pho* consanguineo suo nitebatur, & *Sigefri-
dus Coloniensis* multis ab eodem affectus be-
neficijs, cunctorum ferè Electorum vota in
IX. suam traxere sententiam. Duo Brandebur-
Brandeburgensiũ contentio de Electoratu. genses, *Albertus cum telo*, & *Otto* cognomine
Longus inter se contendebant de Electorali
dignitate; Quorum *Otto* ne agnato cederet,
suffragium suum Moguntino obtulit. Cum
ergo Electores plerique vota sua Moguntino
dedissent, *Adolphus Nassouensis*, sexto
post excessum *Rodulphi*, mense, Rex renun-
ciatur, & è vestigio Aquisgranum ductus an. 1292
vnà cum coniuge *Imagina Lymburgica* à *Si-* X.
gefrido Coloniensi coronatur.

Ante imperium præclara fortitudinis XI.
specimina edidit; ducem Brabantiæ nume- *Adolphi facinora.*
ro superiorem, quinque prælijs ordine vin-
cit, & occisis quinque belli ducibus, opima
reportauit spolia. Quamobrem magnam
virtutis opinionem sibi conciliauit; nec so-
lùm prosperis, verùm etiam aduersis rebus
inuictus. Cum enim sexto prælio aduersùs
Brabantos captus esset, & interrogatus, ecquis
esset? respondit constans: *Sum Comes Nasso-* *Constantia.*
*uiæ, non ditionibus potens; sed magnis natus
rebus gerendis. Miror quod mucronem meum
effugere potueris, vt nosceres hostem numero
imparem, non esse contemnendum.* Tanta au-
daciâ delectatus Dux Brabantiæ honestè ha-
bitum, & donis oneratum, factâ pace di-
misit.

Electo *Adolpho*, timentes Bauari magnam XII. an. 1293
sibi à nouo Cæsare impendere tempesta- *Adolphi Cæs. periculum.*
tem, Moguntino suggerente, pacem, & fœ-
dus ineunt. Interim *Adolphus* illustri Princi-
pum comitatu stipatus, secundo Rheno na-
uigans. Furstenburgum, *Ludouici* arcem
præteruehebatur. Portorij exactores igna- *Ludouici Seueri accusatio.*
ri, à quibus peterent, vectigal exigunt; re-
pulsam passi, tela spargunt in nauem, vnum
adhærentem Cæsari vulnerant: tum cogni-
to, quibus facessetent, trepidi veniam præ-
cantur supplices. Moguntinus obstat, *Ludo-
uicum Seuerum* criminatur, quasi eius insi-
dijs, in caput Cæsaris conspirassent, qui eius-
dem prius inuiderat electioni. Fidem ca-
lumnia reperit. Et protinùs Maiestatis in-
dictâ causâ, hostis Reipublicæ declaratur
Ludouicus: Palatinatus vicinorum prædæ
permittitur: spernuntur Comes Octingen-
sis, & Burgrauius Norinbergensis, oratores:
Ipsi *Ludouico* vix dantur aures, sanctissimè
iuranti, se prorsùs inscio, errorem contigis-
se. Id cum fronte imperterritâ impauidus
constanter asseueraret, serena mens, recti
conscientia ipsi pro clypeo fuit, vt Cæsar
placaretur: eique vt gratum faceret in Co-
mitijs Lincij ad Danubium habitis (vbi in-
terfuerunt *Albertus* Austriacus, *Otto* Baua-
riæ, cum alijs Principibus) omnem lapidem
mouit, vt cognatos, & affines in concordiam
redigeret. Frustra cum videretur agere, &
abiturus, ab *Elisabetha* Alberti vxore, per
omnia

an. 1294 omnia consanguinitatis iura rogatus, ne, antequàm pacem conferret, abiret; nouiter eos aggressus, & acerrimis verbis in eorum peruicaciam inuectus, effecit tandem, vt ipsius, & Ratisponensis arbitrio dissidia comitterentur componenda. Sic pace initâ, captiuis restitutis;

XIII. *Adolphus Columbariã occupat.*

Adolphus Columbariam obsidet, quia sola, *Alberto* studens, in verba Cæsaris iurare nollet, & noctu, apertâ per conscios portâ, intromissus, ciues in fidem recepit. Porrò cum à nonnullis se contemni videret, *Alberti Austriaci*, tunc potentia Germanorum omnium facilè principis, pacem habere curauit, operâ *Ludouici Seueri*. Is verò re nondùm perfectâ, morbo tentatus succubuit Cal. Feb. *an. 1294*

Bellum Hungaricum.

Austriaca dissidia Bellum excepit Hungaricum inter *Albertum*, & *Andream III.* Hungariæ Regem. Eius natalia sic Bonfinius refert.

XIV. *Andreæ III natalia.*

Andreas II. Belæ III. filius cum ex Palæstinà, magnis rebus gestis, Venetâ classe redijsset, ad Estensem Principem veterem hospitem diuertit, vbi *Beatricem* eius filiam ob formæ, & morum elegantiam secundis nuptijs vxorem duxit. Ea, mortuo Rege, grauidam se ex illo manifestis probatis indicijs, ad patrem reddit, & exactis mensibus filium parit, *Stephanum* dictum. Is iam in suam tutelam veniens, à tyrannis eiectus, ad *Iacobum* Aragoniæ Regem sororis maritum confugit: Inde Venetias profectus, ex *Tomasina Maurocana* filium sustulit, *Andream III.* cognomento *Venetum*, cuius est sermo. Cumque *Ladislaus* Rex ob vitæ incontinentiam sacris prohibitus esset, spe regni in Hungariam venit; Cum esset in itinere (scribit *Roo*)

XV. *Capitur.*

ab *Arnoldo* quodam Silesio Trigauiensi Comite captus ad *Albertum* ducitur, & Viennæ ad aliquot dies in liberà custodià habitus, ea conditione dimittitur, vt *Agnetem* Alberti filiam vxorem duceret; & pacem seruaret. Interfecto postea à Cumanis *Ladislao*, in Regem eligitur. Coronatus in Austriam protinus armat militem; sed domi seditione ortà, pacta renouat, pacem iurat, nuptias petit, quæ Anno Sal. 1296. sunt celebratæ.

XVI. *Venenũ haurit Albert.*

Hungarorum firmata pace, inter Salisburgensem, & fœderatos aduersùs *Albertum* arma reuocat venenum inter epulas propinatum *Alberto*, nescitur à quo. Id tantâ malignitate in præcordia irrupit, vt exanimi corpori sola ratio constaret. Occluduntur statim ostia, exitus cuique prohibetur. *Fridericus*, & *Albertus Buchaimij* fratres, quia proximi mensæ adstabant, mox suspicione à præsentibus defiguntur, quasi venenum temperassent. Illi vti omnem suspicionem ab se amolirentur, in dapes inuolant, vt degustatis iniuriam propulsent. Verùm *Albertus* nutu testatus, vtrumq; esse innoxium, manu vetuit facere virulenti ferculi experimentum. Medici desperatà salute hoc vnum adhibuere remedium. Supinis pedibus, capite deorsum suspenso, attollunt *Albertum*. Sic egurgitato veneno conualluit. Pallor tamen perpetuò deinceps hæsit in vultu, & oculorum alter extillans, reliquit Alberto *Lusci* cognomentum. Vxor ijsdem diebus Græcis Stiriæ filiolam pepererat, cui *Catherina* nomen fuit. Audito viri periculo, nondum exacto puerperij tempore, Viennam proficiscitur.

Interim *Adolphus* Cæsar homo bellicosus, licet aulici ignarus arcani, Moguntini tamen consilia, imperij exordia prospera habuit, gratus populis, & Principibus venerabilis. Cæpit autem odio haberi à togatis, quia nullo essent numero, sed omnia vnius Moguntini regerentur imperio. Prorsus inutilem inficiabantur Cæsarem, & tantę moli imparem, quasi non ipse regeret, sed à suo regeretur Gnathone. Quærulæ voces, & indignantium probra non bis relata sunt Cæsari, qui sentiens vnius Moguntini supercilium regiæ detrahere Maiestati, paulatim ProRegem subduxit; Vulnus porrò exulcerauit, quum in locum Moguntini militaribus viris suffectis, adhuc ludibrio erant togati, quasi non literis, sed armis tantummodò regeretur imperium. Aulam tractabant equestres vt castra, & populo imperabant vt militi. Inde rigida, & quasi sanguine conspersa decreta; insolentia prope militaris; fastidium Principum; contemptus populi; & buccina strepēte militari legum vox rauca, & obsoleta; Adulteria impunita; stupra virginum illustrium, sanctimoniales ipsæ non immunes; Inualido Cæsaris imperio,

XVII. *an. 1297 Principũ alienatio ab Adolpho.*

Mogunt. odiosus.

XVIII. *Adolph. togatos parui facit.*

quod

An. 1297. quod si non vi, pecuniâ tandem turbabatur. Eò venerat sordida auaritia, vel Regia paupertas, vt libertatem suam venderet *Eduardo* Anglorum Regi. Qua de causa apertè in *Adolphum* concita est plebs. Bellum in Flandria *Eduardus* Rex Angliæ cum *Philippo Pulchro* Gallorum Rege gerebat, qui *Guidonem* Comitem eius prouinciæ ob affinitatem cum Anglis initam, dolo ad colloquia pertractum cæperat, captum in Gallias miserat. In eius belli societatem Anglus centum aureorum millibus numeratis, Cæsarem adsciuerat. Eam pecuniam Cæsar, cum in Principes partiri debuisset, in vsum conuertit priuatum, & Thuringiam ab *Alberto* Thuringiæ Principe emit: qui post susceptos ex *Margaretha Friderici II.* Imper. filia *Fridericum*, & *Diethmannum* filios, pellicis impudico captus amore, vt adulterinos filios in sui intruderet hæreditatem, legitimis præteritis, omnem Adolpho ditionem pretio, excepta arce VVartburgensi, quam sibi viuens retinuit, duodecim millium marcarum auri, siue 94000. florenorũ dedit. Cũ vero Thuringi *Adolpho* negarẽt *homagiũ*, nisi iuramẽto fidelitatis soluerẽtur à suis Principibus *Friderico*, & *Diethmanno*, vi eos cogẽdos adegit. Quare *Thuringiam*, & *Misniam* armis expilaturus adortus, diripuit, vastauit, moniales, & virgines stuprandas militibus immanitate plusquàm barbarâ dedit. Nec Marchiones *Fridericus*, & *Diethmannus* suis defuere rebus: collecto ingenti exercitu cum *Adolpho* variâ dimicarunt fortunâ. Imperator primum in Osterlandia Friburgum, & Numburgum, postea Creutzburgum, cum ei ignem iniecisset, in deditionem accepit. Inde in Misnia Fribergam vrbem metallicam, quam XVI. mensibus obsederat, proditione accepit. Arce paucis post diebus dedita, ea conditione, vt nobiles liberi cum armis permitterentur abire; fidem *Adolphus* Punica fide seruauit. Sexaginta enim ex eis ciues securi percussit; reliquos accepto pretio manumisit trium vrbium, *Grimmæ*, *Rochlitij*, & *Leisnici*. quas *Fridericus* Alberti filius pro redemptione tradidit. Ita *Fridericus* tota ferè ditione pulsus, collectis amicis, & exulibus, noctu Rochlitiũ recepit, & paulò post ex insidijs *Philippum Nassouiensem* fratris *Adolphi* filium intercepit, qui vt liberalius in captiuitate haberetur, *Friderico*

XIX. *Bellum Anglorũ cum Gallis.*

XX. *Albertus Thuring. vendit Thuringiam.*

Immani tas Adolphi.

Geiram, dobelam, & Bornam reddidit. An. 1297

Referunt alij *Iacobum Castellionem à Pulchro* submissum, qui pecuniæ magnâ vi oblatâ, *Adolpho* vti in eo bello quiesceret, persuaserit. Alij *Albertum* abs Rege donis cultum, vt bello Cæsarem aggrederetur, eique Domi negocium facesseret. Se excusabat *Albertus*, non dandum sibi redarguens ignominiæ, *si Gallorum Regi mereat, cum Cæsar Anglo se stipendiarium fecisset.* Adolphus autem vt inuidiam declinaret, regnum Arelatense, & alia per Gallos Imperio ablata, misso Caduceatore, repetit, nolenti cedere, bellum indicit, quod non gessit. Culpabatur, quod cum illi opes deessent ad tutelam imperij, mercede ab Anglo acceptâ, stipendiarium se illi fecisset; fractâ fide periurum cecidisse, replicato facinore Cæsaris nomen contumeliosum reddidisse. Hæc & similia inter Principes clangebat tuba Moguntina. occulto dolore Archiepiscopus, quia deturbatus fuisset ministerio, meditabatur, quibus prouexerat artibus *Adolphum*, deijceret. Vnde Pragæ primùm agitata consilia cum *Adolpho* Saxone, cum duobus Brandeburgi Marchionibus, ipsoque Bohemorum Rege, cuius tum per Moguntinum agebatur coronatio. Conuenerunt omnes in *Adolphum*, decretaque dies ad maturandam Egrę Cæsaris abdicationem. Conspirarunt, & reliqui in Cæsarem Principes, exceptis Boijs, qui licet necessitudine iuncti cum *Alberto Austriaco*, timore perterriti, rebellionis expectabant euentum. Porrò Arcanum silere nequijt in turba Principum. Vndè *Adolphus*, coniuratione detectâ Moguntinum è Bohemiâ reducem bello aggreditur, ne Egræ haberentur comitia, cui filium *Rupertum* præficit, ipse cum parte copiarum in Alsatiam pergit, vt affines, & *Alberti* conscios damno premeret. Odium *Adolphi* in *Albertum* tonabat, veluti imperij procum, & cæterorum potentissimum. Eo victo, cæteros minimè timebat. Arma verò tulit in cassum, à Principibus desertus, cum præter *Ottonem*, & *Rudolphum* Palatinum generum suum, Bauariæ Duces, cui fideret tutò posset, haberet neminem. *Albertus* porrò suorum literis ad Comitia accitus, rebus domi constitutis, & in Hungaros *Hermanno Landerbergico* præposito, iter aggreditur cum Bohemis, Saxonibus, & Branderburgicis auxilijs. Iunctus ei est

XXI.

XXII. *Querela in Cæsarem.*

XXIII. *Mouet in Moguntinum.*

XXIV.

an. 1298 est in itinere præfectus Athesinorum missus
XXV. à filijs *Meinardo* iam prædefuncti. Ex Suevia *Rudolphus Habsburgicus*, Constantiensis Episcopus, cæterique aderant cognati. Factæ sunt in itinere quædam velitationes cum Cæsarianis, qui *Albertum* insequebantur, vt in pugnam traheret, ipse verò quantum poterat, declinabat. Aderat Cæsarianis in castris *Otto Bavarus*, cui insidias per suam ditionem itvro struens *Albertus Haigerlochius*, & ab eodem *Ottone* præuentus interficitur.

XXVI. *Albertii provocat.* Ad Rubeacum Kenzingam prope hostiles conuenerant copiæ, & solo Elza amne dirimebantur. *Adolphus* pugnæ auidus, *Albertum* prouocabat ad pugnam; is copias expectans auxiliares Argentoratum secedit. Eò venere Ochsenstainij, Bipontini, Liningenses, Hohenlloice, VVirtembergenses cum quibus, declinato Cæsare Moguntiam venit: vbi Electores iam de summa agebant Imperij. Aberat Palatinus gener Cæsaris; à Bohemo legati venerant, *Adolphum* magnis criminibus accusantes. Et ne iudicium ordo subuerteret, Saxonum regulum arbitrum honorarium (quippe *Rudolphus* Præfectus prætorio Rheni, Rectorque Bauariæ, cuius munus est de quærimonijs aduersùs Cæsarem delatis cognoscere, iusque dicere, venire renuerat) capiunt, tribunali imponunt, *Adolphum* homicidij, stupri in Virgines, socordiæ, negligentiæ, periurij, quod à Francis Occidentalibus non repeteret capta, accusant. Deinde S. Consulto eum à fastigio deturbant, vacuam declarant se-
XXVII. *Albert. eligitur Imperator.* dem Cæsaris. Postremò ne imperium sine capite, sicut corpus sinè anima contabescat, *Albertum* rebus imponunt, Cæsarem nuncupant. IX. Cal. Iulij. Francofurtum cum accessurum *Albertum* Adolphus crederet ad sumendam coronam, Oppenhemij castra metatur, & Moguncià egressum lacesseret; *Otto* & *Rodulphus* Bauariæ Duces, Comites Isenburgicus, & Spanheimensis; Francofurti Nemetum, Vangionum Præfecti cum copijs suis iuuabant *Adolphum*; expectabantur Treuirensium, aliorumque auxilia, sed impatiens, sic forsam iubente Deo, *Albertum* insequitur, qui in agro Van-
Adolphi pugna. gionum insederat. Non detrectauit pugnam *Albertus*, sed quæsiuit simulatâ fuga, vt hostem pugnæ auidum inflammaret. *Adolphus* itaque spreto suorum consilio, qui auxiliares clamabant esse expectandos, dato signo manus conserit. Sex horis fortiter vtrinque pugnatum. Arrisit tandem *Alberto* fortuna, quùm *Adolphus* dum strenuè rem agit, equo deiectus, caput allidit, mox in equum à suis sublatus, galeam abijcit, & in *Albertum* ipsum inuectus, sublato clamore: *Hic* (inquit) *Romanum relinques imperium:* XXVIII. *Occiditur Adolphus.*
Cui Albertus, *In manibus Dei sint fortes meæ*, respondens, in facie illum propè oculum leui vulnere perstrinxit; inde *Comites Siluestres* circumuentum occidunt. Vbi *Adolphus* iacuit exanimis, *Albertus* victor per præcones edixit, ne vltra cognatæ percuterentur acies, & sanguis funderetur ciuilis.
Captus est *Adolphi filius Rupertus*, & Moguntino traditus, à quo postea aliquot oppidis se redemit. Ferunt Moguntinum viso *Adolphi* corpore, dixisse: *Validissimum hac die cor cecidit*, neque à lacrymis abstinuit. XXIX.
Cuius fidem suspectam habens *Albertus*, ne abs se discederet, antequàm cætera negotia perfecisset, postulauit. Ei, nemine refragante Electorum, v. Id. Aug. confirmatum est imperium, IX. Cal. Septemb. à *VVigboldo* Colon. Archiep. Aquisgrani, cum coniuge *Elisabetha* coronatur: cum iam Anglus, & Gallus fædere inter se, & affinitate iuncti bellum deposuissent, & *Albertum* iuuandum aduersùs perfidum *Adolphum* ducerent, quia à Rege ad Regem auto corruptus defecisset, fidemque minimè seruasset. XXX.

Occisi corpus *Adolphi* in Monasterio *Rosental* fuit humatum vsque ad tempora *Henrici* Regis Lutzelburgẽsis, cuius mãdato Spiram cùm honore delatum in sepulchris Regum locatum est prope *Albertum* æmulum suum. Vnde vix discubant palmo, qui viui maximè inter se dissidebant. XXXI.

Epitaphium

Anno Mileno trecentemo minus vno,
In Iuliomense Rex Adolphus cadit ense.

Symbolum.

Præstat vir sine pecunia, quàm pecunia sine viro

Aliud

Delphinus anchora implicitus, sub lemate, *Festina lentè*.

Coniuratorum exitus tragicus fuit. Nam Comes *Albertus Hohenbergensis* ab *Othone* Bauaro antea visus est. *Otho de Ochsenstain* estu suffocatus. *Gerardus* Ep. Mogunt. Subità XXXII.

tà apoplexia in sella extinctus, *Conradus* Ep. Argentinensis lancea traiectus perijt. Comes Lyningensis frenetide correptus. *Albertus* Imper. à nepote confossus.

ADOLPHI IMP. LEGES.

I.

Ne bona ad Ecclesiam deuoluta à consuetis tributis eximantur.

NOs ADOLPHVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, Consulibus, & ciuibus de N.

Præcipimus, & Regali sancimus edicto, vt omnia bona infra districtum Ciuitatis constituta, quocunque nomine censeantur, quæ sturam seu præcariam persoluere consueuerunt, ad quorumcunque religiosorum seu aliorum cuiuscunque conditionis manus, quocunque alienationis titulo, transferantur, more solito sturam seu præcariam in perpetuum contribuant, & persoluant, quemadmodum ab excellentissimo Principe, inclyto quondam Rudolpho Romanorum Rege, nostro prædecessore, idipsum sancitum extitit edictum. Datum in Fridberg, 2. Nonar. Augusti, Indictione 6. Anno Domini MCCXCIII. Regni verò nostri anno secundo.

II.

De insulis Rheni, & diuersis alijs capitulis.

NOs ADOLPHVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, recognoscimus per præsentes, quòd nobis anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, in die beatorum Tiburtij, & Valeriani Martyrum, in generali Curia apud Nurenberg pro tribunali sedentibus, ad requisitionem spectabilis viri, Reinaldi Comitis Gelensis, per communem Principum sententiam est obtentum.

1. Quòd si insula nata est in Rheno vel alio flumine, in Comitatu alicuius Comitis, qui in ipso flumine recipit telonia, & conductus, habetque Comitatum eundem, telonia, & conductum ab Imperio in flumine prædicto; eadem insula potius spectat ad Imperium, & ad ipsum Comitem, quàm ad alium Dominum, cuius districtus protenditur ad ripam fluminis prælibati.

2. Secundò ad eiusdem Comitis instantiam est obtentum; quod nulli licitum est munitionem erigere de nouo in Comitatu alicuius Comitis, nisi petita eius licentia, & obtenta. Si autem Comes alicui, ædificanti munitionem, præstitit patientiam, quousque ædificaretur munitio, & passus est dominum eius tamdiu pacificè possidere, donec secundum terræ consuetudinem prascriberentur alia bona contra Comitem, vel alium quemcunque; quod posteà non potest impeti à Comite super ædificio prælibato.

3. Tertiò fuit obtentum; si inter aliquos discordantes super homicidio aliqua compositio intercedat, & à parte, quæ iniuriam intulit, parti læsæ satisfactio impendatur, & compositio fiat pro consanguineis omnibus partis passæ iniuriam; postmodùm verò pars iniuriam passa proponat, quòd non pro omnibus de parte eadem compositio interuenit, sed quibusdam nominatim exceptis; alia parte dicente è contrario, quòd pro omnibus consanguineis læsæ partis compositio facta extitit, & satisfactio subsecuta: partis hoc affirmantis probatio cum duobus testibus (ita quod manus affirmantis sit tertia) potiùs sit admittenda, quàm partis contrarium asserentis.

4. Quartò fuit quæsitum pro ipso Comite; si alicuius Domini familia in oppido, cuius dominium spectat ad ipsum, male tractatur verbis vel factis, vtrum Dominus loci vel Scabini ipsius debeant factum huiusmodi iudicare? Et obtentum fuit communi sententia, quòd potiùs spectat ad Dominum iudiciū huiusmodi, quàm ad Scabinos prædictos: nisi forsan ipsi ciues per libertatem concessam ab ipso Domino vel à suis prædecessoribus, contrarium doceant.

5. Quintò sententialiter est obtentum; quòd si aliquis obsidet castrum in terminis Regni Romani, nisi prius obtinuerit in figura iudicij, quòd licitè facere illud posset; Nos obsidenti debeamus dare auctoritate Regia in mandatis, vt obsidionem suam dissoluat, & prosequatur suam iustitiam coràm nobis.

6. Sextò sententiatum extitit coram nobis; quòd si debitor dicat, se creditori debitum persoluisse, creditor verò neget; ipsius debitoris, & non creditoris, est super hoc probatio admittenda. Datum anno Domini, die & loco prædictis; Regni verò nostri anno secundo.

Monetam auream Adolphi Imp. vide pag. 4. supra.

ALBERTVS TRIVMPHATOR OCCIDENTIS IMPER. XXXI.

LIBER TRIGESIMVS PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

1. Adam cur à Deo, non ab Angelo eiectus de paradiso? 2. Regum correctio Deo reseruata. 1. Ioh. Ducis Sueuiæ percussoris Alberti I. Imper. effigies. 5. Alberti I. Imp. cædes, hieroglyphicum. 6. triumphator dicitur. 2. in Bohemos ducens, crucem erigit. 8. emblema. 9. odiosus Austrijs, quia eis Sueuos præponeret. 10. pactum init cum Hungaris de successione in regnum. 12. Moguntino obstante, non eligitur Imperator. 13. patienter fert repulsam. 14. veneno oculum amittit. 16. Adolphum Imperatorem occidit. 17. bis electus Imperator. 18. eius electioni obstat Papa. 19. Galliam sibi respuit oblatam. 20. eius victoriæ. 23. mouet in Bohemos. 24. à nepote occiditur. 24. cum Adolpho hoste suo sepelitur. 11. Rudolphi obitus cometa prædicitur. 21. Rudolphus filius Alberti I. Imper. eligitur Rex Bohemiæ. 22. Henricus Carinthiæ eligitur Rex Bohemiæ. 22. Fridericus filius Alberti I. Imper. prensat coronam Bohemiæ.

1 IOannis Ducis Sueuiæ, percussoris, & Regicidæ effigiem habes in hieroglyphico *Alberti* I. Imp. (Iacet hic à nepote proditoriè confossus) Astræam vides, quæ aduersùs Regicidam indignata, non tam impium tentat prohibere facinus; quàm improbare Deum digito monstrando, qui ex Regia paradisi, Adamum totius orbis Principem, quamuis læsæ diuinitatis reum ab Angelo (qui respectu Dei subditorum est symbolum) torqueri non finit; sed ipse manu sua *Adamum* Principem Paradisi regia deturbat; quia Regum correctio soli Deo sit reseruata, & in signum Omnipotentiæ eam minimè creaturæ permittat Creator. 11.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

CVr infide Nepos gladium tua dextera tollis?
An cupis Albertum sternere cæde Ducem?
Proh miser? Heu nescis, quis Regum crimina punit
Summa Deus, cum non plectere possit homo?
Terrestris regni fugientem conspice Adamum
Delitias; illum, quis fugat? Ira Dei.
Tu vero infelix, perfungi munere diuæ
Audes iustitiæ? Quomodo tutus eris?
Hoc quidem certum à cunctis, dictumque Tonantis
Stat, quòd ferro alius qui ferit, ense perit.

Pong.

ALIA.

SIste, quid intentas? pone iras, siste Ioannes,
Haud fas, Albertus *te feriente, cadat.*
En, superis vt cedat Adam Pater atque hominum Rex
Sedibus, ipsius Numinis Imperio.
Supremo Reges Regi, Regumque potestas
Supremo & soli est subdita nempe Deo.

Franc. Franzinus, S. Th. D.

AL-



ALBERTVS I. TRIVMPHATOR
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXI.

Lege Fama, priusquàm ad Principes te delegem: *Sal. An.*
Hic situs *Albertus*
VI. Dux Austriæ primus, Austriadum Cæsarum secundus.
Victoriam triumphus sequitur,
Victoriosum patrem *triumphator* filius.
Genus *Rudolpho* patri debet:
Quòd Rudolpho successerit, patriæ, vel sibi.
Felix genitor, filij virtutes spectauit, non sperauit.
Felix filius, vt patriæ præciperet, non percepit à patre. 1298.
Sed à virtute.
Duce Patre in Bohemos ægressus,
VII. Homines, vel Angelos duxerit?
Labara dicunt vtrumque
VIII. *Alberti emblema.* Dextera gladium, leua crucem, vtraque victor
Gerens in hostem, elisit, elusit,
Fugam Victoria nescit.
IX. *Suecuos cum Austrijs in aula præponeret, eorum odium sibi concitauerat.* Inter manubias postquàm Austria cessit *Alberto*
Austria cecidisset *Albertus*, ni Deus seruasset.
Austriam amiserat, cum austerus pietatem omiserat.
Regna ferro quæruntur, feritate perduntur.
Initium salutis *Alberto* fuit notitia peccati.
X. *Pactum inijt cum Hungaris de successione; si masculus Regi Hungarorum deficeret.* Confines, affines fecit:
Vnoque coniugio filiam Hungarorum Regi,
Hungariam Austriæ maritauit.
Viennensibus exclusus portis, manibus reclusit moenia;
(*Non alius est triumphatoris ingressus*)
Sic fatigauit, profligauit.
Attritam victorijs clauam, qua monstra fregerat,
In leue tulit sceptrum, quo homines regeret.
Extincto interim *Rudolphi* lumine,
XI. *Cometa prædicitur Rudolphi obitus.* Vt iusto iusta solueret, nouam Cœlum accendit lampadem
Credidit Moguntinus Diogenes, vt extra *Albertum* quæreret hominem
Et si non esset, precibus, vel pretio faceret.
XII. *Obstante Moguntino, Albertus non eligitur Imperator.* Sic *Rudolpho* successit *Adolphus* non iure sed iniuria.
In facta siluerunt Fata, sed ad tempus,
Humanoque auro aura cessit cælestis.
Poterat imperare, quod non impetrauit *Albertus*,
Et viribus se virum ostendere.
XIII. *Albertus patienter repulsam fert.* Malens tamen imperium adire, non aggredi, expectauit,
Donec constaret, beneficium dare, non accipere,
Quòd regnaret.
Viennam rediens, penè seipsum clementia perdidit.
(*Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli*)
XIV. *Veneno petitus, oculum amittit.* Venenum vino corrupti miscuère Sycophantæ
Iamque mors ori ingesta, ingressa media,
Maiestate exterrita, oculo hæsit, extinxit.
Violauit poculum oculum, vt & *Monoculus* euaderet,
Et colorem mortis, quam euaserat, seruaret in vultu.

Inde

Inde tamen non minus vidit; nec minus vixit
Cæpit Argus esse, dum Cyclops.
Vno etiam oculo omisso, non omisit Germanus Annibal
In hostes ferociùs ruere.
Aurei *Adolphi* mores, ferrei facti, cum ferri nequiret,
Nec *Alberti* gloria Austria capi;
Iisdem artibus Germanæ aulæ alea
In *Albertum* recidit, vt *Adolphum* recideret.
Propriæ Maiestatis reus, XV. *Adolphus operā locat Anglis in Gallos.*
Auro conductam Anglo stipendiariam abiecerat.
Marti filio cum vis ius esset,
1298. A legibus appellauit ad arma, XVI. *Adolphus caditur ab Alberto.*
Vbi *Albertus* manu sua cæso Cæsare, dictus Augustus:
Tota plaudente Europa,
Io: Pæan, Io Triumphe
Austriaco Herculi triumphatori Alberto,
Ob imperium seruatum Austriæ victorijs.
Multorum sanguine constitit grande nomen. XVII. *Albertus bis electus, bis coronatus.*
Sic constant Reges,
Non nisi per sanguinem ad purpuram ascendere,
Eam ne diceretur ferro vsurpare,
Renouatis Francofurti calculis,
1299. Nouo, vnoque exemplo *Bis Cæsar* imperauit:
Tanta procerum frequentia, XVII. *Saxo suffocatur.*
Vt turba semper Principibus noxia, Saxonem sepremuirum suffocarit.
Roma supererat, quæ Cæsarem respuebat Romanum, XVIII. *Coronationi Alberti obstat Papa Bonifacius.*
Nolens *Bonifacius* benefacere, quàm coactus
Germaniam randem obtulit, si & Galliam acciperet.
1302. Exauctorato *Philippo* Rege, & notato anathemate regno:
Negauit *Albertus* aliorum ruinis solium firmare, XIX. *Galliam sibi oblatam Albertus respuit.*
Et astrorum occasu solus lucere.
Rex non à regno, sed regio dicitur animo.
In Bauaros, Batauos, Bohemos, Hungaros XX. *Alberti victoriæ.*
Prima intulit arma, secundo vbique successu,
Quasi felicitatis securus.
1306. *VVenceslao* mortuo, filium Bohemiæ sacrauit
Illa Regem consecrauit, XXI. *Rudolphus filius Alberti, Rex Bohemiæ, moritur.*
Sed hunc ostendere superi, non dedère,
Veneno euanuit.
Diuisa Respublica non vnum vocauit, nullum elegit. XXII. *Fridericus Alberti filius, Bohemiæ coronam ambit.*
1307. *Henricus Carinthiæ, & Fridericus Austriæ*
Proci prensabant proceres.
Sed cum Regum purpura sanguine priùs tingatur, quàm murice
1308. Sexaginta militum chiliadas pro filio mouet pater XXIII. *Albertus mouet in Bohemos.*
Victoriam gestiebat in sinu *Albertus*,
Cum decimo Imperij anno, decumana fortunæ vnda
In portu victoriæ fecit vitæ naufragium. XXIV. *Albertus occiditur à nepote cuius tutelam gesserat.*
Duodecies bellator, ac triumphator
Postquàm Herculeum percurrit Zodiacum
Inter Rusam, & Arulam ferè in aquis conflagrauit.
Cithara est vita, frangitur, si argutiùs sonet.
Lethum nos occupat, cum læta capimus.

Tanto

Tanto funeri præluxit Cometes,
Qui soluto ad luctum crine,
Visus necem prænuntiasse inuitus.
Occubuit, tamen, non procubuit *Albertus*
Nec vno vulnere, vt magnæ animæ pateret ægressus.
Stans Imperator mortem accepit, ac terruit,
Spiritum eflans Regicidis ipsis formidabilem.
Manu transfoditur, quam educauerat,
Testata mora non aliter, in eum audère
Qui tot palmas numerauerat, quot victorias.
Vel

XXV. *Sepelitur cum Adolpho hoste suo.*

Occulto iudicio *Adolphi* animam repetente.
Hostes in thalamo, hospites in tumulo,
Vno continentur palmo, qui Orbis contendebant ad palmam.
In tumulo nemo tumidus;
Albertus
Quod non agnouit in arena Martis, cognouit in puluere Mortis,
Deos subdi Deo.
Iusque Regum esse
Cognitorem, vltorem, & iudicèm habere Deum
Hoc Sacramento securus *Albertus*,
Prope culpam pœna quiescit,
Quasi cædem suam Nemesi ostenderet in exemplum.
Et inter manes manum Domini posceret in vindictam.



C A:

CATENA HISTORICA.
PRO ALBERTO AVSTRIACO
CAPVT SECVNDVM.



Elisabetha uxor Alberti Imper.
Catharina Filia Alberti Imp.
Rudolphus Mitis Rex Bohemiæ Filius Alberti I. Imp.
CVRA . VIGILA
Margareta Brabantiæ uxor Henrici VII Imp.
DUCISSA
Henricus Comis vel Placidus Alberti Imper. Filius
AD . SALUTEM
ILLUSTROR
Joh. Rex Bohemiæ Filius Henrici VII Imper.
Otho Venustus Alberti I. Imper. Fil.
Symbolum Joh.
Aliud Freder
Leopoldus Gloria Militum Filius Alberti Imper.
Numisma Friderici Pulchri Imper.
ADHUC STAT
Moneta Aurea Henrici VII Imp.
Numisma Friderici Junii

NATALIA. NOMEN.

I. 

EX patre Rudolpho I. Imper. nascitur *Albertus*, cognomine *Austriacus*, quia cum Austria vacaret hærede, à *Rudolpho* Imper. data est *Alberto* filio cum titulo Archiducatus. *Monoculus*, dictus, quia venenum illi propinatum (suspicio est in Archiepiscopum Moguntinum) euomuit, sed tanta veneni vis fuit, vt alterum oculum amitteret.

Vxor. Liberi.

II. *Elisabetha* filia *Meinhardi* Ducis Carinthiæ, Comitis Tyrolis, & Goriciæ, soror vterina *Conradini*, pia mulier, & ingenij supra fœminam. Fontes Salis propè Smundum in Austria superiore inuenit, & coquendi normam tradidit. Vnde omnibus cænobijs in Austria sale prospexit, & maximis prouentibus ditauit hæredes: Vide effigiem pag. 80.

Ex sola vxore *Elisabetha*, quam vnicè amauit, plurimi *Alberto* fuere filij. Vnum supra viginti habuisse dicunt, quorum in infantia nonnulli obiere.

Albertus II. Archidux Austriæ &c. cognomento *Sapiens* & *contractus*, sacris initiatus, fratribus absque hærede extinctis, solus ditionum Austriacarum factus hæres, Pontifice dispensāte, *Ioannam* vxorē duxit, & stirpem penè collapsam propagauit. Is est, qui Tigurinis, libertatem indulsit. Obijt Anno 1358. die XXII. Iulij. Sepelitur cum vxore in Gammingensi Carthusianorum cænobio. Symbolum eius, & effigiē hic habes. III.

Leopoldus I. cognomentō *Gloria militum*, paternæ cædis vindex acerrimus, & fidelissimus frater *Friderici* Imper. contra *Ludoui-* IV.



cum Bauarum, duxit *Catharinam Sabaudam* filiā *Amadei*. Suscepit ex ea *Catharinam Austriacam* nuptā Baroni a *Cassin*.

Agnes nuptam Boleslão duci Suidnici. Numisma *Leopoldi* hic habes. Aliud etiam vide pag. 80.

an. 1298 *Henricus* Dux Carinthiæ &c. Vxorem ha-
V. buit *Annam* filiã natu maximam *S. Venceslai*
Regis Bohemiæ. Dicunt alij filiã comitis de
Vimberg. effig. symb. hic habes, & sup. p. 80. C
VI. *Rudolphus* cognomento *mitis*. Cui nup-
sit *Blanca* soror Regis Gallorum: qua mor-
tua, duxit *Callisiam* Bohemicam, vel *Elisa-
betham*. Effigiẽ symbolũ hic habes, & p. 80. B
VII. *Otto* cognomento *iucundus*, qui defuncto
Friderico, & *Alberto II.* Fratribus, dictionum
Austriacarum factus est hæres. Vxorem ha-
buit *Elisabetham* filiam *Stephani* Ducis infe-
rioris Bauariæ. II. *Annam* filiam *Ioh. Lucem-
burgij* Regis Bohemiæ. symbol. atq; effig. hic
VIII. habes, & sup. p. 80. D
Fridericus cognomento *Pulcher*, Impe-
IX. rator. Vide symbolum hic, & pag. 80. E

Filiæ

Agnes nupta Andreæ Hungarorum Regi.
X. Vide effigiem symbolum n. 40.
Elisabetha nupta *Friderico* Lotharin. Duci.
XI. *Anna* Marchioni Brandeburgensi.
XII. *Catherina* desponsata *Henrico VII.* Lut-
zelburgensi Imper. qui cum iam nuptias
esset cum ea celebraturus, veneno extinctus
est. Vnde nupsit Regi Apuliæ, & Duci Ca-
labriæ. Effigiem, symbolum vide pag. 80.
Alij tempora harum nuptiarum inuertunt.

Imperij Occupatio. An. 1298.

XIII. *Iterum eligitur Imper.* Adolphus Imperator cum cecidisset in
bello, *Albertus* iam Cæsar salutatus, quo di-
scordiam securius tolleret, veteribus Pro-
uinciarum amotis Præfectis, familiares prę-
posuit. *Io: Liechtembergicum* Alsatiæ: regio
ni transhrenanæ *Ochsenstainium*; hostibus si
XIV. pęnitentibus amnestiã datã, Principes Fran-
cofurtum conuocat, quibus resignato impe-
rio, & priori electione rescissa, vt denuò, &
liberè eligerent, rogauit, nullo sibi prioris
electionis iure seruato. Illi autem, nemine
discrepante eum denuò Cæsarem inclamant
v. Id. Aug. Aquisgranum deinde profecti, ix.
Cal. Septemb. coronant, in tanto hominum
concursu, vt ab infusa hominum multitu-
Dux Saxoniæ opprimitur. dine Dux Saxoniæ, & multi alij fuerint op-
pressi. Nouis postea indictis comitijs ad Id.
XV. Nouemb. Norimbergæ, adfuerunt Bohe-
miæ, & Apuliæ Reges cum Germanis Prin-
cipibus, qui omnes iurarunt pro immuni-
tate iurium Imperialium. Præcipue Rhæ-
ni vectigalia sub disceptatione fuere, quæ sui
iuris esse Cæsar contendebat, sed non abs-
que odio, & liuore possidentium. Ibi post an. 1298
declaratum *Rodulphum* filium Cæsaris, Ar-
chiducem Austriæ, Legatio ad Romanum
Pontificem est decreta. Missi sunt Tullen- XVI. *Legati*
sis Episcopus, & Cunradus Oetingensis Co- *ad Papã.*
mes, qui Electorum comuni nomine pete-
rent, vt *Albertum* cunctis Electorum suffra-
gijs electum confirmaret. Pontifex verò id
se facturum negauit, parricidam esse *Alber-
tum*, nihilque iuris in imperio tenetè prætet *Papa fa-*
vim publicam. Sunt, qui gladio succinctum, *stus.*
coronaque Imperatoria ornatum in publi-
cum prodeuntem, superbè se, & Pontifi-
cem, & Imperatorem iactasse affirmant.
Ego sum Cæsar, & Pontifex. Inde anno 1299. *An. 1299*
Tulli Leucorum cum Rege Gallorum *Phi-* XVII.
lippo Pulchro, qui *Philippo Audaci* patri suo *Hornus*
post victoriam Arragonensem mortuo, An- *Regũ effigium, et*
no 1285. successerat, amicè congressus, *symbola*
Blancam eius filiam *Rudolpho* filio sponsam *vide infra n. 24.*
dedit. Eodem tempore *Stephanus* frater
Otthonis Bauari Iuttam, siue *Iuditham* Polo-
niæ Principis filiam in coniugem sibi de-
spondit.

Anno porrò 300. supra millesimum, *Bo-* XVIII.
nifacius VIII. Rom. Pontif. venas aperuit *An. 1300*
misericordiæ, & annum quem secularem *Iubilæũ.*
dixerè Romani, *Iubilæum* vocauit, hoc est
peccatorum veniam ijs, qui Romam suppli-
catum irent. Constituit præterea, vt cuius-
que sæculi exordio eadẽ pietas repeteretur.

Pacis anno noua suscitauit dissidia Ger- XIX.
mania. Romano inuisus Pontifici *Albertus*, *Alberti hostes.*
non omnibus probabatur Germaniæ Prin-
cipibus. Oderat eum *Dietherus Nassouius*
frater *Adolphi* Cæsaris, e D. Dominici fami-
lia in Treuirensem Episcopum sine Cleri
suffragio à *Bonifacio* assumptus. In aliena-
tionem descenderant Moguntinus, fluxæ
fidei homo; VVigboldus Agrippinensis
eiusdem amicus, ob accepta beneficia; &
Rudolphus Boio Palatinus ab ijsdem promis-
sis illectus, sed reluctante matre *Methilde*.
Paulò ante cum Moguntinus debitam sibi à
Cæsare exigisset pecuniam, nec impetrasset,
suspenso de ceruice venatorio cornu, iacta-
uit inter aulicos, *multos se in eo Cæsares gesta-* XX.
re, quo dicto ex aulà proripuit. Coniurati
itaque Antistites, cadente Septembri, diem
dicunt *Alberto*, & quod prisci moris erat, vt
Archidapifero honoraria foret iudicandi fa-
cultas litem aduersùs Cæsarem *Rudolphum*


inter

an. 1300 inter electores sæculares primum, iudicem
causæ, & cognitorem appellant. Moguntinus sumpta de more accusatoris personâ,
Albertum reum agit, quia à Romano Pontifice anathemate percussus, sæuus, auarus,
optimi Cæsaris parricida, alienum vsurpasset imperium. Hæc in speciem recti vulgabantur pro ordine iudiciario. Simultatis autem priuata causa ea erat, quod ægrè paterentur à Cæsare repeti Rhenensia portoria,
XXI. *Causa dissidij.* quæ admodum sunt opulenta. *Quid Principibus reliquum* (dicebant adinuicem) *si quæ Cæsarum liberalitate possidemus, sola Cæsarum libido, & auaritia repetat?* Cæsar comperto
XXII. *Cæsar in Rudolph. nepotem.* comitia in caput suum agi, quibus præsideret *Rudolphus* nepos, in eum vires omnes accendit imperij. Geldriæ item, & Iuliaci Principibus, vt Coloniensem, & Treuirensem armis inuadant, per literas mandat. Ipse Moguntinum aggressus, arcibus & oppidis spoliat. an. 1300 Impares *Alberti* viribus Episcopi arma deponunt, veniam petunt, redeunt ad obsequium; sed magna iactura *Rudolphi*, qui ab affinibus, & fœderatis desertus, & prope bello exhaustus, veniam implorat, & matre obtinet intercedente; Multatus tamen onerosâ pecuniâ, quam vt solueret, necesse habuit, tributum, quod *Vngulare* vocant, à subditis exigere, certo assium numero in singula armenti capita, quod tamen ipse per Episcopos prohibitus, à Clero non impetrauit. XXIII.

Victori Augusto cum omnia prosperè cederent, venit ad eum in partibus Rhenanis castra metatum *Iohannes de Renes*, quem iusta acie deuicerat *Iohannes Comes Hannoniensis*, filius *Adheleidis* sororis *VVilhelmi* Imperatoris. Is defuncto *Iohanne Domicel-* XXIV.













lo, Hollandiæ comes electus fuerat. In eum
XXV. *Albert. in Hollados descẽdit.* mouit *Iohannes de Renes*, sed virtus transfugit ad *Albertum* Cæsarem, vsurpatorem Comitatus Hollandici insimulans *Joh. Hannoniensem*, quia post obitum *Johannis Domicelli* Comitatus Hollandiæ Romano vacaret imperio. Gratanter audijt quærelam *Albertus*, & ad Hollandiam descendens, literas per vniuersam Prouinciam destinauit sequentes. *Hollandiam imperio reuocat.*

Nouerunt vniuersi, quod Albertus Romanorum Rex inuictus vacantem Hollandiæ Principatum Romano potenter incorporauit imperio, quem Carolus Rex Theodorico Comiti donauit in feudo. XXVI.

Iride Collecto milite Nouiomagum vsq; de- XXVII.

an. 1300 descendit, adducens secum Moguntinum, Treuirensem, & Colen. Archiep. E contra Comes Hannouiensis metatis castris super alueum VVale, Regi occurrit; quem Rex ex cacumine turris procul intuens laudato castrorum ordine, armigerorum fortitudine, & multitudine vexillorum, se à Zelandis delusum existimans, retrocessit. an. 1300

Rudolphi iniquitas in Matrem. An. 1301.

XXVIII. *Rudolph. iniquus in matrē.* PEriurio *Rudolphi*, impietas accessit in matrē *Mecthildem*. Tutelā hæc *Ludouici* gerebat, quem Cæsarem videbimus. Iure agnationis se fratris legitimum cuique anteferebat tutorem *Rudolphus*. Negantem matrem vnà cum puero Ludouico Monachium captiuos abducit. *Conradum Otlingerum* maternæ litis patronum suspectæ cum matre familiaritatis per quadruplatores insimulat, capite damnat deneget filius, maternæ proditor innocentiæ. Administratione, & pupillari patrimonio expoliata mater, quem consuleret non habens, sibi ipsi sola consuluit. Mærorem sagax dissimulat, pacis sequestribus *Emicone Frisingensi Ep.* & *Othone Bauariæ Duce*, fingit cedere, quæ iam amiserat, præter exigua viduitatis alimenta. Hoc vnum petit; ne exigua vitæ suæ alimenta obnoxia forent tutelæ, nec vnquàm teneretur rationem reddere

Deluditur à matre. alienæ administrationis, vt pactum manu Cæsaris firmaretur; Non renuit *Rudolphus*; simul ad *Albertum* proficiscuntur. Vbi *Hacstadium*, locum extra *Rudolphi* ditionem, venerant, ex templò negat *Mactbildis* se pacto teneri violento. Adiunxit Ludouicus, *vt Cæsaris est sorori suæ vim propulsare illatam; sic ego domum non reuertar, quàm sub tutela maternà*. Lubens annuit *Albertus* iusta petenti; neque displicuit occasio priuatæ vindictæ, quæ in speciem recti, dicebatur ad Rempublicam pertinere; Adempta itaque non solum *Rudolpho* tutela fraterna, sed administratio proprij patrimonij, vsquè dum debita expungerentur. Sic fratris tutelæ inhiando, tutorem accepit, licet secundum leges is non daretur inuito. Detentus in aulà prætextu honoris, vsque dum cum *Othone* inferioris Bauariæ Duce ad bellum ductus; quod in Bohemos mouit Albertus: tutela matri restituta, quæ anno sequenti plena dierum atque virtutum obijt, sepulta in conditorio mariti. XXIX. an. 1302. *Curator datur Rudolpho Bauaro.*

Pontificis captiuitas. An. 1302.

XXX. *Carolus Valesius.* INterea Pontif. *Bonifacius Alberto* infensus, non solū eius electioni subscribere tenuit, sed & *Carolum Valesium* Pulchri Regis fratrem ad se vocatum rebus conabatur componere. Cardinalibus verò non annuentibus Prefecturam patrimonij contulit D. Petri. Habebat *Carolus* vxorem filiam *Balduini* Imperatoris Constantinopolitani, qui ab imperio depulsus erat. Rogat itaque Pontificem, vt Constantinopolitanum regnum socero suo repetere liceat, & Pontifex

XXXI. *Philippus Pulcher tradit carceri legatos Papæ.* adiuuaret. Annuit Papa: Propterea legato ad *Philippum* Francorum Regem Episcopo Ariminensi, auxiliares manus implorat ad redimendum Constantinopolitanum Imperium, quo recepto facile foret in Turcas arma mouere. Rex autem Flandrici belli excusabat impensas, cui legatus si negare auxilia pergeret, Ecclesiæ censuram minaba-

XXXII. tur. Iratus Rex, iubet in vincula conijcere Episcopum, & ab eo tempore, quicquid per totum Galliæ regnum Pontificij iuris habebatur, pro suo vsurpare cœpit, & ne quid Romam perferatur, edicto cauet, Episcopos Pontifici obnoxios officio mouet in eorum locum alios substituit. Hac Regis temeritate magis Pontifex irritatus, Cardinalem legat per quem iure præcipit Apostolico, vt regni iuramentum, & recognitionem sine mora faciat. Nam in decretis Pontificum habebatur regem Gallorum à Romano Pontifice oportere recognoscere regnū, in temporalibus etiàm. Vbi Legatus Lutetiam venit; iussit Rex illi bullas auferri, postea Legatum finibus abire imperat, seque suspendio daturum, quicunque ea de re legati mitterentur, affirmat. Hæc vbi Romæ legatus nunciauit, ex templò patribus congregatis, Regem Gallorum excomunicat, regnum eius primo occupanti concedit, simul in Germaniam, & Gallias ad Principes scribit, quæ putauit Regem odiosum facere, & inuidià onerare. *Albertum* postea Cæsarem declarat, sed & Regem Galliarum esse iubet *Albertus* iram Pontificis intelligens non duraturam diù, negat se tantis expensis conscripturum exercitum, & in Gallias ducturum, nisi Pontifex regnum sibi, & poste-

XXXIII. *Philippus Rex Gallorū regno priuatur.*

XXXIV.

XXXV.

Albert. Cæsar, declaratur Rex Gallorum.

tis

an. 1302 ris confirmaret. Renuente Pontifice, facile
XXXVI. cognouit *Albertus* Papam Germanis sic abuti voluisse, donec irę suę satisfaceret, vnde neque pro Gallorum Rege se gerere, nec arma in ipsum sumere voluit, Rex porrò *Philippus*, cognitis Papæ conatibus, quid rependeret, meditabatur. Anagniæ cum Pontifex esset (ita curante Rege) à Galli præfecto *Gulielmo Nogareto*, quem *Scara Columensis*, & Gibellini occultè adiuuabant, circumuentus capitur, Romam deducitur, vbi non

Papa capitur.

multis diebus post, animi ægritudine è viuis *an. 1303.*
decessit. Cur ad *Philippum* Regem non duxerint? creditur in mandatis non habuisse satelites. Alij putant Pontificià sanctitate deterritos: alij Anagninos ciues se opposuisse illis, & coactos aut dimittere, aut Romam ducere. Alij, propter morbum non ausos fuisse longiùs ducere, periculoso namque laborabat morbo. An Valesius *Philippi* frater conscius fuerit? ignoratur.

XXXVII. *Moritur.*

Expeditio Bohemica. An. 1303.

XXXVIII. Lis erat inter *Albertum* Cęsarem, & *Venceslaū* Bohemiæ Regē de Cuthnensibus fodinis, ex quibus à Cæsarianis nil effossum præter ignominiam. Legatis itaque ad Bohemum missis, petit Cæsar decumas argenti, quod eà tempestate apud Cuthnenses eruebatur, cum pari iure teneri Bohemum diceret, ac reliquos Imperij Principes, Rex verò respondit, *præter honorem nihil à Bohemis Cæsari deberi. Vltra petenti in gladio se habere responsum. Veruntamen non mirari,* aiebat, illudendo *Alberti* ærarium non satis instructum, *alienis inhiare Cæsarem, cui pecunia supererat ad militem conscribendum extraneum*. Cæsar ergo irarum plenus, validum in Bohemiam educit exercitum, sed nullo prorsùs operæ pretio, immò ne milite quidem conspecto. Nam Scoria, & alijs XXXIX.
purgamentis perfossores in aquas proiectis, quotquot ex ijs biberunt, magnis intestinorum tormentis enecti sunt. Assiduis etiam imbribus, & aeris intemperie coactus, quasi Cœlum pro Bohemià pugnaret, recessit Imperator, pacto forsam occultè inito inter Cæsarem, & Bohemum, cum nec Regem quiescentem Cæsar vltra lacesseret, nec ipse hostem retrocedentem insequeretur.

Expeditio Hungaria. An. 1305.

XL. Mortuo *Andrea* Hungarorum Rege, ma-



Carolus Apuliæ eligitur Rex Hungariæ. gna certabant dissensione proceres de nouo Rege creando. Nonnulli *Carolum Robertum*, Alberti Cæsaris ex Clementià sorore nepotem,

tem, filium *Caroli* Regis Apuliæ, eam regni sceptrà tenere putabant. Ius regnandi ducebat ab auia, sorore *Ladislai* Regis. Fauebat Cęsar, prò eo clamabat Pontifex, & intentato anathemaris timore causam vrgebat. Alij ægre ferentes à Pontifice legem præscribi in electione, quæ adhuc libera fuerat, ad
XLI. *Venceslaus eligitur Rex Hungarorum.* *VVenceslaum* Regem Bohemiæ respiciebant. Florebat tum *VVenceslai* gloria, Poloni namque pulso *Vladislao Lottico*, ab staturæ breuitate (quasi cubitalem dicas) ita appellato, regnum ad eum detulerant. Ille remissis Buda legatis, qui Regem eum ab Hungaris esse electum dicerent, gratias agit, duorum se regnorum administratione distentum, nihil vltra ambire, filium illis, si velint, regem daturum. Is igitur in Hungariam ductus regio diademate ornatur, annum agens decimum tertium. Pontifex ea
XLII. *Mouet in Hūgaros Albert.* re offensus, omnibus illis, qui *Carolo Roberto* obsequium recusabant, anathemate percutit. *Albertus* spetie propulsandi iniuriam, quæ *Agneti* Reginæ filiæ suæ, & viduæ præfuncti *Andreæ* inferebatur (nam Hungari in custodiam abdiderant vnà cum infante eiusdem nominis, minimè eas pro dignitate habentes) *Hermanum Landembergicum* cum magno exercitu in Hungariç fines mittit. Is Posonium progressus, vnà & D. Martini montem eodem tempore obsidet. Hungari verò, vt defungerentur hoc bello, vtramque Reginam custodia liberam, ad Cęsarem mittunt. Ambę postea in monasterio Kunigsfeldensi ætatem, procul aulà, & hominum strepitu egerunt.
XLIII. *Venceslaus renuntiat.* Interim cum *VVenceslaus* cognomine *Iunior*, complurium ingratijs solio fuisset impositus, *Roberti* moliente factione; parens reformidans ęmulorum inuidiam, ne qua vis ei fieret, ingenti comparato exercitu, Budam ducens, filium Regem vnà cum regni corona, quæ Hungatis sacra habebatur, ad se euocatum in Bohemiam abduxit. *VVenceslao* profecto, *Carolus* videbatur regno potiri; quod credo futurum, ni per eos
XLIV. dies legatus aduenisset Pontificis, *Nicolaus Ostiensis* Ep. Nam vulgato anathematis fulmine in eos, qui *Roberto* erant aduersi, ita eos commouit, vt vitam potiùs quàm libertatem electionis volentes amittere, nuncios statim ad *Ottonem* Ducem Bauariç, nepotem ex filia *Elisabetha* Belę IV. auito sanguine Hungarum, miserunt; eumq; si sacram regni coronam à *VVenceslao* in suam potestatem transferre posset, Regē eligerent. *Otho* tantæ fortunę spe excitatus, cōuocauit amicos: & re disceptata, amicorum consilio Legatis gratias egit, promittens se breui affuturum. Ne sibi itaque deesset, in Bohemiam profectus, prece, & precio efficit, vt corona sibi traderetur. *Otto Bauarus Rex Vng.* XLV Accepto regni pignore, in Hungariam contendit. Quo in itinere corona vidulo inclusa, comitum fidissimo commendata, ignaro tamen, quid ferret, excidit casu nulli obseruato, neque ante noctem cognito. Hinc męror, & solicitudo. Miser sua vestigia relegens, in arena à viatoribus tritā coronam obsignatam inueniens, lętus retulit in diuersorium. Omen inde interpretati; alij longum, & stabile asserebant imperium, alij breue, & ęrumnosum portendi. Quorum pręsagium firmauit euentus. *Otho* in Hungariam delatus, cum ostendisset regni coronam, ab Hungaris coronatur. Serenum exordium non diu tolerauit inuidia. Egrè ferentes Hungari in aula extraneos principari. Mussitabant nobiles, quos vt *Otho* placaret, Bauaros à se dimisit, satis sibi fidens in Hungaris. Regnum itaque lustrare aggressus, cum equitatu maximo, se per plateas, & compita populo spectandum exhibuit, in vicis etiam, & per suburbia se Regem ostentans vir futilis, vanè gloriosus, & impos consilij. In Transyluaniam descendens, vt suà præsentià se legitimum Regem testaretur, sibi *Pelam* comitem, *Thomæ* filium associauit. Præerat ibi Dux *Ladislaus*, quem XLVI. *Carceri datur.*
illi *Vaiuodam* vocant, is *Othonem* captiuum abducit, offensus, quod filiæ nuptias repudiasset. Coniectus in vincula, miserè captiuitatis iura subijt, donec post annum familiaris seruulus, an *VVaiuodæ* coniunx, florentissimi Principis commiseratione viā ad fugam aperuit. Elapsus Vratislauiam, *Conrado* Principi proditus, nouam adit seruitutem, nec dimissus, quàm pactis cum XLVII.
Agnete Poloni filia nuptijs, quas octauo huius sæculi anno, patriæ redditus celebrauit.

ALBERTI I IMP. EXPEDITIO BOHEMICA. II.

XLVIII. *Venceslai praui mores.* Euiuis sublato *VVēceslao Seniore* Bohemorū Rege *VVēceslaus iunior* à laudatissimo degenerans patre, vino & voluptatibus delibutus in socordiam delabitur. Fera-

li ve-

an. 1306 li veste ob luctum paternum intempestiuè
deposità, inuitis proceribus, *Violam* Ducis
Festinensis filiam ducit in vxorem. Poloniæ
coronam, quam de more accepturus perge-
XLIX. re debebat, spernes, ansam præbuit *Vladis-*
Vladislaus Lotticus. *lao Lottico* repetendi regnum auitum. Ex-
perrectus tandem; vt obuiaret venienti, Olo-
mucium Morauiæ oppidum, pergit. Ibi
in domo suburbanà, dum solus captat au-
ram frigidiorem seminudus, & inermis, à
nefario latrone vix sextum decimum agens
annum, tergemino lethali vulnere confo-
ditur. Percussor deprehendi non potuit.
Turingus quidam in scalis cum cruentà sicà
repertus, priùs à Palatinis discerptus est,
quàm vt parricidij authores consciosue pos-
set edicere. Sublata per hoc scelus, Regum
L. familià virili, de nouo creando Rege, consi-
Henricus Carinthius eligitur Rex Bohemiæ. lia Pragæ ineunt; nominantur duo? *Rudol-*
phus Alberti Cęsaris filius, & *Henricus Carin-*
thius Tirolensium Dominus. *Henricus* soro-
rem duxerat *VVenceslai*, propterea dotis
nomine coronam petebat. *Rudolphus* VVẽ-
ceslai senioris viduam. Dissidentibus pro-
cerum consilijs, *VVenceslai* sorores *Anna*, &
Elisabetha in comitia veniunt, vti sui ratio
habeatur, orant. Itaque *Henricus* Annæ ma-
ritus in Regem eligitur. Cęsar verò relicta
Bohemia, Comitia Norimbergam vocat,
& Principibus pactum, quod Austriacis
cum *VVenceslao*, post occisum eius patrem
Ottocarum, intercesserat, commemorat,
electionem non accedente Imperij auctoritate
factam, nullius iuris esse. Plaudent Princi-
LI. *Proscribitur.* pes, vnde *Henricus* proscribitur; *Rudolphus*
Cæsaris filius in Regem eligitur; ac protinùs
conscripto milite, copiarum partem *Rudol-*
pho committit, ipse alteram ducens, *Lunam*
oppidum, *Rudolphus* Iglauiam occupant.
Deinde iunctis exercitibus, Pragæ immi-
nent. Antequàm aduenirent, *Henricus* cum
vxore in Noricum secesserat. *Rudolphus* pro-
hibente nemine, Pragam ingressus, corona-
tur. Cumque nonnulli regni proceres obse-
quium negarent, armis aggressus, Norasdi-
tium oppidum tormentis oppugnat; vbi
vel ventris profluuio, vel veneni haustu ceci-
dit. Cadauer Pragæ regio funere, in palatij
LII. templo sepeliri vxor curauit.

Extincto *Rudolpho*, Bohemia iterum *Hen-*
rico inclinare videbatur *Carinthio*. Boij faue- an. 1306
bant fratres *Alberto* infensi, quia promissis
stipendijs fraudasset militem in Bello Bohe-
mico: vnde Carinthius per *Othonis* absen-
tiam, *Stephani* fratris ope in Bohemiam pe- LIII.
netrauerat. Ciues tamen Pragenses, & alij
quidam *Fridericum* Cæsaris filium ob vici-
nitatem, & potentiam præferebant. Eò Cę-
sar accurrens, inter Cuthnam, & Coloniam
oppida castrametatus, vtrumque frustrà
tentauit. Discedere meditabatur, & ecce
Elisabetha Regina in castra venit, vtque se *Elisabet*
duorum Regum viduata socer in fidem, tu- *Vngar. Regina.*
telamque suscipiat, obtestatur, arces, oppi-
da quæ tenebat, tradit. Ipse collocato præ-
sidio per Bauariam populabundus reuer-
tens, in Sueuiam pergit. Basileæ cum age-
ret, cui *Clemens V*. Pontif. Rom. *Ottonem* LIV. *Otto Granseius tentat Cæsarem occidere.*
Granseium ex Burgundis ortum, episcopum
dederat, quia à Cęsare is regalia obtinere mi-
nimè potuerat, animo plusquam barbaro
Cęsarem cogitat interficere. Germanum
ignorabat idioma, propterea *Hugonem à*
Sole, ciuem primarium secum adducit in-
terpretem, quem de parricidio haud pror-
sùs celauerat. Ingredientem Cæsar episco-
pum, cum is statura esset supra mediocrem,
quid sibi vellet procerus iste scholasticus? in-
terrogat. Rogatus ab episcopo, *quid Cæsar*
diceret, interpres dextrè admodum respon-
det, dixisse, *alia nunc sibi præuertenda; redeun-*
dum cras. Otto igitur actis sua lingua gratijs,
abijt. *Albertus* de periculo admonitus, sum-
mo mane vrbe ægreditur, in Ergouiam pro-
fectus, dolosa aperit episcopi consilia. Nec
diù vindicta abfuit. Anno octauo huius se-
culi per præfectos inuadit. Episcopus sibi LV.
timens, quomodò veniam impetraret, me-
ditatus, obseruato tempore, quo *Elisabetha*
Cæsaris vxor præter Basileæ suburbium,
Rhinfeldam pergeret, ad currum equitans,
eam sibi conciliatricem (quæ pacis semper
studiosa fuerat) conciliare parabat. Aulici
verò eum Augustæ comites aditu prohibe-
bant, inter quos *Cunradus* quidam, familia
Monachus, equos currum trahentes flagris
impulit; vnde Episcopus luto adspersus, &
ludibrio affectus recedere coactus fuit. Non
propterea *Albertus* Fata delusit.

ALBERTVS CAESAR TRVCIDATVR.

LVI. IN procinctu erat Cæsar vt in Carinthiam moueret, eo consilio vt *Henricum* è Bohemiâ ad Domestica reuocaret pericula. Quinquaginta peditum, triginta equitum millia sub signis habebat, cum à *Ioanne Sueuiæ Duce* nepote ex fratre *Rudolpho*, & *Agnete* Ottocari filia, quem Cæsar à puero apud LVII. Occiditur. se cum liberis suis educauerat, occiditur. Vix annum decimum tertium ferox attigerat adolescentulus, cum ipse aliquoties, & per alios paternam repetit hæreditatem, in primis verò Kiburgensem Comitatum, qui illi debebatur iure materno. Patruus & vitam agnati, & ditiones bene sibi concreditas esse respondebat; neque ipsi, quæ tantopere peteret, negatum iri, simul ac ad ætatem peruenisset, vt alios regere posset, nunc alieno eum indigere consilio. Hanc repulsam ęgrè ferebat precox ingenium, libertatis auidum, & flagrans imperij. Vltro spirantem iras, nonnulli Procerum priuatis in Cęsarem odijs, & *Adolphi* Cęsaris vltioni imminentes intendebant, sperantes, fore, vt *Alberto* sublato, insani iuuenculi beneficijs augerentur. Hi malè affectum animum stimulis excitabant; *Indignum esse, Albertum suis tantum filijs* quaque iniuria prouincias, oppida, arces, prædia, opesque parare, fratris filium paternâ hæreditate spoliare, vix vitæ habentem alimenta, veluti mercenarium aulicæ mensæ asseclam circumducere. Inter cæteros inuentores primus erat *VValterus Eschibachius* diuitijs, ac nobilitate potens, qui non tã Principis petebat nomine, quã sibi prædia quædam postulabat restitui. Ne quid porrò *Ioannes* intentatum relinqueret, misit vltimò Episcopum Argentoratensem (qui Cęsari ab epistolis erat) vt pro eo restitutionem paternæ intercederet hæreditatis. Is Calen. Maij, Cęsarem manè accedit, Comitatum Kiburgi Ioanni postulat. *Albertus* se Bohemicam respondet expeditionem parare, in qua centum equitibus Ioannem præficeret; postea bello defunctus, gradatim in paternas mitteret ditiones. Nouerat *Ioannes* patruum Badenâ Heluetiorum Rinfeldam profecturum, vbi foret insidijs opportunus. Ientaculo igitur parato, antequàm mensæ accumberet, *Ioanni* nepoti, & qui cum eo erant, singulas corollas ex floribus consertas, distribuit. Sinistrè donum interpretati, autumabant intempestiuæ petitionis fuisse argumentum. Quasi flores eo tempore magis ei conuenirent, quàm quod postulabat, Princeps verò vix lacrymas tenebat, & depositâ in mensam coronâ, ientaculo abstinebat. Tunc coniurati *Eschibachius*, *Rudolphus VVarthius*, & *Odalricus Palmensis* paucis verbis prò tempore vsi, coniurationem renouant, eo die exequuturi confirmant. Cæsar festiuè cum amicis epulatus, ingressus iter, propè Vindonissam, *Rusam* flumen nauigio cum paucis traijcit, in quibus omnes coniurati, qui de industriâ familiarissimè colloquentes se se *Alberto* adiunxerant; reliquus comitatus cum prætoriana turmâ, paulatim flumen erat traiecturus. Cumque per apertum equitans campum, cum Castellio quodam pro more confabularetur, coniurati, versis repentè equis in eum irruunt, *primusque VVarthius*: dicens, *quousque tandem cadauer illud obequitare patiemur*? Cui Ioannes, *Iam videro, sis ne mihi paternam hæreditatem daturus*. Ea voce tamquam classico audito, *Ressfelingus*, VVarthij famulus, fręno equum Cęsaris tenet; accurrit Ioannes, & vulnus eius colo infligit; *VVarthius* ense latus haurit. *Palmensis* caput ictu diffindit. *Eschibachius*, etsi præsens spectator aderat manum tamen Cæsari abstinuit. Sic Albertus in cespite iacuit exanimis, suo volutatus in sanguine. Tam miserabile exitum sortitus est Cæsar, belli gloria *Triumphatoris* nomen promeritus. LVIII. Sunt qui publicum scortum ex commiseratione accurrisse, & morientis caput gremio imposuisse, affirment. Inter eos, qui amnem nondum traiecerant, *Leopoldus* quoque, Cęsaris filius erat, qui, auditâ patris nece, suorum suasu Badenam redijt. Iacet insepultus. *Alberti* corpus in cęnobio VVestingen. si sepultum est, illinc post annum, & tres menses effossum, *Henricus VII.*, vnà cum LIX. *Adolphi* corpore, Spiræ Romanorum Regum tumulo illatum est, vt ibi sua dissidia mortui saltem componerent. Deus forsam qui inimicos suos inimicis suis vindicat *Adolphi* parricidam *Albertum* à suis trucidari LX. Vnà cum Adolpho tumulatus. permisit. Eius percussores non dispari periere fato. *Ioannes* vagus, & profugus, nunc mendici, alias mercatoris, vel agricolæ habitu

an. 1308 bitu ignorabilis, post varios casus, & discri-
mina rerum, ad Pontificem qui Auenione
tum erat, supplex venit, parricidij veniam
implorat, Pontifex *de Cæsaris cæde*, *Cæsari*
cognitionem deberi, respondet, cum accedat,
iubet. Venit tandem ad *Henricum* Cæsa-
rem, à quo Pisis, inter Cœnobij Augustani
LXII. angustias relegatus est. *Rudolphus VVarthius*
vnà cum famulo in rotam actus: *Gualterus*
Eschibachius, suasor parricidij, vel duntaxat
spectator per annos triginta quinque in agro
VVirtenbergensi mercenarium bubulcum
egit, omnibus ignoratus, donec in extrema
vitæ periodo semet prodidit. *Vlricus Palmen-*
sis in Basileæ suburbio diù delituit, tan-
demque in arce sua Altaburà, merore & re-
rũ inopiâ contabuit. Discant hinc Regicidæ, an. 1308
& qui violentas audent manus intentare in
Christum Dominũ. Sunt qui *Alberti* necẽ ad
regulam referant diuinæ Iustitiæ de pęna ta-
lionis. Qui gladio ferit, gladio perit. Nec
bella esse mouenda ciuilia rapiendæ domi-
nationis causa.

Inscriptio sepulchralis

Emulus occubuit: me perfidus abstulit ensis: LXIII.
Vlta necem soboles, claraq; facta manent.

Simbolum.

Quod optimum, idem iucundissimum.

Aliud

Manus armata telum missile librans, simblemate *Tolle moras*: idest, in bello omnis mora noxia est, sed vtendum celeritate.

Monetam Argenteam *Alberti* Imp. vide pag 4.

CAPVT TERTIVM

Occasione *Adolphi* Imperatoris ab *Alberto* interfecti, & *Alberti* Cæsaris à Ioanne Sueuiæ Duce occisi, Titulus exarandus proponitur.

REGES DEO SVBDITI.

1. *Reges ab hominum genere exempti. 2 dij. 3. et 33. diuino reseruati iudicio. 35. à Deo sunt 4. 14. 28. Ius regis quid? 5. quot modis eligatur. 9. Otium populorum à Regibus. 11. Pontifici subditi. 12. Rege inferior populus. 13. soli Deo subditi. 15. omnes fere Reges crimine polluti, sed immunes à populi insultu. 15. Regicidæ semper puniti. 16. Christi Domini dicuntur. 17. vnctione regenerati. 18. à die vnctionis numerantur anni Regum. 19. Regicidas, tirannos scriptura dicit. 20. caput populi. 21. Dominus populi. 28. Regẽ, idest Dominum petunt Hebræi. 29. officium Regis. 30. ius Regis diuersum ab officio. 31. Samuel an tyrannum describat, vel Regem.? 32. nefas populo in Regem insurgere. 36. populo non subiectus. 37. Dei legatus. 38. Saulem depositum Samuel honorat. 45. nulli ius in Regem. 46. Rex malus honorandus. 48. ex Conciliorum decretis, nulli populo ius in Regem. 49. & 54. Reges occisi. 51. Regi contra Deum iubenti, quomodò resistendum. 52. an armis defendenda religio? 53. Idololatra an deponendus? 56. à populo non iudicatur. 56. omnia facit populo inconsulto. 57. quandoque obtemperat populo. 58. sacrificium pro Rege. 59. regicidium quomodò expietur? 62. Paulum pænitet maledixisse principi. 64. ius Regum solus Deus potest interpretari.*

22. *Seruus Dominum custodire tenetur.*

23. *Tyrannus qui?*

24. *Samuel iudex fuit, non Rex.*

25. *Dux quomodo à Rege discrepet?*

26. *Gedeon respuit regnum.*

27. *Dominorum ius in seruos.*

34. *Ius patris in filios.*

39. *Saulis iniquitas. 40. poterat occidi à Dauide, & non occiditur.*

40. *Dauid cur non insurgeret in Saulem, cum posset? 41. honorat eum. 42. percutit, quia Saulis chlamydem recidit. 43. ab Angelo territus, ne in Saulem insurgant. 44. an eius actus fuerit officij, vel pietatis?*

47. *De duobus malis minus eligatur.*

50. *Deo potiùs quàm Regi obediendum.*

51. *Populus potest se defendere; non punire Regem. 55. Regiæ impietati populus non consentiat. 58. sacrificium pro populo.*

54. *Infideles vexantes Christianum non sunt ministri Dei.*

60. *Regicidæ omnes infelices.*

61. *Regni diuisio apud Iudeos.*

63. *Feudi natura, origo; nulla proportio cũ regn.*

I. ADorari Regem, quem terræ Deum scriptura resonat libro superiori exposuimus. *Sanctos* hic, & sacra Vnctione ab hominum exemptos genere, cuique, & soli Deo subditos, exarandos aggredimur.

II. *Deos* in primum eum Gregorio 4. *Moral.* salutamus, diuino tamen prohibemus honore, & quia Deos, subdimus Deo, *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos*
Psal. *diiudicat.*

Omnia cum Vicarijs, Angelis vel hominibus Creator delegasset, hunc sibi seruauit honorem, & incommunicabile munus, vt so-
III. lus iudicet Reges. Imo Callimachus hymno in Iouem, cæteris dijs hoc ipso Iouem præfert, quod cum ex Vulcano sint fabri, ex Marte milites, ex Diana venatores, ex Phœbo poetæ

Ex Ioue sunt Reges, quia nil diuinius vsquam est
Regibus: & commune datum est his cum Ioue Regnum.

Eorum ius quale, & quantum? Deus ipse librauit, ne subditi digladiarentur, & Reges: quantum hi possent? quid illi deberent. *Hoc erit ius Regis*, ait per Samuelem Deus He-
IV. bræis petentibus Regem, *qui imperaturus est vobis filios vestros tolet, & ponet in curribus suis, facietque sibi æquites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabris armorum, & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & pannificas. Agros quoque vestros, & vineas, & olivueta optima tolet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis, & famulis suis. Seruos etiam vestros Ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Reges quoque vestros decimabit, vosque eritis ei serui. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.* 1 *Reg.* 8. Regem Hebræi pe-
V. *Quot modis quis eligatur in Regē.* tierant, & postulantibus Deus Saulem prælegit. Vnde non de tyranno, qui populi libertatem vinculis dederit, sermo est: sed de Rege pacifico, quem proximitas sanguinis traxerit in successionem; vel populi plausus, in superiorem extulerit; vel Dei mandato Imperij habenas susceperit. Dissidij causam non vt Historicus, sed vt I.Consultus arripio, & Imperatorum *Adolphi*, ac
Alberti II. cædes insimulo styloque pun- VI.
gam ferreo, vnde Regum facinora, diuino edoceamur remittere calamo: nam si omnia in hoc sæculo iudicata forent, locum non haberent diuina iudicia. Mortuorum agimus causam, quamuis viuentes minimè videantur culpa vacare. Potentior deberet esse qui melior: & prò summo esset haben-
dus optimus. Verum, etiam coram Cato- VII.
ne peccatum est. Superbit in purpura scelus; tanto grauiori delinquentis culpa, quanto dignitas personæ, sceleris indignitatem auget.

Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto maior quis peccat, habetur.

Humana societas panem anhælat, *Omni* VIII.
quippe regno (ait Cassiodorus) *desiderabilis debet esse tranquillitas in qua, & populi proficiunt, & vtilitas Gentium custoditur. Hæc est enim bonorum artium decora mater. Hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores excollit; & tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minimè quæsisse sentitur. ep.*1. Confitebimur itaque cum Seneca *ep.* 73. nos multum debere ei, cuius administratione, ac prouidentia contingit pingue otium, & imperturbata publicis occupationibus quies

O Melibæe Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus.
Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere quo vellem, calamo permisit agresti. Virg. 4. IX.

Quanti æstimamus hoc otium, quod inter Deos agitur, hoc est Reges? solebat *Sextus* dicere, *Iouem plus non posse, quàm bonum Regem*. Vera oppidò dicis, priusquàm surreperent vitia, & versa essent in tyrannidem
regna. Quid cum fortes olim iustitiæ pu- X.
giles, ac pietatis vindices Reges habuimus, versa rota in infensissimum patriæ, legum, atque hostem æquitatis incidimus? Si ea non præstet, ob quæ creatus; sed ea perpetret, quæ Regem dedecent; imò & quæ humanam dissoluunt societatem, vt tyrannus iure possit appellari, nonne continuò aduersus eum arma corripiam, & dignum morte confodiam? Priusquàm soluam, & Regia limina tangam, quem Monarchomachi conueniant, prius exprimere, opus est. Pontifici

fici enim Regem subijciunt, in quem subditos possit excitare, hosque fidelitatis iuramento soluere. Negant alij, & Rege superiorem non minimè recognoscentes in terra, ipsi Ecclesiæ Regem præponunt; vel parem faciunt: in spiritualibus Vicem Dei gerentem Pontificem, in ciuilibus Regem, eo tamen fœdere, ne quisque socij iurisdictionem

XI nem conturbet. Hisce terminis non agitamus articulum, *Reges Deo subditi*. Catholicisumus, & pastorem animarum Pontificem credimus, & deuoti veneramur. Christiano gregi vnus alimenta ministrat; quis sit? ne quæras: cum iam Generis Redemptor humani vni Petro mandauerit: *Pasce oues meas*. Quantum Christi Vicarius in Reges possit, non sunt edocendi Reges, si gloriantur esse *scabellum pedum eius*.

Ad populum me conuerto contradicentem; subditos prouoco rebellantes; *Adolphi* in *Albertum*, *Alberti* in *Ioannem* ago caussam. Vt Deus Regibus legem imponit, sic Reges distribuunt populis: quibus nefas in

XII Regem insurgere. Ab eius tyrannide ad Deum prouocent. In caussa propria non audeant vsurpare iudicium, quia in superio

l. 4. rem, vel æqualem nemo potest. Quodque

ff. de recep. arb. l. populus sit inferior Rege, clarum est etiam

ille à quo si Principem electiuum spectes: Lege nam-

§. tempestiuum. ff. que Regia, ait Iustinianus Imperator. §. *sed*

ad Treb. *quod Principi de iur. nat. Gent. &c.* populus

cap. innotuit, de omne imperium suum, & potestatem in

elect. principem transtulit; Democratiam tædio habeas, Monarchiæ, se subiecit. Hinc Valentinianus Imperator militibus, qui ipsum in Imperatorem elegerant, petentibus quod ipsi non probabatur, re-

XIII. spondit: *vt me ad imperandum vobis eligeLib. 16.*

Hist. Eccl. *retis, in vestra situm erat potestate, ô milites: at postquam me elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio non vestro. Vobis tamquam sub-*

Lib. 4. c. 5. *ditis competit parère, mihi quæ facienda sunt cogitare*, Sozomenus. Idem legitur apud Theodoretum. *Vestrum fuit, milites, cum Imperator nullus esset, mihi tradere imperij huius habenas. Eas ex quo adeptus sum, de cætero non vestrum, sed meum dispicere quid Reipublicæ expediat.* Sic Vitigis Rex apud Cassiodorum: *caussa regiæ potestatis supernis est applicanda iudicibus, quandoquidem illa è Cælo petita est, & soli Deo debet innocentiam.* & alibi apud eundem Cassiodorum idem Rex: *alteri subdi non possumus, quia iudices non habemus*. Et Gregorius Turonensis Episcopus ad Francorum Regem: *si quis de nobis, ô Rex Iustitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si vero tu excesseris, quis te corripiet? loquitur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te damnabit, nis ijs qui se pronunciauit esse iustitiam.* Et Orat. lib. 6. Od. 1.

Princeps dominatur populo, Principi Deus.
Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Iouis
Clari Gigantheo triumpho
Cuncta supercilio mouentis.

Indè Agapetus Diaconus vt apud Stob: Ser. 37.
Rex quidem est omnium Dominus, Seruus autem Dei cum omnibus, hac de caussa Dauid Rex cum post cumulatum, adulterio homicidium lacrymis rigaret stratum suum, dicebat: *Domine tibi soli peccaui. Psal.* 50. ergo alium iudicem delictorum, præter Deum non agnoscebat. ita D. Hieronymus. *tom.* 1. *epist.* 46. ad Rusticum. *Rex eram, & alium non timebam*. Idem *ep.* 22. ad Eustochium: *Ad Dominum Dauid penitens loquitur, Tibi soli peccaui &c. Rex enim erat, & alium non timebat.* Et Ambros. *in Psal.* 50. *Rex vtique erat, nullis ipse legibus tenebatur; quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum, neque enim ad pœnam vllis vocantur legibus, tuti imperij potestate; homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.* Et Arnobius ad eundem psalmum. *Omnis qui sub iudicio viuit, cum deliquerit, peccat Deo, peccat & legibus Mundi. Hic autem Rex sub nullo alio, nisi sub solo Deo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens soli Deo peccauit.* Et Otto Frisingensis Episcopus ad Fridericum Ænobarbum. *Soli Reges, vt pote constituti supra leges, Diuino examini sunt reseruati, sæculi legibus non cohibentur; vnde est illud tàm Regibus, quàm Propheta: Tibi soli peccaui.* In homines itaque peccauit, sed hi superiores non erant, qui possent eum iudicare. Et inter Iudæos Rabbi Nachman idipsum colligit ex eo, quod dicit idem Dauid, *Psal.* 17. *à facie Dei iudicium suum egredi*, ac si diceret se tanquàm Regem à solo Deo iudicandum, quia *nulla creatura iudicat Regem, sed solus Deus benedictus.* Inde Marcus Antonius victis Germanis, cum à militibus de pecunia rogaretur, non dedit, dicens: *si quid plus quàm esset constitu-*

tum, acciperent, id ex ſanguine parentum ipſorum propinquorum exactum iri. Principis enim ſolum Deum iudicem poſſe. Dion. *lib.* 71. Aſtrologi qui Aſtrorum violentia ſtrepunt cuncta moueri, Regem tamen ab Aſtrorum ſubducunt imperio, & ſpeciali prouidentia ponunt *Cor Regis in manu Dei.* Iul. Firm. *Mater. 2. c. vlt.*

XIV. Nec iuuat Monarchomachorum commentum ad excitandum in populo, quam non habet, iuriſdictionem, dicentium Regum ſupereminentiam adhærere moribus, qui ſi iniqui Regem exarment, & ſolio deturbent. Reuocata tunc populi libertate nouum creandi Regem, vel cum Rege ſepulto regno, Ariſtocratice viuendi. Nam Deus priuſquam per Samuelem Hebræis Regem daret, *Ius Regis*, ità deſcripſit. *1. Reg. 8. Non erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis; faciet ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum. Agros quoque veſtros, & vineas, & olìueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis.* Hæc tamen non ſunt regni, ſed argumenta tyrannidis, quia ex D. Ambroſio *lib. 5. ep. 33.* contra Valentinianum Imperatorem *Domum priuati nullo poteſt iure temerare.* Vnde Rex Achab, quia vineam vſurpauit Nabothi, à Deo percuſſus, Syriorum gladio cecidit interfectus. Quod ſi ab optimo Rege ſine Creatoris, & creaturarum iniuria impiè ſcelera patrantur ſimilia; cur populo deſcribuntur Iudaico ſub titulo *Iuris Regij?* Vocabulum *Iuris* non ſaluabis, niſi Reges à furore imo, & iuſtitia credas immunes. Impius ſit Rex, tyrannus non princeps; Deus ipſe (cum ſceptrum eſt Regia iniquitate pollutum) vindictam aſſumit, nec tanti ſceleris iudicium indocili vulgo cōmittere audet, debet, vel poteſt. Nec tam iudicium, quàm tempus ſibi reſeruat iudicij: omnia arcano diuinæ maieſtatis inuoluit, cum ipſi libuerit pœnam exiget. *Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa*, quaſi diceret, ſi meum eſt iudicium, iudicabo, quum mihi videbitur. *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo: qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni eius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis: Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum in his quæ præſunt, fiet &c.* Deinde additur. *Ad vos primo Reges ſunt hi ſermones mei. Sapient. 6.* Licet itaque coram Deo minimè iuſta ſunt eorum facinora; coram populo tamen tam impunè perpetrant, quàm ſi eſſent maximè licita. Ideò additur, populum ita *oppreſſum, Deum imploraturum*, quia contra vim Regis nulla ſunt humana remedia. *Monarchiæ* (aiebat Ottanes apud Herodotum) *pro libitu licet omnia impunè agere.*

Nec dicant Regicidæ Samuelem loqui *de iure tyranni*. Quia Hebræi petierunt Regem non tyrannum. *Da nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & cæteræ habeat nationes, 1. Reg. 8.* Quorum voces Deus exaudiens, Samueli mandauit dare eis *Regem* non tyrannum. *Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem.* Quale ſignum Regem diſgregat à tyranno. Exordium ſi ſpectaueris, *Vnctio ſacra*: nam ſi medium, vel finem, *mores*. Cum & Rex legitimus, poſſit in tyrannidem degenerare: & tunc tyrannus dicetur non titulo, ſed exercitio. Legitimi itaque Reges, qui iubente Domino, ſacro oleo delibuti, & à caula in aulam; à cura ouium ad imperium hominum ſegregati ſunt, vt Saul, Dauid, Salomon, &c. à Domino dari, vt facerent iudicium, & iuſtitiam. Inde Regina Saba, quæ venerat audire Sapientiam Salomonis, ad eum inquit: *Sit Dominus Deus tuus Benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te Regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam. 3. Reg.* 10. Sic idem Salomon, *Viuit dominus, qui firmauit me, & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei.* Si iſti tyranni ſunt, ergo Deus tyrannidis auctor, quo non permittente, ſed iubente, fiantur. Si iſti tyranni, ergo legitimi, qui militem donis, annonâ populum, otij dulcedine cunctos alliciunt, vt munia vſurpent Reipublicæ, inualido in eos legum auxilio, quas vi, pecunia conturbant. Si Deus *2. Reg.* 18. minatur Salomoni ruinā imperij, regnū translaturus de ſtirpe Dauidica, ſi legitima mādata, & iudicia nō obſeruauerint Abſalonē & Adoniā tyrannidē affectantes è veſtigio perdidit. *3. Reg. 1. & 2.* Zeroboā, Baaſam,

ſam, Achab cum tota domo euertit; quia regno legitimè accepto abuterentur; cęterosque ſola tyrannidis ſuſpicione pollutos, legitur Deus auerſatus, quomodò eundem Deum faciam auctorem tyrannidis: vel tyrannorum hæredem, & ſucceſſorem. Chriſtus, qui Rex dicitur Regum, & dominatium Dominus, ex Dauidica naſcitur ſtirpe, quam *Regiam* dicit Euangeliſta Matthæus: *Ieſſe autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem*, *capit. 1.*

Poſt Saulem pauci ſunt Reges, qui non cōmiſerint grande aliquod ſcelus, & morte piandum. Dauid ipſe adulterij, & homicidij reus, ſe filium mortis agnouit. 1. *Reg.* 12. 5. Salomon licet hominum, omniumque Regum longè ſapientiſſimus, dum ſeneſceret, in Idololatriam incidit: quæ tam altas egit radices, vt altaria ſuper montem *Oliueti* Idolis ab ipſo erecta, vſque ad Ioſiæ tempora durauerint. Vndè factum eſt, quod Mons *Oliueti*, Mons olei diceretur, *Mons corruptionis*. 4. *Reg.* 23. 13. quia in eo homines per Idolorum cultum corrumpebantur. Idem Salomon legis immemor, quæ Regem vetat *multiplicare ſibi vxores*, *ne à Deo excedat animus eius Deut.* 17. 17. Septingentas habuit vxores, & trecentas concubinas. In Cantico. *c.* 68. *Reginæ* ſolum *ſexaginta memorantur, & concubinæ octoginta*. quia Canticum illud nondum ſenex ſcripſerat; & priuſquam obrueretur libidine.

Hæc quidem grauia, ſed comparatione deterrima ſucceſſorum, Salomon ſibi gloriam quæſiuit. Ioram feritate pluſquàm Scythica, fratres omnes atque alios aulæ proceres interemit. 2. *Par.* 21. 24. Ioas Zachariam Sacerdotem Iudæos ab Idolorum cultu fruſtrà reuocare conantem, in atrio templi lapidibus obruit. 2. *Paral.* 24. 20. Ioachim, Prophetam Vriam ex Ægypto, quo fugerat, tetractum percuſſit gladio, eiuſque cadauer in vile proiecit ſepulchrum. *Ier.* 26. 20. Ozias contra expreſſum Dei mandatum auſus in ſacrum irrūpere locum, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis; nec ab incœpto arceri potuit, donec vltoris Dei manu percuſſus, ipſe corpus ſuum ſenſerit vitiligine infici. 2. *Paral.* 26. 16. Achaz *ſtatuas fudit Baalim. Ipſe eſt, qui adoleuit incenſum in Vallebenennom, & luſtrauit filios ſuos in igne iuxta ritum gentium*; 2. *Paral.* 28. Manaſſe pro actuario non Idola modò Deorū, ſed & ſpecioſiſſimos cinędos in ipſum templum introduxit, & locum terrarum ſanctiſſimum mutauit in luſtrum ſodomiticum. 2. *Reg.* 237. Idem vicarios aruſpices, & de circo Aſtrologos, & Iſiacos coniectores, impudenteſque ariolos, magos denique omne genus in comitatu habuit, quos Prophetarum loco in dubijs conſuleret. Piorum ſanguine totam cruentauit vrbem. 2. *Reg.* 24. 16. Eſaiā ſerta ſecuit: quò reſpexiſſe putatur Apoſtolus *Heb.* 11. 37. denique è ſtirpe Dauid, quinque ſolum exceptis, nemo non fuit idololatra. At in Iſraeliticis Regibus decem tribuum nulla planè fuit exceptio. Omnes coluere vitulos illos, quos erexerat Ieroboā in vrbibus Dan, & Bethel: & ijs ſacerdotibus adhæſerunt, quos conſtituerat Dæmonibus. 2. *Paral.* 11. 15. Achab inſuper edoctus ab vxore Iezabele filia Ithobali Regis Sidoniorum, Belo Tyrio fanum condidit Samariæ, & ſacerdotes delegit cccv. Dei Prophetas acriter perſequendo: Nabothum inſontem licet, reum Blaſphemiæ inſimulando, vt illi vitam eriperet, & vineam. Filius Achabi Beelzhebub Accaronitarum Idolum conſuluit. Pater barbara immanitate Menahem Thapſaci incolas gladio percuſſit: prægnantium aluum mediam diſſecuit? nullo alio in eos concitatus crimine, quàm quod venienti portas occluſiſſent 2. *Reg.* 15. Quot eorum regnum malis artibus vſurparunt, nec niſi per parricidia, hoc eſt per calcatum patrem, ſolium conſcenderunt. Hæc tamen Regum portenta atque propudia Iudæi tolerarunt: nec Synedrium, ſupremus Iudæorum Magiſtratus, litem intentauit, nec ad tribunal citauit. Silentes iudices, Prophetarum nemo increpauit. Imo in Regum quantumlibet impiorum percuſſores, grauiſſimè legimus animaduerſum.

Exemplo ſit Amalecites, qui non odio, XV. *Regicidæ ſemper puniti.*
ſed ipſo imperante Saule, Saulem Regem occidit. 2. *Reg.* 1. Diadema, armillam cum tuliſſet ad Dauidem, ſibique grande polliceretur præmium de hoſtis triumpho, iuſſu Dauidis confoditur, quia manum miſiſſet in Chriſtum Domini. *Quare non timuiſti mittere manum tuam, vt occideres Chriſtum Domini? Vocanſque Dauid vnum de pueris ſuis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percuſſit illum, & mor-*

& mortuus est. Et ait ad eum Dauid: sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini. Nec Regicidæ profuit, Saulem fuisse à Domino derelictum, solio deturbatum, vulneribus iam confossum, vndè superuiuere non posset. Insuper quod in remedium gementis, nè Rex Hebræorum viuus caderet in manibus Gentilium; non
XVI. *Reges Christi Domini.* *Regem* sed *Saulem*, quia regno fuerat exauthoratus, concidisset; vel occidisse *iactaretur*, cum verè Saulem non occidisset, sed iam occisum ab armigero suo expoliasset, qui cum eodem Saule mortuus erat. 1. *Reg.* 31. Terreni gladij non est, in Regem insurgere, quem cælesti militiæ tradidit castigandum Rex Regum, & Dominantium Dominus. Hinc *Domitianus* Epaphroditum à libellis, capitali pœna condemnauit; quod *Nero* in adipiscenda morte, manu eius adiutus existimabatur, ait *Suetonius*. Sola regni
XVII. *Vnctione regenerati.* memoria hominem reddit immunem, vt solius Dei virgam timeat. Scripturam toties attende repetitam, quæ docet non modò illicitum esse tangere Christos Domini; sed ob id, ipsum esse clamat illicitum, & eorum personas ideo sacras, & inuiolabiles haberi, quia sunt *Christi Domini*. Suos namque ab hominum vulgo Deus Reges ita secreuit, vt nè cuiquam lædendi animo illos liceat, vel minimum attingere; postquàm in nouam creaturam, & viuum Dei simula-
XXVIII. chrum sacro oleo regenerauit. A die propterea vnctionis Regum annos solet numerare scriptura: & cum in Philistæos Saul bellum suscepit, *vnius anni filius fuisse* dicitur: 1. *Reg.* 13. *& c.* 10. *n.* 6. Eodem iure Principes Latronum, quia Isbozeth filium Saulis occiderunt, iussit Dauid laqueo suspendi. 2. *Reg.*
XIX. *Zambri tyrannus dictus, quia Regicida.* 4. Quotquot enim manum in Regem miserunt, omnes vt tyrannos Scriptura despexit. Sic Zambri, solùm quia *Elam filium Basæ* interfecit, & vi regnum eius occupauit, *tyrannum* Scriptura dicit: *Reliqua autem sermonum Zambri, & insidiarum eius,* & tyrannidis, *nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.* 3. *Reg.* 16. Nec aliundè tyrannum appellabis, quia *Zambri regnauit septem diebus tantùm*. Vndè superbiæ, vel immanitatis accusari nequit. Non etiam quia seipsum interficeret, tyrannum scriptura appellat, nam & *Saul* diceretur tyrannus, qui se gladio confecit. 1. *Reg.* 31. Non quod *Elam* Regem cum tota cognatione diripuit, quia ex supremo mandato Dei, impiorum carnifex assumptus est *Zambri*. Quemadmodum, & *Basa* auctore, & commilitone Deo Regem *Nadabum* cum integra *Ieroboami* stirpe interfecit, in suamque familiam regno translato. 3. *Reg.* 15. *percussit omnem domum Ieroboam iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu serui sui Aichæ Silonitis, propter peccata Ieroboam, & propter peccatum, quo irritauerat Dominum Deum Israel.* 3. *Reg.* 15. Quemadmodum, & Iehu ab Elisæo Propheta ea conditione est sacratus in Regem, & vt Achab percuteret. *Percuties domum Achab Domini tui, & vlciscar sanguinem meorum Prophetarum, & sanguinem seruorum Domini de manu Iezabel.* 4. *Reg.* 9. Zambri verò, quia absque Dei speciali mandato seruus Dominum, subditus Regem occidit, & per vim solium Regale conscendit, tyrannum scriptura appellat. Nulla enim XX. *Rex caput populi.*
ratio patitur, vt propter salutem corporis amputetur caput; *Manum* quidem, *& pedem abscindi, & oculum erui* iubet Christus, si scandalo sint. At *caput* amputari nusquàm præcipit, quia monstrum esset. Sed Rex *caput* est *populi*, & quidem *summum*. Vnde Sauli Samuel. 1. *Reg.* 15. 17. *Nonne cum paruus esses in oculis tuis, caput tribuum Israelis factus es?* Et de seipso Dauid, *Posuisti me in caput gentium*. Si ita est, *Quis adeo furiosus est* (exclamat Tolet. Concil. 4. cap. 74.) *Qui caput suum manu sua propria deseret? illi vt notum est, immemores salutis suæ, propria manu se ipsos interimunt, in semetipsos, suosque Reges proprias conuertendo vires.* Qualis barbara, XXI. *Rex populi Dominus.*
& fera natio dedit seruo insurgere in Dominum suum? Verbum horrendum, quod sustinere impotens armiger Saulis, cum ei diceret Saul, *percute me*, ne forte veniant incircuncisi isti, & interficiant me. Noluit armiger: *Fuerat enim nimio terrore perterritus*. Sic Dauid cum ad cædem Saulis prouocaretur. 1. *Reg.* 24. *Absit, vt hoc faciam in Dominum meum.* Vbi à cæde Regis se abhorrere testatur, quòd eum pro Domino agnoscat. Seruis autem non modò Dominum interficere, sed & periclitantis vitam negligentia prodere, lethale est crimen. Hinc reos mortis Abner, aliosque Saulis satellites iudicauit Dauid, *quoniam non custodistis*

stis Dominum vestrum Christum Domini. 1. Reg. 26. 16.

XXII. *Dominorum prauitas serui non excusat negligentiã.*

Nec Dominorum prauitas seruos ab officio dispensat. *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis.* 1. *Petri.*2.18. idest fastidiosis, obliquis, tortuosis, asperis, morosis, seueris & *sæuis*. Quod ne quis sic accipiat, quasi solo metu eo adigamur, addit *propter conscientiam Dei*, seu erga Deum. Conscientia enim dictat talibus esse obediendum propter Deum, qui præcepit vt subditi Dominis obsecundent.

XXIII. *Tyrãnus qui.*

Dicta itaque colligendo, tyrannus erit, qui non successione, non populi electione, non Dei designatione, sed per vim occupat regna. En *Sellum* filius *Iabes* coniurat in Zachariam Regem, vltimum de stirpe Iehu,

Sellum tyrãnus.

percutit Dominum, sed vltra mensem tyrannis non extenditur. *Reliqua verborum Sellum, & coniuratio eius, per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum* Regum *Israel.* 4. Reg. 15. 55.

XXIV. *Samuel iudex fuit, non Rex.*

Vrgent tamen Regicidæ, Saulem volentes tyrannum non Regem; quia Regem habentes *Samuelem* Hebræi, cum alium exposcunt, *tyrannum* quærunt non R*egem*. Vel si Regem, ergo, liberum populis, viuente Rege, alium imponere Regem? Iudex, non Rex Samuel fuit; nec plus iuris in Hebræos habuit *Samuel*, quàm *Gedeon* cæterique Hebræorum Iudices.

XXV. *Discrimẽ inter Ducem, & Regem.*

Longè stat Iudex à Rege. *Duces* armentis ipsis non desunt; R*egem* extra societatem non reperies humanam. *Ducem* natura declarat: R*egem* vel clamat populus, vel sacrat Deus. *Ducem* probant mores; R*egem* natalia protegunt; & malum quandoque ciuitas patitur; cum Ducem, nisi optimum natura respuit. Naturæ est enim *potioribus* deteriora submittere, ait Seneca *ep.*90. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit: elephantorum gregem excelsissimus ducit: inter homines prò summo est optimus. Tales fuere Hebræorum duces, quorum officium fuit, *imperare* non *regnum*. Nihilque Iudex maius minari malè parentibus poterant, quàm vt abirent è regno.

XXVI. *Ius Regis.*

Sed postquàm surrepenre superbia, Regem Iudæa petijt, ne inferior videretur vicinis nationibus, datus est Rex, cui ius esset, non tam populis iura dare, vt iudices; sed *Dominari* in populo, & principari in natione, iuxta illud Marci, R*eges gentium dominantur eorum.* 10. Huius potestatis pondus ipsos non latebat Hebræos.

Gedeon Regnũ respuit.

Postquam enim Gedeon mortuam pietatem impiorum mortibus suscitauit, & tercentis viris stipatus de centum, & triginta Madianitarum millibus triumphauit, oblatum ab Hebræis respuit regnum, quod *Dominij* titulo obtuleranr Gedeoni: *Dominare nostri* (aiunt Hebræi) *tu, & filius tuus; & filius filij tui, quia liberasti nos de manu Madian*. Quibus ille, ne Dei videretut æmulus, sed seruus, *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. Iud.8.*

XXVII. *Ius Dominorum.*

Ius dominorum in seruos quantum fuerit, Romanę edocent leges. Sub Domini manu erat vitæ, necisque potestas; & quamuis humanæ naturæ atrox fieri videretur iniuria, vt in hominem pacatum homo sæuiret, tamen vsque ad Iustiniani sæculum, immanitas hæc tolerabatur impunis. §.2. *tit. de his qui sunt sui, vel &c. Instit.*1.

XXVIII. *Regem id est Dominũ petunt Hebræi.*

Ad hunc apicem Hebræi, etiam priusquàm Samuelem conuenirent, vt Regem daret, petebant Dominum Gedeonem: *Dominare nostri tu, & filius tuus*. Quibus concordat forma Iuris Regij, *Hoc erit Ius Regis, qui regnabit super vos: filios vestros tollet, & imponet curribus suis &c. Clamabitis in die illa* non iudicabitis; *& ego non exaudiam*, vt assequamini, quale iugum, & principatus sit super humeros non *eius*, sed *vestros*.

XXIX. *Officium Regis.*

Nec obstat in Deuteronomio. *c.*17. Ius Regis verbis oppositis exarari, ita quod alterum debeat obliterari, vel Moysis varicinium, vel Samuelis imperium. *Cum ingressus fueris* (de futuro Rege præludit Moyses) *terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, & habitaueris in illa, & dixeris: constituam super me* Regem, *sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum; Cumque fuerit constitutus non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in AEgyptum, equitatus numero subleuatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, vt nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti, & auri immensa pondera; nec eleuetur cor eius in superbiam*

perbiam

perbiam super fratres suos ; neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, & discat timere Dominum Deum suum: vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel. Aliud enim est Regem instruere, & *officium* docere regiminis, cuius lectioni, & sermoni non citantur populi, nec in comitia Regis edicentis, & Prophetæ edocentis coeunt: nã in Deuteronomio ad Regem Propheta sermonem dirigit. *Aliud* verò *ius Regis* resonare, & verba horrisona pandere, vt Hebræi duræ ceruicis priùs intelligerent, postea peterent. Moyses itaque Regis officium: Samuel verò amplitudinem describit imperij. Ille quæ à bono principe agenda, hic quæ ab oppresso populo toleranda. Ille Regi Deum minatur vltorem tyrannidis, hic patientiam populo recordatur, ei imputando quod Regem petierint,& dolorem lenirent, quia sibi ipsi vulnera aperuissent, & plagas. Prænoscerent sibi Regem dari, cuius officium foret, Dei vicem gerere in terris (Quo voto Deus Saulem selegit) Non propterea regiæ probitatis se Deum fideiussorem constitue re, sed iudicem. Quia populi gemino officio functuri non erant: Regis, scilicet & populi. Eligerent, quem mallent; se sponsorem offerre iudicij, non probitatis. Hoc audito quamuis peracerbo iure per Samuelem explanato, replicarunt Hebræi. *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit Rex noster.* Quasi dicerent. Beneficium non confertur in inuitum. Melioris conditionis esse, ac cæteræ sunt nationes, dedignamur. Qualiscumque futurus est Rex, da nobis Regem.

XXX. *Ius Regis non idem ac officiu.*

XXXI. Nec verum quod verba illa solumodò protulerit Samuel ad terrorem populi, vt à petitione retraheret ; sed etiam vt populo nullum ius aduersus tyrannum, datum exponeret. Nam verba à Samuele prolata ante electionem Regis, reperita fuere ab eodem Samuele post Regem electum ; imo scripta atque reposita in arca fœderis in testimonium incorruptæ obseruantiæ. 1. *Reg. c.* 10. Quod verò verba illa increpatoria à Samuele prolata, non tam ad terrorem populi, quàm ad reseruandum Deo iudicium Regis fuerint recondita in arca fęderis, vnà cum eis, quibus Moyses *Deut.* 17. explanarat Regis officium, paret ex. 1. *Reg. c.* 10. 25. vbi sacer Cronista narrat in arca fœderis eam fuisse reconditam legem, quam *Samuel ad populum loquutus* fuerat. Sed quam ad populum locutus fuerat Samuel, fuit *Ius* non *officium* Regis; nam populum docebat, non Regem; ergo de iure Regis à se exarato, non de Regis officio per Moysem iam explanato, scriptura intelligitur. In verbo *Scripsit* veritas illustratur; nam eam in arca Samuel legem reposuit, quæ fuit per eum ore promulgata, & calamo in libro descripta. *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro. 1. Reg.* 10. 25. Officium porrò Regis iam stabat in libro descripto; & superfluum nouis characteribus exarare præmissa, actum agere, eaque prætermittere, quibus rudem, rebellem, & perfidum populum ad obsequium posset reuocare. Ita sentit Ioseph. *lib 6. Antiquit. c.* 5. *Ait autem Propheta hunc* vobis Deus *Regem dedit, aspicite quàm sit omnibus præstantior , & imperio dignus , postquam autem populus salutem , & felicitatem Regi precatus esset, Propheta scripsit mala, quæ illis euentura erant, & legit Rege audiente, librumque reposuit in arca Domini, vt esset apud posteros testimoniũ eorũ, quæ prædixerat.* Et licet (dicat S. Thomas) 1. 2. q. 15. art. 1. ad 5. *ius illud non debebatur Regi ex institutione diuina, sed magis pronunciabatur vsurpatio Regum, qui sibi ius iniquum constituunt in tyrannidem degenerantes, & subditos deprædantes,* non negamus graui populorum iniuria Regem in tyrannum declinare. Ex hoc tamen non datur populo in Regem insurgere, cuius iudicium Deo reseruatur. Nemo impedit, quin *de facto* dicunt scholæ, tam Rex , quàm populus ingrediatur lupanar, aliena rapiat; sed hoc vnum inter Regem, & populum discrimen est , quod populum Rex iudicat, Regem Deus. Legibus Rex viuere profitetur , sed ijsdem legibus eodem tempore se clamat esse solutum. §. *sed quod Principi de Iure nat. Gent. & ciuili. Inst.* 1. Quis itaque in Regem audebit iudicium assumere? nefas disputare de illis, quorum hæreditas in Cœlo diuiditur. *Ego cor Regis obseruo* (habet 8. n. 4. Eccl.) *& præcepta iuramẽti. Ne festines recedere à facie eius, neq; permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit faciet: & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest, Quare ita facis?*

XXXII. *In Regẽ insurgere nefas populo.*

XXXIII. *Soli Deo subditur.*

Nullum caput ista super se
Aspicit, excepto Cœlorum Rege potestas.

Si

Si penes Romanos in paruo regno hoc est in familia, nam & regnum dicitur ampla familia, fas erat genitori velut regi, ait Aristoteles. *3. Polit. c. ij. & 1. Pol. c. 8.* *Caterùm ego domi nostræ Rex ero* Homer. *Odiss.*

XXXIV. *Ius Patris in filios.* Non tam consulere, quàm sæuire, nec erat qui patrem interrogaret cur ita facis? *l. 11. ff. de liber. & posthum.* & in sacra pagina de Abrahamo legimus, cui filius obsistere noluit, cum posset; nec patri sacrificanti victimam sui ausit prohibere, *Genes. 22.* quantò minùs populo subiacebit Rex ille, qui teste Irenæo *lib. 5. in Valent.* ad vtilitatem

XXXV. *Rex à Deo.* gentium à Deo regnum accepit; *cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu, & Reges constituuntur*; & Tertull. *in Apolog. Inde est Imperator, vnde & homo antequam Imperator; inde potestas illi, vnde & spiritus.* Et infra, *nos iudicium suspicimus in Imperatoribus, qui*

XXXVI. *Populo non subijcitur.* *gentibus illos præfecit.* Inde Dominus per Natham Prophetam protestatur Dauidi, *Ego vnxi te* (non populus) *in Regem super Israel; dedique tibi Domum Israel, & Iuda. 2. Reg. 12.* Et Salomon, *Viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei. 3. Reg. 2.* Gratias Salomon agit Deo, non populo; nec voluit populus sibi Regem assumere, sed à Deo missum, à Deo datum maluit adorare, vt in misso, & legato, mittentis & legantis suspicerunt Maiestatem.

XXXVII. *Dei legatus.* Quam non minus violari à populo in Rege Dei legato credimus, quàm in Oratore legato Reipublicæ. Hunc si punit non is ad quem missus, sed is à quo missus, nec Regem populus sed Deus vindicabit, iudicabit legatum. Ecquando Prætores Romanorum vel à Siculis, vel ab Afris, vel ab Ægyptijs sunt iudicati, quamuis publica temerassent, & sacra? Omnes, nullum præter, iudicante Senatu, Romæ *Repetendarum* sunt postulati. Absit Prouincialibus, quod Senatus vsurpato gladio, manum extendissent vel in ciuem Romanum, ipso permittente Senatu, cum nulli datum Regi sceptrum transferre. *Si Magister remittat honorem suum, remittitur ille; at si Rex remittat honorem suum, illi non remittitur*, inquiunt Doctores Hebræi in tractat. *Sanhedrin.*

XXXVIII. *Saulem depositũ honorat Samuel.* Nec mysterio vacat, quod *Samuel* Saulem quondam Regem, adhuc honore prosequitur. Nutabat primùm ipse Propheta an Saulem exauctoratum deberet honorare? vnde iussus à *Saule* portare peccatum eius, respondit Samuel, *non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & ideo Dominus proiecit te, ne sis Rex super Israel; & conuersus est Samuel, vt abiret. 1. Reg. 15. ille autem apprehendit summitatẽ pallij eius, quæ scissa est.* Cui Samuel. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porrò triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.* Tunc Saul, *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel. Reuersus ergo Samuel secutus est Saulem.* Placatum, vel perterritum Prophetam respice. Rogatur, iubetur, cogitur à Saule Samuel eum honorare, sed quia anathemate percussit, non honorat, sed fugit nec semel. Modò reuersus colit, Regem pedissequus sequitur. Propheta inconstans, *si triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, quia homo non est, vt agat pœnitentiam,* cur timidus sequeris Regem sæculi, Rege prohibente Cœlorum? *1. Reg. 15* Victus, & deuictus Saulem quondam Regem, pedissequus sequor, respondet Samuel, proprio telo confossus. Quid Saul redarguat attende. *Peccaui, sed nunc honora me coram populo,* ac si dicat, Nonne promulgasti Samuel Hebræo Regem petenti, Hoc esse *ius Regis*, quòd tyrannidis suæ solum Deum vltorem habeat? reuertere ergo, & sine mora *nunc* me coram populo honorando, firma legem exemplo. Parum enim hortari subditos verbo, nisi confirmes exemplo. Tunc Samuel rubore suffusus, obediens reuertitur, vnaque cum Saule ad adorandum pergit, ne sui exemplo Israeliticum populum concitaret in Regem.

Non minus humilis erga Saulem Regem suum Dauid, cui & posteris eius Dominus præmia rependit, vt fides seruaretur inuiolata, quam Sauli ille præstiterat. XXXIX. *Saulis iniquitas* Si quis Regum propter crimina potuit in ius sisti, adeoque morte multari; oppidò Saul esset. Bis in Deum rebellis quique sacerdotalem vrbem *Nobe* immani scelere deleuerat, vt vna die octuaginta quinque, vel cum Iosepho tercenti desiderarentur sacerdotes, & Prophetæ: vxorem Dauidi ereptam alteri tradiderat; Dauidem prorsùs insontem bello persequebatur atroci. Et cui competebat hoc ius potius quam Dauidi, à Deo in Re-

gem electo, vncto,& inaugurato? Vlcisci tamen noluit, cum posset: vt non solùm populum, sed Reges edoceret, quàm sancta sit Regis persona. Saul illum per auia quærens in speluncam, in qua latebat, Deo sic prouidente, solus ingreditur *ad necessaria*

XL. Antiqui. 6.c.13.

naturæ, vt legitur in Iosepho. *Porrò Dauid & viri eius in interiori parte speluncæ latebant*. Cumque Saul Dauidi tam obuius esset, quàm Macrino fuit Caracalla. Nec in tanto periculo videretur hostis infensissimi è medio tollendi occasio prætermittenda: maximè cum vrgerent milites, & reluctantem penè cogerent; reuocata in memoriam prophetia, qua Dauidi promiserat Deus, fore vt hostem illi traderet in manus, eiusque arbitrio permitteret: eamque tum impletā omnes vnà voce clamarent, *Ne contemne Dei concessum munere donum*. Dauid tamen ad hæc immotus, suos grauissimis verbis tanquàm à nefario scelere dehortatur. *Absit (inquit) à me, vt hoc faciam Domino meo Christo Domini, & mittam manum in eum, quia est Christus Domini*. Postquam verò abscidit partem vestimenti, pœnitentia ductus, ait. *Iniquum esse proprium Dominum cædere, eumque adeo quem Deus ad regum fastigium prouehere dignatus erat*. Et infra, *Nam licet circa nos malignus existat, me tamen erga eum non decet esse talem*. Nec multo aliter Chrysostomus *hom.* 1. de Saule, & Dauide. *Quid dicis* (inquit) *quod scelestus est, & omni scelere coinquinatus, & in nos extrema cogitans, sed Rex est*. Sunt qui Dauidem à re licita abstinuisse volunt, vt Regiæ dignitati consuleret, cuius mox futurus erat hæres. Ita ex Hebræis Rabbi Leui ben:vt in eamdem sententiam propendere videtur Iosephus, cum Dauidem Sauli dixisse fingit,

Lib. 3. c. 9.

Ego quidem à iusta vltione abstinui. Et Ambrosius, *quàm honestum, cum potuisset Dauid Regi inimico nocere, maluit parcere; quam etiam vtile, quia successori hoc profuit, vt discerent omnes fidem Regi proprio seruare, nec vsurpare imperium, sed vereri*. Quasi Regem inimicum suum iure potuisset interficere; abstinuit porrò ad *perfectionis exemplum*, non in *executionem officij, & debiti solutionem*. Sed ipsius Dauidis verba planè aliud præseferunt. Nempe Dauidem à cæde Saulis abhorruisse, quia putauit rem prorsus iniquam, & parricidium sacrilegum, vt Dominum suum Regem, vel interficeret, vel tyrannum diceret. Vnde egredientem de spelunca Saulem secutus Dauid, à tergo clamitat, *Domine mi Rex*, Regem non tyrannum dicit, sed vt Regem adorat, *& inclinans se Dauid pronus in terram adorauit*. Si quæras causam? Dauid ipse repetitis verbis explanat. quia, *propitius sit mihi Dominus* (sibi ipsi diffidebat Dauid; & ne vindex irruat, Deum implorat) *ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domino, vt mittam manum meam in eum, quia* (nota) *Christus Domini est*. Quis ergo impij Regis percussor erit? Dauid ipse declarat. *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit: propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini*. Sic ad Saulem non tam pietatis suæ, quàm timoris reddens causam; *cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim, non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est*. Audi Lyranum. *Percussit cor suum Dauid &c. idest conscientia sua eum reprehendit, & sic Dauid est accusat sui casus: quia in hoc fecerat irreuerentiam ipsi Saul, quia honorandus erat, quandiu in regno tolerabatur a Deo. Propter quod dicunt Hebræi, quod Dauid circa mortem fuit punitus in simili, scilicet in vestibus quibus opertus, non calefiebat*, in pœnam contumeliæ quam irrogauerat Sauli, chlamydem præcidendo, quamuis bono animo fecisset, vt sedaret Regis iram, in se immeritum concitatam. Hinc quasi pœna talionis, non poterat senex in proprijs vestibus incalescere. Idem *Lyranus* ad caput 31. *lib.* 1. *Reg.* rursus opponit Dauidem territum fuisse ex visione Angeli tenentis gladium euaginatum; nam Regno & Regi Deus particulares Angelorum vigiles delegauit, vt ad eorum salutem excubias agerent.

XLI. *Saulem Dauid honorat.*

XLII. *Quare punitur Dauid.*

XLIII. *Ab Angelo Dauid territur.*

Quod si Augustinus *lib. contra Adimantum* actum Dauidis in opus conuertit pietatis, non debiti officij? dicas vtrumque Dauidem perfecisse, & *pietatis*, & *perfectionis* vel *Officij*, quia *inimicum & persecutorem suum, nimis ingratum, & nimis infestum Saul regem accepit Dauid in potestatem, vt ei faceret, quod vellet* (dicit idem Augustinus) *& elegit parcere potius, quàm occidere. Non enim erat iussus occidere, sed neque prohibitus, imò etiam*

XLIV. *An actus Dauidis fuerit pietatis?*

etiam diuinitùs audierat se impunè facere
quidquid vellet inimico : & tamen tantam
potestatem ad mansuetudinem contulit. Dica-
tur mihi, quem timuit, cum interficere noluit?
Nec hominem possumus dicere timuisse, quem
acceperat in potestatem, nec Deum qui dederat.
Vbi ergo nec difficultas fuit occidendi, nec ti-
mor; dilectio profecit inimico. Pari iure, quibus
dati sunt Reges in potestatem à Domino, li-
cet possint, quantum tamen possint, expe-
riri non audeant. Quod si à Domino nul-
lam acceperint potestatem, hoc vnum
sciant sibi competere, adorare Christum
1.Reg.26 Domini. Audi Dauidem, quùm Saulis in-
gressus castra, & dormientes inuenisset cu-
stodes, suadenti vt capitalem hostem, quem
semel atque iterum ei tradiderat Deus, pa-
XLV teretur confodi, Dauid in hæc verba re-
Nulli ius in Regē. spondit. *Ne interficias: quis enim extendet*
manum suam in Christum Domini, & inno-
Lib.4. in Samuel. *cens erit?* Audi Bedam, *duas maximè ob*
causas Dauid manum suam ab occidendo Saul,
quamuis se inimicissimè persequentem, conti-
nuisse declaratur: quia videlicet eum, & Do-
minum suum, & regali meminit chrismate vn-
ctum. Vbi primò regnum, vel vnguentum,
quod & ipsum Dominici, semper videlicet in
uiolabilis, regni ac spiritualis vnguenti noue-
rat prætendere figuram, digno veneratur ho-
nore. Deinde etiam nos moralibus instruit di-
sciplinis, ne præpositos nobis, eos maximè qui
sacris ordinibus sunt insigniti, quamuis nos
iniustè persequentes, verbi austerioris ense fæ-
dare, & vel vltimæ superfluæ actionis eorum
quasi fimbriam vituperando, decerpere præsu-
Quæst.ex Vet.Test. c.26. *mamus.* Ad idem facit Augustinus: *Qua*
ratione Dauid Saul postquàm Deus ab eo reces-
sit, Christum Domini vocat, & defert ei? non
nescius Dauid esse traditionem in officio ordinis
regalis, idcirco Saul adhuc in eadem traditione
positum honorificat nè Deo iniuriam facere
videretur, qui his ordinibus honorem decre-
uit, Dei enim imaginem habet Rex, sicut &
Rex indignus, honorādus. *Episcopus Christi. Quandiu ergo in ea tradi-*
tione est, si non propter se, vel propter ordi-
nem. Vnde Apostolus dicit, Potestatibus su-
blimioribus subditi estote. Non est potestas ni-
si à Deo, quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt.
Hinc est vt gentilem in potestate tamen hono-
rificamus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordi-
nem tenens, gratias agit diabolo. Potestas
enim exigit, quia meretur honorem. Nam
ideo Pharaoni futuræ famis somnium reuela-
tum est: & Nabuchodonosor alijs secum assi-
stentibus, solus filium Dei vidit in camino
ignis, non vtique merito suo, qui in Idolo se
adorari voluit, sed merito ordinis Regalis. XLVI.
Quis Tiberio iniquior? *cædibus, periurio tur-*
pificatum dicit Suetonius c.44. Sciscitantibus
tamen Pharisæis, qui iugum oderant impe-
tiale, vnde *Antiocho* (ait Tacitus) *Comageno-* 2. *Annal.*
rum, Philopatre Cilicum Regibus defunctis,
turbabantur nationes: plerisque Romanum,
alijs Regium imperium cupientibus. Et Pro-
uinciæ Syria atque Iudæa fessæ oneribus dimi-
nutionem orabant tributi, respondit Christus,
Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.
Nec contentus doctrina Christus, adiungit
exemplum, quum iussit Petro tributum sol-
uere, licet iniquum *Matth.17.25.* quia liber XLVII. *Minus malū eligendum.*
esset; ne tamen scandalizaret publicanos sol-
ui iussit. Consultius est populo ab ijs absti-
nere remedijs, quæ plerumque morbo ipso
peiora sunt, quibusque adeò vulnus exaspe-
ratur potiùs, quàm sanatur. Ea toleranda
mala, quæ sine magna pernicie emendari
non possunt. Itaque Christus ex *agro* suo *zi-*
zania vetat *euelli*, *ne simul cum eis triticum*
eradicetur. At quid immoramur Patrum
sententijs, & auctoritatibus, vbi Concilio-
rum vrgent decreta. Lege Canonem 74.
Concilij Toletani IV. latum in Gothos Hi- XLVIII.
spanos *An. Sal. 633.* gentem tum temporis
valde asperam, & indomitam, & ferè ad fi-
nem sexti post Christum sæculi Arianâ labe
infectam. Barbarus mos inoleuerat, Reges XLIX. *Reges occisi.*
suos plerumque deponendi, & trucidandi.
Sic *An.416.* Ataulphus Rex Barcinone *inter*
familiares fabulas à quodam Vernulfo iu-
gulatus est; eidemque suffectus Sigericus à
suis est interfectus. Sic *An. 452.* in Thuris-
mundum morbo laborantem, dum chirur-
gus illi sanguinem eliciebat, Theodoricus,
& Fridericus fratres cum alijs irruerunt. Is
arrepto Chirurgi scalpello, vna manu quam
liberam habebat, aliquandiù se defendit,
nec nisi pluribus occisis, occubuit. Enticus
etiam ex fratricida factus est Rex *An. 466.*
occiso fratre Theodorico. *An. 510.* Gese-
licum à Gundebardo Burgundionum Rege
victum Theodoricus Gothorum imperio,
& Ebbanes Theodorici Dux *An. 512.* vita
exuit. *An.531.* Amalaricus quia in Françós
infęlix pugnasset, à suis per contemptum

interimitur. *An.*542. Rex *Theudis* lethaliter ictus à quodam, qui se dementem simulabat, moriens adiurauit adstantes, vt nè percussorem interficerent, pœnam talionis in se agnoscens: cum & ipse olim Ducem suum pari proditione necasset. *An.*544. Huius successor Theudisilus à proceribus inter epulas iugulatur. *An.*553. cum quidam Athanagildus regno inhians, Agilæ Regis copias fudisset circa Hispalim, Gothi veriti nè Romani huius seditionis occasione Hispaniam inuaderent, Agila Emeritæ cæso, Athanagildum Regem crearunt. *An.*604. Liubam Recaredi filium, Principem magnæ indolis, in ipso flore adolescentiæ, Vittericus insontem regno deiecit, præcisaque dextra occidit. Sed ipse vicissim *An.*610. suorum coniuratione inter epulas occisus est. *An.*624. Sisebuto Regi clarissimo veneni haustu, vt putatur, sublato, & Recaredo filio post septimum mensem denato Suintilla successit, non impari fato; nam ope Dagoberti Francorum Regis *An.*1031. Gothi, Suintilla depulso, Fisenandum regni æmulum substituerunt. Sub cuius imperio Toleti Concilium est celebratum, pro generali ab Hispanis habitum, quia ex tota Hispania, & Narbonensi Gallia ad illud conuenerant Episcopi 70. Isidoro Hispalensi præside. Quo auctore, vt in posterum furentes, & Regicidas Gothos compescerent, sequentem edidere Canonem. *Post instituta quædam Ecclesiastici ordinis, vel decreta, quæ ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est, prò robore nostrorum Regum, & stabilitate Gentis Gothorum, Pontificale vltimum sub Deo iudice ferre decretum. Multarum quippe gentium (vt fama est) tanta extat perfidia animorum, vt fidem Sacramento promissam Regibus suis obseruare contemnant, & ore simulent iuramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Iurant enim Regibus suis, & fidem, quam pollicentur, præuaricantur: nec metuunt volumen illud iudicij Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos, qui iurant in nomine Dei mendaciter. Quæ ergo spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? Quæ fides vltra cum alijs gentibus in pace credenda? Quod fœdus non violandum? Quæ in hostibus iurata sponsio stabilis permanebit, quando nec ipsis proprijs Regibus iuratam fidem seruant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu sua propria desecet? Illi (vt notum est) immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosque Reges proprias conuertendo vires. Et cum Dominus dicat,* Nolite tangere Christos meos, *& David,* Quis, *inquit,* extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? *illis nec vitare metus est periurium, nec Regibus inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur nec violatur. Quod si in bello fides valeat, quanto magis in suis seruanda est? Sacrilegium quippe est si violetur à gentibus Regum suorum promissa fides; quia non solum in eos fit pacti transgressio, sed & in Deum, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est, quod multa regna terrarum cœlestis iracundia ita permutauit, vt pro impietate fidei & morum, alterum ab altero solueretur.* Et paulo post. *Quod si diuinam iracundiam vitare volumus, & seueritatem eius ad clementiam prouocare cupimus, seruemus erga Deum religionis cultum atque timorem, custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem. Non sit in nobis vt in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non periurij nefas, & coniurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones ciuium, nemo meditetur interritus Regum, &c. Quod si hæc admonitio mentes nostras non corrigit, & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audi sententiam nostram. Quicunque ergo ex nobis vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione vel studio Sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu, vel conseruatione Regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, Anathema sit in conspectu Dei Patris, & Angelorum, atque ab Ecclesia Catholica quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cętu Christianorum alienus, nec partem habeat iustorum, sed cum Diabolo, & Angelis eius æternis supplicijs condemnetur vna cum eis qui eadem coniuratione nituntur.* Hoc anathema coram vniuerso clero, & populo cum tribus vicibus clara voce intonassent, *ab vniuerso clero, &*

populo

populo dictum est; Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserit, Anathema Maranatha, hoc est perditio in aduentu Domini sint, & cum Iuda Iscarioth partem habeant ipsi & socij eorum, Amen. Et Episcopalis hic Canon Gothos eorum Regum, quos diximus, successoribus subditos, deinceps in officio suo sic continuit, vt subsequentium Regum nullum trucidauerint, ac nè deposuerint quidèm; præter Vitizam monstrum hominis, omni scelerum ac libidinum genere inquinatissimum.

L. Tantis firmatam propugnaculis Regum immunitatem, obruere præsumunt, illud Apostolorum obijcientes, *obediendum Deo* 5. 29. *potius quàm hominibus*. Ridicula enim quæstio, vt ait Celsus. *Aut non intelligo quid sit de quo quæris, aut valde stulta est quæstio tua: plus enim quàm ridiculum est dubitare, an Deo potius quam Regi sit obediendum.* (l. Dominius 27. ff. qui testam. facere poss.) Hinc Daniel, *Melius est absque opere incidere in ma-* 13. *nus hominum, quàm peccare in conspectu Dei.* Propterea si Rex intoleranda sæuitia populum diuexet; habet quidem populus potestatem se tuendi, non tamen Principem inuadendi. Primum natura Brutis etiam indulget, vt contra illatam iniuriam tueamur corpus. *Secundum* contra naturam est, vt pes in caput, in Dominum seruus, in superiorem subditus vindictam exigat.

Defensionem concedimus, vindictam negamus. Malum antequàm fiat, impediat populus; factum damnare, in Regem authorem sceleris insurgere, ius non habet. *Si Magistrorum uita* (inquit Gregorius) *iure reprehenditur, oportet vt eos subditi etiam cum displicent, venerentur. Sed hoc est solerter ineundum, nè aut quem venerari necesse est, imitari appetas: aut quem imitari despicis, venerari contemnas. subtilis enim via tenenda est rectitudinis, & humilitatis, vt sic reprehēsibilia Magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens à seruanda Magisterij reuerentia non recedat*. (25. Moral. expos. in Iob c. 21.) & Augustinus, *Iulianus extitit infidelis Imperator, nonnè extitit Apostata, iniquus, idolatra? milites Christi seruierunt imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causā Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in Cœlo erat. Quandò volebat, vt idola colerent, vt thurificarent; præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum æternum, etiā Domino temporali.* (c. 98. Imperatores 11. q. 3.) Quod si non supersit defensioni locus, & alterum vrgeat, vel mortem subire, vel Idolis thurificare; debemus potiùs obire mortem, nè Idola colamus, vel in Regem arma sumamus. *Patientiam* recordatur Augustinus, *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; sed quid si illud iubent facere, quod non debeas? Si aliud Imperator, & aliud Deus: quid iudicatis? solue tributum, esto mihi in obsequium: rectè: sed non in Idolio. In Idolio prohibet; quis prohibet? maior potestas. Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur. Hic iam tibi assumenda est fides tua tanquam scutum: in quo possis omnia ignita iacula inimici extinguere.* Sic Ambrosius contra Valentinum Imperatorem, qui eum Mediolano expellere tentabat. *Conuenior* (inquit Ambrosius) *à comitibus, & tribunis, vt Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo vti, quod in potestate eius erant omnia. Respondi, si à me peteret quod meum esset, me non refragâturum, quamquam quæ mea sunt, essent pauperum. Verum ea quæ Diuina Imperatoriæ potestati non esse subiecta: si tributum petit non negamus: agri Ecclesiæ soluunt tributum, si agros desiderat Imperator, potestatē habet vindicandorum, nemo nostrum interueniet, potest pauperibus collatio populi redundare, non faciant de agris inuidiam, tollant eos, si libitum est: Imperatori non dono, sed non nego.* (LI. Regi in Deum iubenti quo modò resistendū? lib. 5. q. 33.) At minitanti Calligono præfecto se caput antistiti sublaturum, ni properè Imperatori audiret, respondit. *Deus permittat tibi, vt impleas quod minaris, ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod spadones.* Disce ergo, & Deum timere, & Principem honorare. Nec dicas Ambrosio defuisse vires, & arma temporalia, vt Cæsarem propulsaret. Tanta enim ciuium, militumque multitudo ad Ambrosium confluxerat, vt iam populi diceretur seductor. Ego tyrannus appellor, & plus etiam quàm tyrannus: nam cum Imperatorem comites obsecrarent, vti prodiret ad Ecclesiam, idque rogarent milites rogantibus, respondit: *si vobis iusserit Ambrosius, vinctum me tradetis*: quod verum quidem; neminem tamen concitauit: non quia non posset; sed quia minimè debeter. *Tradere Basilicam non possum, sed pu-*

gnare

gnare non debeo. Et in oratione ad suos contrà Auxentium, *paratum me esse vt si illi le faceret quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem quo sacerdotis esse consueuit; quid ergo turbamini? volens numquam ius deseram, coactus repugnare non noui. dolere potero, potero flere, potero gemere, aduersus arma, milites Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere*. Legas Surium in chronicon. anno 1535. apud quem, præclarum exemplum dabunt tibi martyres illi, qui iubente Hērico VIII. Anglo, necati sunt: in medijs enim cruciatibus *rogabant principes, & reliquos circumstantes omnes, vt constanter ad supremum usquè spiritum benè uiuerent, Regi fideliter seruirent, & obtemperarent in omnibus, quæ non essent Dei, & Catholicæ Ecclesiæ placitis aliena*.

LII. *Armis religio defendi debeat. lib. 5. ep.*

LIII. *Idololatra an deponendus.*

Sed vrgent populum non solum inuito Rege, abstinere posse ab Idololatria, sed Idola colentes aggredi teneri, quia populo comissa fuerit legis diuinæ custodia *Deuter.* 27. quod verum, cum iure viueret Aristocratico; tunc enim Deum habebant pro Rege. Et quamuis in statu Monarchico percussum fuerit fœdus inter *Deum, & Regem*; & inter *Regem, & populum*. Pepigit ergo fœdus *IOiada inter Dominum, & inter Regem, & inter populum, ut esset populus Domini, & inter Regem, & populum*. Si populus inferior Rege, quomodò cum superiore paciscitur? & imperante Rege, sibi populus iurisdictionem vsurpat? & tamen *Ingressus est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt ualidè: Mathan quoque Sacerdotem Baal occiderunt coram altari*. Ex hoc namquè fœdere nullam consequutum est populus potestatem deponendi Regem, si Idololatram. Nam Ioas, cum quo initum est fœdus, Idololatra fuit; nec tamen à populo depositus est, qui tamen iura sua tanto tempore minimè dissimulasset. Quod si *Ioas* percussum legeris à seruis suis, diligenter obserua percussum quidèm à seruis, sed genere Moabitarum, vel Amonitarum; non à ducibus, non à populo, sed à proditoribus seruis *Iozachar* Moabita, & *Iozabath* Ammonita: qui ob hoc solum parricidium postea ab Amasia sunt interfecti. Porrò duo cum essent percussores Ioas, quid populo imputamus vniuerso? Imò

Reg. 8.

4. Reg. 11.17.

4. Reg. 14.

populus pœnam exegit à seruis Amon, qui dolosè Regem interfecerant in domo sua. *Percussit autem populus terræ omnes, qui coniurauerant contra Regem Amon: & constituerunt sibi Regem Iosiam filium eius prò eo*. 4. Reg. 21.

Plurima adhuc obijciuntur à Regicidis, vt quum Idumæi Regem abiecerunt Ioramum: sed isti fuerunt rebelles, & spe libertatis defecerunt: *rebellauit Edon, ne esset subditus Iudæ*. Libertas non Religio excitauit rebelles. Quale enim studium Mosaicæ Religionis esse poterat Idumæis, qui Mosaicam Religionem negligebant, & planè nesciebant; teste Hieronymo. *c.* 9. *Ieremiæ*; licet ipsi, Ægyptij, Ammonitæ, & Moabitæ circumciderentur. Ad *libertatem* itaque, quem sub Dauide amiserant, non ad *Religionem* proclamantes, Ioramum abiecerunt. Non enim Iudæi erant Idumæi: sed hi ab *Esau*, illi à *Iacob* descendentes, duarum nationum fuere principia. *Duæ sunt gentes* (ait Dominus ad Rebeccam) *in utero tuo, & duo populi ex uentre tuo diuidentur: populusque populum superabit, & maior seruiet minori*. Sic Moyses, *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec Egyptium, quia aduena fuisti in terra eius*. Religionem porrò non fuisse causam, cur rebellarent, ex eo arguas, quia non tam Regi, quam regno se subtraxerunt.

2. Paral. 21.

2. Reg 8

Gen. 25.

Deut. 23

Quod si in libro *Paralipomenon* legatur etiam *Lobna* rebellasse, quæ Idumæorum non erat; sed quia Ioram Idola erexerat: respondet *Lyranus* Lobnam Idumæis contermīnam inductam fuisse in societatem discordiæ, Domino permittente; qui ad puniendum *Ioramum*, Idololatras suscitauit, vt vindicaret *inimicos suos de inimicis suis*. Exempla habes in Manasse, cæterisque Regibus Idololatris, quos Ægyptiorum, Assyriorum gladio deturbauit. Pharao, Salmanasar Nabuchodonosor, in Iudæos, Turcæ in Christianos fuere carnifices, qui Deo permittente, vlti sunt scelera nostra. Non tamen Dei dices ministros, quibus ipse aduersùs populum suum iudicia commiserit. Ioramo mortuo, iusta more Regio non persoluerunt populi, nec sepelierunt in sepulchro Regum; forsan quia cum exequiæ testimonium sint vitæ præteritæ, haud poterant coram Deo mentiri, eum laudantes, qui Deum blasphemauerat. 4. Reg. 8.

LIV. *Infideles vexantes Christianum non sunt Dei ministri.*

2. Paral. 21. 20.

Similis huic fuit coniuratio facta non ab 4. Reg. 14

vni-

vniuerso populo Iudæ, sed à Hierosolymitanis tantum aduersus *Amasiam* Regem Iudam, quia infeliciter bellum gessisset cum Rege *Ioa* ait Lyranus: *videntes ciues murum ciuitatis interruptum, & ciuitatem spoliatam, & filios suos ductos obsides in Samariam, occasione superbiæ eius, quia noluit desistere à bello contrà Ioas, cœperunt tractare de morte eius*. More quidem barbarico, vt aduersæ fortunæ pœnam Reges luant. Sic consueuerant

Lib. 27. Burgundiones Regem solio pellere, *si sub eo fortuna belli titubauerit, vel segetum copiam terra negauerit*; Ammian. Marcell.

LV. *Impietati Regis populus nō assentiat.* Prospiciant tamen populi ne ob reuerentiam Regis associentur in crimine, quia si Deus visitauerit eos in virga furoris sui; non aliena dicentur portare delicta, sed proprij facinoris culpam: vt cum Manasses polluit templum Domini; & populum vniuersum Deus flagellauit, quia Regi plauderet peccanti.

Sic intelligas Augustinum super Psalmū 81. dicentem Christi mortem in Hebræis puniri vniuersis, quia cum tantæ multitudinis essent, vt Iudæorum Principus terribiles essent, *non fecerunt, sed conniuerunt, eumque interimi à malignis, & inuidis Iudæorum Principibus permiserunt*. Cum enim Regem haberent Cæsarem, & Iudæorum Principes, & Sacerdotes non timerent; resistere, propulsare iure poterant; sed impiè conniuerunt Sacerdotum perfidiæ, quùm pecunia corrupti *clamarunt omnes, crucifigatur*. Prin-

Matt. 27. cipes enim Iudæorum *persuaserunt populis*, vt peterent Barabbam, *Iesum verò perderent*. Hic erant pares, & omnes veniebant specie

LVI. populi sub vno Cæsare. Quum verò dissidium est inter Regem, & subditos; sat istis si Regum criminibus minimè plaudant, & impijs non associentur. In Regem non audeat populus, quia forsam elegerit, nam & Antistitem Laici, vt & Patroni Parochum

Vt in c. vlt. caus. 8. q. 2. eligebant, sed electum non iudicabant. *Magnopere prespiciendum* (aiebat Ambrosius ad Clerum Mediolanensem) *Iudicari namque à vobis vltra non debet semel Prælatus: sed tanto tunc subtiliter iudicandus est, quanto postmodum iudicandus non est*. Hinc Panor-

cap. 4. de Cler. non resid. mitanus. *Nota quod habens potestatem conferendi, non habet potestatem destituendi etiam propter delictum*. Semel in solium sublimatus à populo, titulo Regis, vnum suspicit supra se, Deum. Quod ipsi libet, legis habet vigorem. Legem dat, non accipit: & populo inconsulto, bella mouet, fœdera sancit, hosti indulget, tributa indicit, forum aperit, legatos mittit, monetam cudit, reos damnat, innocentes absoluit.

Aliquando in scriptura inuenies Duces consuluisse populum, vt Ephron qui populo inconsulto non est ausus Abrahamo sepulchrum vendere, licet *in medio populi staret*; populum *suum* diceret. Sed isti, vt *Ephron* non sunt Reges, quamuis populum *suum* diceret; quia & *Daniel*, confiteor, aiebat, peccata mea, & *populi mei*, nec tamen Rex erat. Ieremias stabat in medio populi, neque Rex erat. *Ephron* ibi vocantur & *populus*, vt hic extraneo ius daret sepulchri; ille venderet agrum. Reges prius fœdera ineunt, postea populo referunt: sic fecit *Hemor Heuæus*, cum Iacobo fœdus percussit, priusquàm populum in comitia vocaret. Quod semper verum, ni timor Regis, & furor populi iura extorqueāt aliena. Quandoque enim dandum rumoribus tempus vt fenescant: interim Iura laxantur, vt de *Sedecia* legitur, qui principibus populi postulantibus mortem Ieremiæ respondit: *ecce in manibus vestris est: nec enim fas est, Regem vobis quidquam negare*. Sic cum vellet librum Ieremiæ comburere, multi *contradixerunt Regi, ne combureret librum*. Vrgebant Sedeciam legiones Nabuchodonosoris, vnde studens sibi aulicos conciliare, rogantibus (*dixerunt Principes Regi; rogamus vt occidatur homo*) adulando respondit, *nec enim fas est, Regem vobis quidquam negare*. Postquam tamen Principes Ieremiam in teterrimum detrusere carcerem; Rex inconsultis Principibus in mitiorem remisit, & secretò Prophetam inuisebat.

Gene. 23

Dan. 9.

Iere. 37

Gen. 34.

LVII. *Rex quādoq; obtemperat populo.*

Ier. 38.

Ier. 36.

LVIII. *Sacrificium prò Rege, & populo.* Quod si ad supereminentiam populi in Regem, ordo sacrificiorum objiciatur antiquus, in quo ad expiationem sacerdotis *vitulus* offerebatur, vt etiam propter populum *vitulus*; porrò pro Rege *Hircus*, prò persona priuata *capra*. Hircus minor est vitulo, ergo & Rex minor populo. *Respondent* plurimi vitulum fuisse oblatum pro populo, quùm populus vniuersus, in quo & Pontifex includebatur, peccabat. Secus si non populus vniuersus, tunc enim *hircum* offerebat, non vitulum. *Leuit. 9.* Tempus etiam

Leuit. 4.

quo

quo legem Moyses promulgat, ne praeter eas. Regem tunc non habeat Iudaea praeter Deum. *Principes* ij erant, quos in subsidium elegerat Moyses de populo Israel, dicens eos *tribunos*, centuriones, quinquagenarios, & Decanos. Omnes isti collectiuè sumpti si peccassent, *vitulum* offerebant, non *hircum*, quia populum repraesentabant vniuersum. Si vero eorum alter reus erat, piaculum suum hirci victima expiabat. Nam si de Rege scripturam intelligas, locum non habuisset mandatum per trecentos, & quinquaginta annos, quibus Hebraei post Moysem sine Rege vixerunt.

LIX. *Regicidiũ quomodo expietur.* Qualem victimam teneretur offerre, si quis esset Regia caede pollutus? *seipsum* dicas. Legẽ profero, quam natura sanguine exarauit. Regicidas cum plurimos legerim, nullum tamen impunitum sacra proferunt, vel monumenta profana. Praetercam quod de Caesaris percussoribus obseruat Suetonius: *Percussorum autem fere neque triennio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu perijt; pars naufragio, pars praelio, nonnulli semet eodem illo pugione, quo Caesarem violauerant, interemerunt.* Talionem porro Caesar ipse subijt, quia Pompeium sustulit. Caesarem autem Brutus, & Cassius, hos Augustus. Aut quomodo Galbam Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus, & Vespasiani filium Titum Domitianus. Hinc Iosephus, Deus fecit vt alius alium è medio tolleret. Ex Occidentalibus porrò Caesaribus à Carolo Magno, Conradum IV. Manfredus frater veneno sustulit. Manfredum Carolus, à quo & Corradinus manu carnificis sublatus est; sed & ipse spoliatus Siciliae regno, moerore animi extinctus est, eiusque filius etiam *Carolus* dictus in carcerẽ coniectus à Petro Aragonio, miserè vitam finijt. Sed ad Caesares redeundo, *Adolphum* Caesarem cum interemisset Albertus, omnes qui in eius necem conspirarunt, diuina vlciscente iustitia, cum interfectore mala morte perierunt. Nam *Albertus*, & ipse Imperator à *Iohanne* fratris filio occisus est. Iohannes profugus, tandem detrusus in carcerem miserè vitam finijt. His & similibus non immorabimur: quae Sacra pagina recitat de gentibus peregrinis, & non Iudaicis. Quo fato perierint, qui in Iudaeorum Reges, seditiones excitarint, vel eorum vitae fuerint insidiati, perquiramus. En *Achitophel* Absaloni à secretis parricidae, suspendio perit. *Absalon* ipse post viginti millia suorum caesa, confossus ab arbore pendet. *Seba* filius Bicri ausus tuba clangere contra Dauidem, capite plectitur. Parricidae *Isboseth* à quo mercedem exposcunt, mortem reportant. *Abner* quia Rege prodito, à Ioabo interficitur. *Ioab*, & *Adonias* cum in Salomonem coniurassent, eodem fato pereunt. Haec ad Salomonem vsque; cuius idololatriam punijt Deus diuisione regni, quae sub Roboamo contigit. Inde duo regna Iudaeis; vnum *Iudae* Hierosolymis penes posteros Dauidis, sub quo tribus Iudae, & Beniamin. Alterum *Israelis*, ad quod pertinebant decem tribus rebelles. In vtroque cum plurimi fuerint parricidae, nullus euasit impunè. Paulus Apostolus (cui impius Ananias Princeps sacerdotum praeceperat, os eius percuti) postquam maledixit, monefactus Ananiam esse Principem sacerdotum, exterruit non propter timorem Principis, gaudebat namque Paulus ob gloriam Christi, contumeliam pati; sed quia Principem maledixisset: vnde protinùs se excusauit. *Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui ne maledices. Act.* 23. Iniuria namque recepta, Paulus agere non nisi poterat in vindictam.

Antiq. 8. c. 7.

LX.

Omnes Regicidae infelices.

2. Reg. 18. *2. Reg. 20.* *1. Reg. 2.*

LXI. *Regni diuisio apud Iudaeos.*

LXII.

LXIII. *Inter Feudum, & regnũ nul la propor tio.* Omitto *Vasalli* ad Dominum, & Regis ad Deum similitudinem, quam populares obijciunt. Vt sicut *Vassallus* sedifragus iuramenti, quod Domino permisit, cadit à feudo; ita & tyrannus cadat à regno. A feudo namque ad regnum nulla est analogia. Regnum à Deo, Feudum ab homine est. Illud post Cataclysmum medio Ninrodo; Hoc inter Italos à Longobardis, consuetudine primum, inde lege, vt titulo *praecario* concederetur, & nulla vrgente legitima causa à Dominis posset reuocari. Vsu pone inoleuit, vt intra annum Feuda repeti non possent, postea ad vitae periodum intelligerentur concessa; mox vni ex filijs deuoluerentur, quem specialiter Dominus nominaret. Moribus postea factum, vt perpetua essent, non ex natura feudi, sed ex impotentia, vel Domini liberalitate. Iniquum ergo, ius Regum sacrosanctum, dubia Longobardorum lege, & feudi exemplo metiri. Nam

Feudi origo natura.

Alij

si Rex *ex omni fellonia, qua vasallus feudo priuatur, & Dominus proprietate spolietur. Alij non nisi ex magna fellonia, alij ex nulla.* Obertus de Otto lib. 2. feud. c. 27. Accedit quod si Rex alicuius tentaret pudicitiam, illicò à regno caderet, vt à feudo feudatarius. Qui tamen nec ipse cadit, nisi sententia adueniat, qua reus declaretur. *lib. 1. feud. t. 21.* Perpende tandem regna ita à Deo pendere, vt ludendo in Orbe terrarum ea transferat, & sine causa. Nil enim meum, nil tuum, sed omnia sua. *Domini est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. Psal. 23.* Quod si Deum consideres non vti Mundi Dominum creationis iure, sed vti Legislatorem, qui sine causa dominia rerum non mutat, non adhuc feudo potes æquiparare regnum: quia in illo *felloniæ* culpa (vt verbo vtar Iuristarum) etiam Dominus feudi proprietate priuari potest: Quam in Deo nec fingere vales. Sacramentum itaque hoc magnum est, in quo ius Regum inquirimus. Tan-
LXIV. tum est, vt cum à Deo venerit, solus Deus possit interpretari. Si eius est interpretari, cuius est condere. Obedite vos præpositis vestris; est enim qui de manu Regum requirat duplicia. Vindicem cum habeamus Deum, cuius est ludendo, Reges deludere; cur humanam quærere vindictam? *Domini est regnum Psal. 21. Nos populus eius, & oues pascuæ eius. Ipse fecit nos, non ipsi nos. Psal. 99.*

Regem habemus, sed & Regem Regis licet aliquãdo nostras nolit exaudire preces, vt ad Hebreos. 1. *Reg. 8.* protestatur. *Clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis; & non exaudiet vos Dominus.* Clamabimus ergo, non iudicabimus. Clamantis gemitus seruorum est argumentum, non vox imperantium. Hic duo obseruo: clamentium questus, & ad quem clament? Si iudicare possumus Regem, ad quid clamare. Quia non iudicas, clamas ad eum, qui clamorem profitetur audire, sed exaudire recusat. Si iudicare audes cur clamas? iudicium exposcis, & iudex es. Insania est, petere quod intus habes. Si haberes non peteres, petis quod non habes ab eo qui omnia habet. Viuorum itaque, & mortuorum iudex Deus is est, cui omnes gentes plaudunt manibus. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram, Psal. 46.* Is est, *per quem Reges regnant, & principes iusta decernunt. Prouer. 8. 15.* Si per eum, non per populum, quid debent populo Reges? Procuratores Dei nõ hominũ Reges rationem Deo reddant. Si solus transfert regna mundi, 2. *Dan. 21.* vnde audet populus falcem ponere in messe aliena? sit sua sorte contentus. Synagogam Deorum non nisi Deus ingreditur.



perbiam super fratres suos ; neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, & discat ti-
XXX. *Ius Regis non idem ac officii.* *mere Dominum Deum suum: vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel.* Aliud enim est Regem instruere, & *officium* docere regiminis, cuius lectioni, & sermoni non citantur populi, nec in comitia Regis edifcentis, & Prophetæ edocentis coeunt: nā in Deuteronomio ad Regem Propheta sermonem dirigit. *Aliud* verò *ius Regis* resonare, & verba horrisona pandere, vt Hebræi duræ ceruicis priùs intelligerent, postea peterent. Moyses itaque Regis officium: Samuel verò amplitudinem describit imperij. Ille quæ à bono principe agenda, hic quæ ab oppresso populo toleranda. Ille Regi Deum minatur vltorem tyrannidis, hic patientiam populo recordatur, ei imputando quod Regem petierint,& dolorem lenirent, quia sibi ipsi vulnera aperuissent, & plagas. Prænoscerent sibi Regem dari, cuius officium foret, Dei vicem gerere in terris (Quo voto Deus Saulem selegit) Non propterea regiæ probitatis se Deum fideiussorem constitue re,sed iudicem. Quia populi gemino officio functuri non erant: Regis, scilicet & populi. Eligerent,quem mallent; se sponsorem offerre iudicij, non probitatis. Hoc audito quamuis peracerbo iure per Samuelem explanato, replicarunt Hebræi. *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit Rex noster*. Quasi dicerent. Beneficium non confertur in inuitum. Melioris conditionis esse, ac cæteræ sunt nationes, dedignamur. Qualiscumque futurus est Rex, da nobis Regem.

XXXI. Nec verum quod verba illa solumodò protulerit Samuel ad terrorem populi, vt à petitione retraheret ; sed etiam vt populo nullum ius aduersus tyrannum, datum exponeret. Nam verba à Samuele prolata ante electionem Regis, repetita fuere ab eodem Samuele post Regem electum ; imo scripta atque reposita in arca fœderis in testimonium incorruptæ obseruantiæ. 1. *Reg. c.* 10. Quod verò verba illa increpatoria à Samuele prolata,non tam ad terrorem populi, quàm ad reseruandum Deo iudicium Regis fuerint recondita in arca fœderis , vnà cum eis, quibus Moyses *Deut.* 17. explanarat Regis officium, patet ex. 1. *Reg. c.* 10. 25. vbi sacer Cronista narrat in arca fœderis eam fuisse reconditam legem, quam *Samuel ad populum loquutus* fuerat. Sed quam ad populum locutus fuerat Samuel, fuit *Ius* non *officium* Regis; nam populum docebat,non Regem; ergo de iure Regis à se exarato, non de Regis officio per Moysem iam explanato, scriptura intelligitur. In verbo *Scripsit* veritas illustratur; nam eam in arca Samuel legem reposuit, quæ fuit per eum ore promulgata, & calamo in libro descripta. *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro.* 1. *Reg.* 10. 25. Officium porrò Regis iam stabat in libro descripto; & superfluum nouis characteribus exarare præmissa, actum agere, eaque prætermittere, quibus rudem, rebellem, & perfidum populum ad obsequium posset reuocare. Ita sentit Ioseph. *lib.* 6. *Antiquit. c.* 5. *At autem Propheta hunc vobis Deus Regem dedit, aspicite quàm sit omnibus præstantior, & imperio dignus, postquam autem populus salutem, & felicitatem Regi precatus esset, Propheta scripsit mala, quæ illis euentura erant, & legit Rege audiente, librumque reposuit in arca Domini, vt esset apud posteros testimoniū eorū, quæ prædixerat.* Et licet (dicat S. Thomas) 1. 2. q. 15. art. 1. ad 5. *ius illud non debebatur Regi ex institutione diuina, sed magis pronunciabatur vsurpatio Regum, qui sibi ius iniquum constituunt in tyrannidem degenerantes, & subditos deprædantes,* non negamus graui populorum iniuria XXXII.
Regem in tyrannum declinare. Ex hoc tamen non datur populo in Regem insurgere, cuius iudicium Deo reseruatur. Nemo *In Regē insurgere nefas populo.* impedit, quin *de facto* dicunt scholæ, tam Rex, quàm populus ingrediatur lupanar, aliena rapiat; sed hoc vnum inter Regem, & populum discrimen est, quod populum Rex iudicat, Regem Deus. Legibus Rex viuere profitetur, sed ijsdem legibus eodem tempore se clamat esse solutum. §. *sed quod Principi de Iure nat. Gent, & ciuili. Instit.* 1. Quis itaque in Regem audebit iudicium assumere? nefas disputare de illis, quorum hæ- XXXIII.
reditas in Cœlo diuiditur. *Ego cor Regis ob- Soli Deo subditur.* *seruo* (habet 8. n. 4. Eccl.) *& præcepta iuramenti. Ne festines recedere à facie eius, neq; permaneas in opere malo : quia omne quod voluerit faciet : & sermo illius potestate plenus est ; nec dicere ei quisquam potest, Quare ita facis?*

Nullum caput ista super se
Aspicit, excepto Cælorum Rege potestas.

Si

Si penès Romanos in paruo regno hoc est in familia, nam & regnum dicitur ampla familia, fas erat genitori velut regi, ait Aristoteles. *3. Polit. c. ij. & 1. Pol. c. 8.*

XXXIV. *Ius Patris in filios.* *Cæterùm ego domi nostræ Rex ero* Homer. *Odiss.*

Non tam consulere, quàm sæuire, nec erat qui patrem interrogaret cur ita facis? *l. 11. ff. de liber. & posthum.* & in sacra pagina de Abrahamo legimus, cui filius obsistere noluit, cum posset; nec patri sacrificanti victimam sui ausit prohibere, *Genes. 22.* quantò minùs populo subiacebit Rex ille, qui teste Irenæo *lib. 5. in Valent.* ad vtilitatem
XXXV. *Rex à Deo.* gentium à Deo regnum accepit; *cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu, & Reges constituuntur*; & Tertull. *in Apolog. Inde est Imperator, vnde & homo antequàm Imperator: inde potestas illi, vnde & spiritus.* Et infra,
XXXVI. *Populo non subijcitur.* *nos iudicium suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit.* Inde Dominus per Natham Prophetam protestatur Dauidi, *Ego vnxi te* (non populus) *in Regem super Israel; dedique tibi Domum Israel, & Iuda. 2. Reg. 12.* Et Salomon, *Viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei. 3. Reg. 2.* Gratias Salomon agit Deo, non populo; nec voluit populus sibi Regem assumere, sed à Deo missum, à Deo datum maluit adorare, vt in misso, & legato, mittentis & legantis suspicerunt Maie-
XXXVII. *Dei legatus.* statem. Quam non minus violari à populo in Rege Dei legato credimus, quàm in Oratore legato Reipublicæ. Hunc si punit non is ad quem missus, sed is à quo missus, nec Regem populus sed Deus vindicabit, iudicabit legatum. Ecquando Prætores Romanorum vel à Siculis, vel ab Afris, vel ab Ægyptijs sunt iudicati, quamuis publica temerassent, & sacra? Omnes, nullum præter, iudicante Senatu, Romæ *Repetendarum* sunt postulati. Absit Prouincialibus, quod Senatus vsurpato gladio, manum extendissent vel in ciuem Romanum, ipso permittente Senatu, cum nulli datum Regi sceptrum transferre. *Si Magister remittat honorem suum, remittitur ille; at si Rex remittat honorem suum, illi non remittitur*, inquiunt Doctores Hebræi in tractat. *Sanhedrin.*

XXXVIII. *Saulem depositũ honorat Samuel.* Nec mysterio vacat, quod *Samuel* Saulem quondam Regem, adhuc honore prosequitur. Nutabat primùm ipse Propheta an *Saulem* exauctoratum deberet honorare? vnde iussus à *Saule* portare peccatum eius, respondit Samuel, *non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & ideo Dominus proiecit te, ne sis* Rex *super Israel; & conuersus est Samuel, vt abiret. 1. Reg. 15. ille autem apprehendit summitatẽ pallij eius, quæ scissa est.* Cui Samuel. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porrò triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo est, vt agat pœnitentiam.* Tunc Saul, *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel. Reuersus ergo Samuel secutus est Saulem.* Placatum, vel perterritum Prophetam respice. Rogatur, iubetur, cogitur à Saule Samuel eum honorare, sed quia anathemate percussit, non honorat, sed fugit nec semel. Modò reuersus colit, Regem pedissequus sequitur. Propheta inconstans, *si* 1. Reg. 15
triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, quia homo non est, vt agat pœnitentiam, cur timidus sequeris Regem sæculi, Rege prohibente Cœlorum? Victus, & deuictus Saulem quondam Regem, pedissequus sequor, respondet Samuel, proprio telo confossus. Quid Saul redarguat attende. *Peccaui*, sed *nunc honora me coram populo*; ac si dicat, Nonne promulgasti Samuel Hebræo Regem petenti, Hoc esse *ius Regis*, quòd tyrannidis suæ solum Deum vltorem habeat? reuertere ergo, & sine mora *nunc* me coram populo honorando, firma legem exemplo. Parum enim hortari subditos verbo, nisi confirmes exemplo. Tunc Samuel rubore suffusus, obediens reuertitur, vnaque cum Saule ad adorandum pergit, ne sui exemplo Israeliticum populum concitaret in Regem.

Non minus humilis erga Saulem Regem XXXIX. *Saulis iniquitas*
suum Dauid, cui & posteris eius Dominus præmia rependit, vt fides seruaretur inuiolata, quam Sauli ille præstiterat. Si quis Regum propter crimina potuit in ius sisti, adeoque morte multari; oppidò Saul esset. Bis in Deum rebellis quique sacerdotalem vrbem *Nobe* immani scelere deleuerat, vt vna die octuagintaquinque, vel cum Iosepho tercenti desiderarentur sacerdotes, & Prophetæ: vxorem Dauidi ereptam alteri tradiderat; Dauidem prorsùs insontem bello persequebatur atroci. Et cui competebat hoc ius potius quam Dauidi, à Deo in Re-

gem electo, vncto, & inaugurato? Vlcisci tamen noluit, cum posset: vt non solùm populum, sed Reges edoceret, quàm sancta sit Regis persona. Saul illum per auia quærens in speluncam, in qua latebat, Deo sic prouidente, solus ingreditur *ad necessaria naturæ*, vt legitur in Iosepho. *Porrò Dauid & viri eius in interiori parte speluncæ latebant*. Cumque Saul Dauidi tam obuius esset, quàm Macrino fuit Caracalla. Nec in tanto periculo videretur hostis insensissimi è medio tollendi occasio prætermittenda: maximè cum vrgerent milites, & reluctantem penè cogerent; reuocata in memoriam prophetia, qua Dauidi promiserat Deus, fore vt hostem illi traderet in manus, eiusque arbitrio permitteret: eamque tum impletā omnes vnà voce clamarent, *Ne contemne Dei concessum munere donum*. Dauid tamen ad hæc immotus, suos grauissimis verbis tanquàm à nefario scelere dehortatur. *Absit* (inquit) *à me, vt hoc faciam Domino meo Christo Domini, & mittam manum in eum, quia est Christus Domini*. Postquam verò abscidit partem vestimenti, pœnitentia ductus, ait. *Iniquum esse proprium Dominum cædere, eumque adeo quem Deus ad regum fastigium prouehere dignatus erat*. Et infra, *Nam licet erga nos malignus existat, me tamen erga eum non decet esse talem*. Nec multo aliter Chrysostomus *hom*. 1. de Saule, & Dauide. *Quid dicis* (inquit) *quod scelestus est, & omni scelere coinquinatus, & in nos extrema cogitans, sed Rex est*. Sunt qui Dauidem à re licita abstinuisse volunt, vt Regiæ dignitati consuleret, cuius mox futurus erat hæres. Ita ex Hebræis Rabbi Leui ben: vt in eamdem sententiam propendere videtur Iosephus, cum Dauidem Sauli dixisse fingit, *Ego quidem à iusta vltione abstinui*. Et Ambrosius, *quàm honestum, cum potuisset Dauid Regi inimico nocere, maluit parcere; quam etiam vtile, quia successori hoc profuit, vt discerent omnes fidem Regi proprio seruare, nec vsurpare imperium, sed vereri*. Quasi Regem inimicum suum iure potuisset interficere; abstinuit porrò ad *perfectionis exemplum*, non in *executionem officij, & debiti solutionem*. Sed ipsius Dauidis verba planè aliud præferunt. Nempe Dauidem à cæde Saulis abhorruisse, quia putauit rem prorsus iniquam, & parricidium sacrilegum, vt

XL. *Antiqui. 6.c.13.*

Lib. 3. c. 9.

Dominum suum Regem, vel interficeret, vel tyrannum diceret. Vnde egredientem de spelunca Saulem secutus Dauid, à tergo clamitat, *Domine mi Rex*, Regem non tyrannum dicit, sed vt Regem adorat, *& inclinans se Dauid pronus in terram adorauit*. Si quæras causam? Dauid ipse repetitis verbis explanat. quia, *propitius sit mihi Dominus* (sibi ipsi diffidebat Dauid; & ne vindex irruat, Deum implorat) ne *faciam hanc rem Domino meo Christo Domino, vt mittam manum meam in eum, quia* (nota) *Christus Domini est*. Quis ergo impij Regis percussor erit? Dauid ipse declarat. *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit: propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini*. Sic ad Saulem non tam pietatis suæ, quàm timoris reddens causam; *cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim, non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est*. Ad Lyranum. *Percussit* cor suum Dauid &c. *idest conscientia sua eum reprehendit, & sic Dauid est accusatus casus: quia in hoc fecerat irreuerentiam ipsi Saul, quia honorandus erat, quandiu in regno tolerabatur à Deo. Propter quod dicunt Hebræi, quod Dauid circa mortem fuit punitus in simili, scilicet in vestibus quibus opertus, non calefiebat*, in pœnam contumeliæ quam irrogauerat Sauli, chlamydem præcidendo, quamuis bono animo fecisset, vt sedaret Regis iram, in se immeritum concitatam. Hinc quasi pœna talionis, non poterat senex in proprijs vestibus incalescere. Idem *Lyranus* ad caput 31. *lib. 3. Reg.* rursus opponit Dauidem territum fuisse ex visione Angeli tenentis gladium euaginatum; nam Regno & Regi Deus particulares Angelorum vigiles delegauit, vt ad eorum salutem excubias agerent.

XLI. *Saulem Dauid honorat.*

XLII. *Quare punitur Dauid.*

XLIII. *Ab Angelo Dauid territur.*

Quod si Augustinus *lib. contra Adimantum* actum Dauidis in opus conuertit pietatis, non debiti officij? dicas vtrumque Dauidem perfecisse, & *pietatis*, & *perfectionis*, vel *Officij*, quia *inimicum & persecutorem suum, nimis ingratum, & nimis infestum Saul regem accepit Dauid in potestatem, vt ei faceret, quod vellet* (dicit idem Augustinus) *& elegit parcere potius, quàm occidere. Non enim erat iussus occidere, sed neque prohibitus, imò*

XLIV. *An actus Dauidis fuerit pietatis?*

etiam

etiam diuinitùs audierat se impunè facere quidquid vellet inimico : & tamen tantam potestatem ad mansuetudinem contulit. Dicatur mihi, quem timuit, cum interficere noluit? Nec hominem possumus dicere timuisse, quem acceperat in potestatem, nec Deum qui dederat. Vbi ergo nec difficultas fuit occidendi, nec timor; dilectio profecit inimico. Pari iure, quibus dati sunt Reges in potestatem à Domino, licet possint, quantum tamen possint, experiri non audeant. Quod si à Domino nullam acceperint potestatem, hoc vnum sciant sibi competere, adorare Christum

1. Reg. 26

Domini. Audi Dauidem, quùm Saulis ingressus castra, & dormientes inuenisset custodes, suadenti vt capitalem hostem, quem semel atque iterum ei tradiderat Deus, pateretur confodi, Dauid in hæc verba respondit.

XLV. Nulli ius in Regē.

Ne interficias : quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?

Lib. 4. in Samuel.

Audi Bedam, *duas maximè ob causas Dauid manum suam ab occidendo Saul, quamuis se inimicissimè persequentem, continuisse declaratur : quia videlicet eum, & Dominum suum, & regali meminit chrismate vnctum. Vbi primò regnum, vel vnguentum, quod & ipsum Dominici, semper videlicet inuiolabilis, regni ac spiritualis vnguenti nequerat prætendere figuram, digno veneratur honore. Deinde etiam nos moralibus instruit disciplinis, ne præpositos nobis, eos maximè qui sacris ordinibus sunt insigniti, quamuis nos iniustè persequentes, verbi austerioris ense fædare, & vel vltimæ superflua actionis eorum quasi fimbriam vituperando, decerpere præsumamus.*

Quæst. ex Vet. Test. c. 26.

Ad idem facit Augustinus: *Qua ratione Dauid Saul postquàm Deus ab eo recessit, Christum Domini vocat, & defert ei? non nescius Dauid esse traditionem in officio ordinis regalis, idcirco Saul adhuc in eadem traditione positum honorificat nè Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit, Dei enim imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi.*

Rex indignus, honorandus.

Quandiù ergo in ea traditione est, si non propter se, vel propter ordinem. Vnde Apostolus dicit, Potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas nisi à Deo, quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt. Hinc est vt gentilem in potestate tamen honorificeamus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens, gratias agit diabolo. Potestas enim exigit, quia meretur honorem. Nam ideo Pharaoni futuræ famis somnium reuelatum est : & Nabuchodonosor alijs secum assistentibus, solus filium Dei vidit in camino ignis, non vtique merito suo, qui in Idolo se adorari voluit, sed merito ordinis Regalis.

XLVI.

Quis Tiberio iniquior? *cædibus, periurio turpificatum* dicit Suetonius c. 44. Sciscitantibus tamen Pharisæis, qui iugum oderant imperiale, vnde *Antiocho* (ait Tacitus) *Comagenorum, Philopatre Cilicum Regibus defunctis,*

2. Annal.

turbabantur nationes : plerisque Romanum, alijs Regium imperium cupientibus. Et Prouinciæ Syria atque Iudæa fessæ oneribus diminutionem orabant tributi, respondit Christus, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.* Nec contentus doctrina Christus, adiungit exemplum, quum iussit Petro tributum soluere, licet iniquum *Matth.* 17. 25. quia liber

XLVII. Minus malū eligendum.

esset; ne tamen scandalizaret publicanos soluì iussit. Consultius est populo ab ijs abstinere remedijs, quæ plerumque morbo ipso peiora sunt, quibusque adeò vulnus exasperatur potiùs, quàm sanatur. Ea toleranda mala, quæ sine magna pernicie emendari non possunt. Itaque Christus ex agro suo *zizania* vetat euelli, *ne simul cum eis triticum eradicetur.* At quid immoramur Patrum sententijs, & auctoritatibus, vbi Conciliorum vrgent decreta. Lege Canonem 74. Concilij Toletani IV. larum in Gothos Hispanos *An. Sal.* 633. gentem tum temporis

XLVIII.

valde asperam, & indomitam, & ferè ad finem sexti post Christum sæculi Arianà labe infectam. Barbarus mos inoleuerat, Reges suos plerumque deponendi, & trucidandi.

XLIX. Reges occisi.

Sic *An.* 416. Ataulphus Rex Barcinone *inter* familiares fabulas à quodam Vernulfo iugulatus est; eidemque suffectus Sigericus à suis est interfectus. Sic *An.* 452. in Thurismundum morbo laborantem, dum chirurgus illi sanguinem eliciebat, Theodoricus, & Fridericus fratres cum alijs irruerunt. Is arrepto Chirurgi scalpello, vna manu quam liberam habebat, aliquandiù se defendit, nec nisi pluribus occisis, occubuit. Enricus etiam ex fratricida factus est Rex *An.* 466. occiso fratre Theodorico. *An.* 510. Geselicum à Gundebardo Burgundionum Rege victum Theodoricus Gothorum imperio, & Ebbanes Theodorici Dux *An.* 512. vita exuit. *An.* 531. Amalaricus quia in Francos infelix pugnasset, à suis per contemptum inte-

interimitur. *An.542.* Rex *Theudis* lethaliter ictus à quodam, qui se dementem simulabat, moriens adiurauit adstantes, vt nè percussorem interficerent, pœnam talionis in se agnoscens: cum & ipse olim Ducem suum pari proditione necasset. *An.544.* Huius successor Theudisilus à proceribus inter epulas iugulatur. *An.553.* cum quidam Athanagildus regno inhians, Agilæ Regis copias fudisser circa Hispalim, Gothi veriti nè Romani huius seditionis occasione Hispaniam inuaderent, Agila Emeritæ cæso, Athanagildum Regem crearunt. *An.604.* Liubam Recaredi filium, Principem magnæ indolis, in ipso flore adolescentiæ, Vittericus insontem regno deiecit, præcisaque dextra occidit. Sed ipse vicissim *An.610.* suorum coniuratione inter epulas occisus est. *An.624.* Sisebuto Regi clarissimo veneni haustu, vt putatur, sublato, & Recaredo filio post septimum mensem denato Suintilla successit, non impari fato; nam ope Dagoberti Francorum Regis *An.1031.* Gothi, Suintilla depulso, Fisenandum regni æmulum substituerunt. Sub cuius imperio Toleti Concilium est celebratum, pro generali ab Hispanis habitum, quia ex tota Hispania, & Narbonensi Gallia ad illud conuenerant Episcopi 70. Isidoro Hispalensi præside. Quo auctore, vt in posterum furentes, & Regicidas Gothos compescerent, sequentem edidere Canonem. *Post instituta quædam Ecclesiastici ordinis, vel decreta, quæ ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est, prò robore nostrorum Regum, & stabilitate Gentis Gothorum, Pontificale vltimum sub Deo iudice ferre decretum. Multarum quippe gentium (vt fama est) tanta extat perfidia animorum, vt fidem Sacramento promissam Regibus suis obseruare contemnant, & ore simulent iuramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Iurant enim Regibus suis, & fidem, quam pollicentur, præuaricantur: nec metuunt volumen illud iudicij Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos, qui iurant in nomine Dei mendaciter. Quæ ergo spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? Quæ fides vltra cum alijs gentibus in pace credenda? Quod fœdus non violandum? Quæ in hostibus iurata sponsio stabilis permanebit, quando nec ipsis proprijs Regibus iuratam fidem seruant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu sua propria desecet? Illi (vt notum est) immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosque Reges proprias conuertendo vires. Et cum Dominus dicat*, Nolite tangere Christos meos, *& Dauid*, Quis, *inquit*, extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? *illis nec vitare metus est periurium, nec Regibus inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur nec violatur. Quod si in bello fides valeat, quanto magis in suis seruanda est? Sacrilegium quippe est si violetur a gentibus Regum suorum promissa fides; quia non solum in eos fit pacti transgressio, sed & in Deum, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est, quod multa regna terrarum cælestis iracundia ita permutauit, vt pro impietate fidei & morum, alterum ab altero solueretur.* Et paulo post. *Quod si diuinam iracundiam vitare volumus, & seueritatem eius ad clementiam prouocare cupimus, seruemus erga Deum religionis cultum atque timorem, custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem. Non sit in nobis vt in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdolæ mentis perfidia, non periurij nefas, & coniurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones ciuium, nemo meditetur interritus Regum, &c. Quod si hæc admonitio mentes nostras non corrigit, & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audi sententiam nostram. Quicunque ergo ex nobis vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione vel studio Sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu, vel conseruatione Regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, Anathema sit in conspectu Dei Patris, & Angelorum, atque ab Ecclesia Catholica quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, nec partem habeat iustorum, sed cum Diabolo, & Angelis eius æternis supplicijs condemnetur vna cum eis qui eadem coniuratione nituntur.* Hoc anathema coram vniuerso clero, & populo cum tribus vicibus clara voce intonassent, *ab vniuerso clero, &*

populo

populo dictum est; Qui contra hanc vestram
definitionem præsumpserint, Anathema Ma-
ranatha, hoc est perditio in aduentu Domini
sint, & cum Iuda Iscarioth partem habeant
ipsi & socij eorum, Amen. Et Episcopalis hic
Canon Gothos eorum Regum, quos dixi-
mus, successoribus subditos, deinceps in of-
ficio suo sic continuit, vt subsequentium
Regum nullum trucidauerint, ac nè depo-
suerint quidèm; præter Vitizam monstrum
hominis, omni scelerum ac libidinum ge-
nere inquinatissimum.

Tantis firmatam propugnaculis Regum
L. immunitatem, obtuere præsumunt, illud
Apostolorum obijcientes, *obediendum Deo*
5. 29. *potius quàm hominibus*. Ridicula enim quæ-
stio, vt ait Celsus. *Aut non intelligo quid sit*
l. Domi- *de quo quæris, aut valde stulta est quæstio tua:*
tius 27. *plus enim quàm ridiculum est dubitare, an Deo*
ff. qui te- *potius quàm Regi sit obediendum.* Hinc Da-
stam. fa- niel, *Melius est absque opere incidere in ma*
cere poss.
13. *nus hominum, quàm peccare in conspectu Dei.*
Propterea si Rex intoleranda sæuitia popu-
lum diuexet; habet quidem populus pote-
statem se tuendi, non tamen Principem in-
uadendi. Primum natura Brutis etiam in-
dulget, vt contra illatam iniuriam tueamur
corpus. *Secundum* contra naturam est, vt
pes in caput, in Dominum seruus, in supe-
riorem subditus vindictam exigat.

Defensionem concedimus, vindictam
negamus. Malum antequàm fiat, impe-
diat populus; factum damnare, in Regem
authorem sceleris insurgere, ius non habet.
Si Magistrorum uita (inquit Gregorius) *iure*
25. Mo- *reprehenditur, oportet vt eos subditi etiam cum*
ral. ex- *displicent, venerentur. Sed hoc est solerter*
pos in Iob *ineundum, nè aut quem venerari necesse est,*
c.21. *imitari appetas: aut quem imitari despicis,*
venerari contemnas. subtilis enim via tenenda
est rectitudinis, & humilitatis, vt sic repre-
hēsibilia Magistrorum facta displiceant, quate-
nus subditorum mens à seruanda Magisterij
reuerentia non recedat, & Augustinus, *Iulia-*
c.98. Im- *nus extitit infidelis Imperator, nonnè extitit*
peratores *Apostata, iniquus, idolatra? milites Christi*
11. q. 3. *seruierunt imperatori infideli. Vbi veniebа-*
tur ad causā Christi, non agnoscebant, nisi illum,
qui in Cœlo erat. Quandò volebat, vt idola
colerent, vt thurificarent; præponebant illi
Deum. Quando autem dicebat, producite
aciem, ite contra illam gentem; statim obtem-
perabant. Distinguebant Dominum æternum
à Domino temporali: & tamen subditi erant
propter Dominum æternum, etiā Domino tem-
porali. Quod si non superest defensioni lo-
cus, & alterum vrgeat, vel mortem subire,
vel Idolis thurificare; debemus potiùs obi-
re mortem, nè Idola colamus, vel in Regem
arma sumamus. *Patientiam* recordatur Au-
gustinus, *qui resistit potestati, Dei ordinationi*
resistit; sed quid si illud iubent facere, quod
non debeas? Si aliud Imperator, & aliud Deus:
quid iudicatis? solue tributum, esto mihi in ob-
sequium: rectè: sed non in Idolio. In Idolio
prohibet; quis prohibet? maior potestas. Da
veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur.
Hic iam tibi assumenda est fides tua tanquam
scutum: in quo possis omnia ignita iacula inimi-
ci extinguere. Sic Ambrosius contra Valen-
tinum Imperatorem, qui eum Mediolano
expellere tentabat. *Conuenior* (inquit Am- LI.
brosius) *à comitibus, & tribunis, vt Basilicæ* Regi in
fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem Deum iu-
iure suo vti, quod in potestate eius erant om- benti quo
nia. Respondi, si à me peteret quod meum modò re-
esset, me non refragaturum, quamquam quæ sistendū?
mea sunt, essent pauperum. Verum ea quæ Di- lib. 5. q.
uina Imperatoriæ potestati non esse subiecta: si 33.
tributum petit non negamus: agri Ecclesiæ sol-
uunt tributum, si agros desiderat Imperator,
potestatē habet vindicandorum, nemo nostrum
interuenit, potest pauperibus collatio populi re-
dundare, non faciant de agris inuidiam, tollant
eos, si libitum est: Imperatori non dono, sed non
nego: At minitanti Calligono præfecto se ca-
put antistiti sublaturum, ni properè Impe-
ratori audiret, respondit. *Deus permittat ti-*
bi, vt impleas quod minaris, ego enim patiar
quod Episcopi, tu facies quod spadones. Disce
ergo, & Deum timere, & Principem hono-
rare. Nec dicas Ambrosio defuisse vires, &
arma temporalia, vt Cæsarem propulsaret.
Tanta enim ciuium, militumque multitu-
do ad Ambrosium confluxerat, vt iam popu-
li diceretur seductor. Ego tyrannus appel-
lor, & plus etiam quàm tyrannus: nam cum
Imperatorem comites obsecrarent, vti pro-
diret ad Ecclesiam, idque rogarent mili-
tes rogantibus, respondit: *si vobis iusserit*
Ambrosius, vinctum me tradetis: quod ve-
rum quidem; neminem tamen concitauit:
non quia non posset; sed quia minimè debe-
ret. *Tradere Basilicam non possum, sed pu-*
gnare

gnare non debeo. Et in oratione ad suos contrà Auxentium, *paratum me esse vt si ille faceret quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem quo sacerdotis esse consueuit; quid ergo turbamini? volens numquam ius deseram, coactus repugnare non noui. dolere potero, potero flere, potero gemere, aduersus arma, milites Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis; aliter nec debeo, nec possum resistere*. Legas Surium in chronicon. anno 1535. apud quem, præclarum exemplum dabunt tibi martyres illi, qui iubente Herico VIII. Anglo, necati sunt: in medijs enim cruciatibus *rogabant principes, & reliquos circumstantes omnes, vt constanter ad supremum vsquè spiritum benè uiuerent, Regi fideliter seruirent, & obtemperarent in omnibus, quæ non essent Dei, & Catholicæ Ecclesiæ placitis aliena*.

III. *Armis an religio defendi debeat. lib. 5. ep.*

IIII. *Idololatra an deponendus.*

Sed vrgent populum non solum inuito Rege, abstinere posse ab Idololatria, sed Idola colentes aggredi teneri, quia populo comissa fuerit legis diuinæ custodia *Deuter.* 27. quod verum, cum iure viueret Aristocratico; tunc enim Deum habebant pro Rege. Et quamuis in statu Monarchico percussum fuerit fœdus inter *Deum, & Regem*; & inter *Regem, & populum*. Pepigit ergo fœdus *IOiada inter Dominum, & inter Regem, & inter populum, ut esset populus Domini, & inter Regem, & populum*. Si populus inferior Rege, quomodò cum superiore paciscitur? & imperante Rege, sibi populus iurisdictionem vsurpat? & tamen *Ingressus est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt ualidè: Mathan quoque Sacerdotem Baal occiderunt coram altari*. Ex hoc namquè fœdere nullam consequutum est populus potestatem deponendi Regem, si Idololatram. Nam Ioas, cum quo initum est fœdus, Idololatra fuit; nec tamen à populo depositus est, qui tamen iura sua tanto tempore minimè dissimulasset. Quod si *Ioas* percussum legeris à seruis suis; diligenter obserua percussum quidèm à seruis, sed genere Moabitarum, vel Amonitarum; non à ducibus, non à populo, sed à proditoribus seruis *Iozachar* Moabita, & *Iozabath* Ammonita: qui ob hoc solum parricidium postea ab Amasia sunt interfecti. Porrò duo cum essent percussores Ioas, quid populo imputamus vniuerso? Imò populus pœnam exegit à seruis Amon, qui dolosè Regem interfecerant in domo sua. *Percussit autem populus terræ omnes, qui coniurauerant contra Regem Amon: & constituerunt sibi Regem Iosiam filium eius prò eo*.

Reg. 8. — *4. Reg. 11. 17.* — *4. Reg. 14.* — *4. Reg. 21.*

Plurima adhuc obijciuntur à Regicidis, vt quum Idumæi Regem abiecerunt Ioramum: sed isti fuerunt rebelles, & spe libertatis defecerunt: *rebellauit Edon, ne esset subditus Iudæ*. Libertas non Religio excitauit rebelles. Quale enim studium Mosaicæ Religionis esse poterat Idumæis, qui Mosaicam Religionem negligebant, & planè nesciebant; teste Hieronymo. *c. 9. Ieremiæ*; licet ipsi, Ægyptij, Ammonitæ, & Moabitæ circumciderentur. Ad *libertatem* itaque, quem sub Dauide amiserant, non ad *Religionem* proclamantes, Ioramum abiecerunt. Non enim Iudæi erant Idumæi: sed hi ab *Esau*, illi à *Iacob* descendentes, duarum nationum fuere principia. *Duæ sunt gentes* (ait Dominus ad Rebeccam) *in utero tuo, & duo populi ex uentre tuo diuidentur: populusque populum superabit, & maior seruiet minori*. Sic Moyses, *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Egyptium, quia aduena fuisti in terra eius*. Religionem porrò non fuisse causam, cur rebellarent, ex eo arguas, quia non tam Regi, quam regno se subtraxerunt.

2. Paral. 21. — *2. Reg 8* — *Gen. 25.* — *Deut. 23*

Quod si in libro *Paralipomenon* legatur etiam *Lobna* rebellasse, quæ Idumæorum non erat; sed quia Ioram Idola erexerat: respondet *Lyranus* Lobnam Idumæis conterminam inductam fuisse in societatem discordiæ, Domino permittente; qui ad puniendum *Ioramum*, Idololatras suscitauit, vt vindicaret *inimicos suos de inimicis suis*. Exempla habes in Manasse, cæterisque Regibus Idololatris, quos Ægyptiorum, Assyriorum gladio deturbauit. Pharao, Salmanasar Nabuchodonosor, in Iudæos, Turcæ in Christianos fuere carnifices, qui Deo permittente, vlti sunt scelera nostra. Non tamen Dei dices ministros, quibus ipse aduersùs populum suum iudicia commiserit. Ioramo mortuo, iusta more Regio non persoluerunt populi, nec sepelierunt in sepulchro Regum; forsan quia cum exequiæ testimonium sint vitæ præteritæ, haud poterant coram Deo mentiri, eum laudantes, qui Deum blasphemauerat.

4. Reg. 8. — IIV. *Infideles vexantes Christianos non sunt Dei ministri.* — *2. Paral. 21. 20.*

Similis huic fuit coniuratio facta non ab vni- *4. Reg. 14*

vni-

vniuerso populo Iudæ, sed à Hierosolymitanis tantùm aduersus *Amasiam* Regem Iudam, quia infeliciter bellum gessisset cum Rege *Ioa* ait Lyranus: *videntes ciues murum ciuitatis interruptum, & ciuitatem spoliatam, & filios suos ductos obsides in Samariam, occasione superbiæ eius, quia noluit desistere à bello contra Ioas, cœperunt tractare de morte eius*. More quidem barbarico, vt aduersæ fortunæ pœnam Reges luant. Sic consueuerant
Lib.27. Burgundiones Regem solio pellere, *si sub eo fortuna belli titubauerit, vel segetum copiam terra negauerit*; Ammian.Marcell.

LV. *Impietati Regia populus ne assentiat.* Prospiciant tamen populi ne ob reuerentiam Regis associentur in crimine, quia si Deus visitauerit eos in virga furoris sui; non aliena dicentur portare delicta, sed proprij facinoris culpam: vt cum Manasses polluit templum Domini; & populum vniuersum Deus flagellauit, quia Regi plauderet peccanti.

Sic intelligas Augustinum super Psalmũ 81. dicentem Christi mortem in Hebræis puniri vniuersis, quia cum tantæ multitudinis essent, vt Iudæorum Principus terribiles essent, *non fecerunt, sed conniuerunt, eumque interimi à malignis, & inuidis Iudæorum Principibus permiserunt*. Cum enim Regem haberent Cæsarem, & Iudæorum Principes, & Sacerdotes non timerent; resistere, propulsare iure poterant; sed impiè conniuerunt Sacerdotum perfidiæ, quùm pecunia corrupti *clamarunt omnes, crucifigatur*. Prin-
Matt.27. cipes enim Iudæorum *persuaserunt populis*, vt peterent Barabbam, *Iesum verò perderent*. Hic erant pares, & omnes veniebant specie
LVI. populi sub vno Cæsare. Quum verò dissidium est inter Regem, & subditos; sat istis si Regum criminibus minimè plaudant, & impijs non associentur. In Regem non audeat populus, quia forsam elegerit, nam & Antistitem Laici, vt & Patroni Parochum
Vt in c. vlt.caus. 8.q.2. eligebant, sed electum non iudicabant. *Magnopere prospiciendum* (aiebat Ambrosius ad Clerum Mediolanensem) *Iudicari namque à vobis vltra non debet semel Prælatus: sed tanto tunc subtiliter iudicandus est, quanto postmodum iudicandus non est*. Hinc Panor-
cap.4. de Cler. non resid. mitanus. *Nota quod habens potestatem conferendi, non habet potestatem destituendi etiam propter delictum*. Semel in solium sublimatus à populo, titulo Regis, vnum suspicit supra se, Deum. Quod ipsi libet, legis habet vigorem. Legem dat, non accipit: & populo inconsulto, bella mouet, fœdera sancit, hosti indulget, tributa indicit, forum aperit, legatos mittit, monetam cudit, reos damnat, innocentes absoluit.

Aliquando in scriptura inuenies Duces consuluisse populum, vt Ephron qui popu- Gene. 23
lo inconsulto non est ausus Abrahamo sepulchrum vendere, licet *in medio populi staret*; populum *suum* diceret. Sed isti, vt *Ephron* non sunt Reges, quamuis populum Dan. 9.
suum diceret; quia & *Daniel*, confiteor, aiebar, peccata mea, & *populi mei*, nec tamen Iere. 37
Rex erat. Ieremias stabat in medio populi, neque Rex erat. *Ephron* ibi vocantur & *populus*, vt hic extraneo ius daret sepulchri; ille venderet agrum. Reges prius fœdera ineunt, postea populo referunt: sic fecit *He-* Gen. 34.
mor Heuæus, cum Iacobo fœdus percussit, priusquàm populum in comitia vocaret. LVII. *Rex quandoq; obtemperat populo.*
Quod semper verum, ni timor Regis, & furor populi iura extorqueat aliena. Quandoque enim dandum rumoribus tempus vt senescant: interim Iura laxantur, vt de *Sedecia* legitur, qui principibus populi postulanti- Ier.38.
bus mortem Ieremiæ respondit: *ecce in manibus vestris est: nec enim fas est, Regem vobis quidquam negare*. Sic cum vellet librum Ier.36.
Ieremiæ comburere, multi *contradixerunt Regi, ne combureret librum*. Vrgebant Sedeciam legiones Nabuchodonosoris, vnde studens sibi aulicos conciliare, rogantibus (*dixerunt Principes Regi; rogamus vt occidatur homo*) adulando respondit, *nec enim fas est, Regem vobis quidquam negare*. Postquàm tamen Principes Ieremiam in teterrimum detrusere carcerem; Rex inconsultis Principibus in mitiorem remisit, & secretò Prophetam inuisebat.

Quod si ad supereminentiam populi in Regem, ordo sacrificiorum obijciatur antiquus, in quo ad expiationem sacerdotis *vitulus* offerebatur, vt etiam propter populum *vitulus*; porrò pro Rege *Hircus*, prò persona priuata *capra*. Hircus minor est vitulo, ergo & Rex minor populo. *Respondent* plurimi vitulum fuisse oblatum pro populo, quùm populus vniuersus, in quo & Pontifex includebatur, peccabat. Secus si non populus vniuersus, tunc enim *hircum* offerebat, non vitulum. *Leuit*.9. Tempus etiam LVIII. *Sacrificium prò Rege, & populo.* Leuit. 4.

quo

si Rex *ex omni fellonia, qua vasallus feudo priuatur, & Dominus proprietate spolietur. Alij non nisi ex magna fellonia, alij ex nulla*. Obertus de Otto lib. 2. feud. c. 27. Accedit quod si Rex alicuius tentaret pudicitiam, illicò à regno caderet, vt à feudo feudatarius. Qui tamen nec ipse cadit, nisi sententia adueniat, qua reus declaretur. *lib. 1. feud. t.* 21. Perpende tandem regna ira à Deo pendere, vt ludendo in Orbe terrarum ea transferat, & sine causa. Nil enim meum, nil tuum, sed omnia sua. *Domini est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. Psal.* 23. Quod si Deum consideres non vti Mundi Dominum creationis iure, sed vti Legislatorem, qui sine causa dominia rerum non mutat, non adhuc feudo potes æquiparare regnum: quia in illo *fellonia* culpa (vt verbo vtar Iuristarum) etiam Dominus feudi proprietate priuari potest: Quam in Deo nec fingere vales. Sacramentum itaque hoc magnum est, in quo ius Regum inquirimus. Tan-
LXIV. tum est, vt cum à Deo venerit, solus Deus possit interpretari. Si eius est interpretari, cuius est condere. Obedite vos præpositis vestris; est enim qui de manu Regum requirat duplicia. Vindicem cum habeamus Deum, cuius est ludendo, Reges deludere; cur humanam quærere vindictam? *Domini est regnum Psal.* 21. *Nos populus eius, & oues pascuæ eius. Ipse fecit nos, non ipsi nos. Psal.* 99.

Regem habemus, sed & Regem Regis licet aliquãdo nostras nolit exaudire preces, vt ad Hebreos. 1. *Reg.* 8. protestatur. *Clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis; & non exaudiet vos Dominus.* Clamabimus ergo, non iudicabimus. Clamantis gemitus seruorum est argumentum, non vox imperantium. Hic duo obseruo: clamentium questus, & ad quem clament? Si iudicare possumus Regem, ad quid clamare. Quia non iudicas, clamas ad eum, qui clamorem profitetur audire, sed exaudire recusat. Si iudicare audes cur clamas? iudicium exposcis, & iudex es. Insania est, petere quod intus habes. Si haberes non peteres, petis quod non habes ab eo qui omnia habet. Viuorum itaque, & mortuorum iudex Deus is est, cui omnes gentes plaudunt manibus. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram, Psal.* 46. Is est, *per quem Reges regnant, & principes iusta decernunt. Prouer.* 8. 15. Si per eum, non per populum, quid debent populo Reges? Procuratores Dei nõ hominũ Reges rationem Deo reddant. Si solus transfert regna mundi, 2. *Dan.* 21. vnde audet populus falcem ponere in messe aliena? sit sua sorte contentus. Synagogam Deorum non nisi Deus ingreditur.



HENRICVS LVTZELBVRGICVS OCCIDENTIS IMPER. XXXII.

LIBER TRIGESIMVS SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

1. *Vindicta dulcis.* 2. *mala; eam ira suadet.* 1.16. *Henricus Lutzelburg. Imperator veneno petitus à Sacerdote, Fugam suadet Regicidæ.* 3. *hieroglyphicum* 4. *eligitur Imperator.* 5. *declarat Cæsarem mundi Dominum.* 6. *In die Aquarum coronatur.* 7. *Argentinenses redarguit. Austriæ inhiat.* 8. *Romam petit.* 9. *tyrannos Italiæ sibi subijcit.* 11. *recusat fidelitatem iurare Papæ.* 13. *conuiuio Romanos excipit.* 14. *tributum exigit* 15. *victoriæ per Italiam.* 4. *Philippus Pulcher Rex Gallorum Imperium prensat.* 4. *Frid. Pulcher Austrius Imperium prensat.*

1 QVàm dulcis sit vindicta? ab ijs exige, qui sanguinem ebibunt humanum. Quanto tamen satius sit iniuriam sanari, quàm vlcisci, in suo hieroglyphico docet *Henricus* Lutzelburgicus, quùm veneno à Sacerdote petitus, Regicidæ fugam suasit, ne præsentia patientiam prouocaret. Vrgebat ad vindictam Ira, quæ aliquam habet voluptatem, eique dulce est, dolorem reddere, si inhumano loquamur idiomate. *Inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum, Vltio.* ait Seneca *de Ira lib. 1. cap. 32.* Præmentem itaque passiones *Henricum* vides in symbolo; & quamuis vindictam ira suaderet, ipse rationem ad patientiam prouocabat, ne vltione fateretur dolorem. Magnus enim non est animus (ait Seneca) quem incuruat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior læsit: si imbecillior, parce illi: si potentior, tibi. *De Ira lib. 3. c. 5.* II.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

SAcratum Panem vitiauit tabe Sacerdos
Moturus vera prælia Pace Duci.
Henricus *sumens Christum Detexit iniqui*
Fraudes, & moriens talia verba dedit.
I, fuge, qui tantum potuisti attexere crimen,
Lætus enim mortis fulmina acerba fero.
Do veniam culpæ; Sensus, ne sumere pœnas
Me cogat, calce pectora nuda pede.
Historici sileant placidas sine felle Columbas,
Miror ego mitem non sine felle visum.
I.B.P.

SIccine Sacrilegus, temeras Altaria, Sacrum;
Ac vitæ Autorem, Tu facis esse, Necis?
Horrescunt, lethale nefas, reaTartara; Cælum
Pallet; Terra tremit; nutat vterque Polus.
Barbaricos Druydæ Ritus docuere profanos;
Teque Sacerdotem scripsit in Orbe, Pluto.
Proditor ille Deum; pateris Tu perdere Regem;
Ille dat Ore, Luem; Tuque Venena, Manu.
Corpus at ille rapit Domino; das perfidus Almũ,
Vt rapias Animam, Corpus in Ore, Ducis!
O Deus, ò Mirum! Vindicta parcit, & offert
Rex tutam, vt fugias tutus ab Vrbe, viam!
I, scelerate; potest Pietas si vincere Sensum;
Nunquam Maiestas Regia, victa cadit.
M.Ant.Molles Neap.S.Th.D.

ALIA

QVis credat? Sacra Hẽrico libamina mẽsæ
Vitalesq; Dapes, causa fuere necis.
Hoc opus est mystę: tamen hunc dimittis inultũ
Seque vt supplicijs subtrahat, ipse monet.
Sensum, sic ergo, calcat dum vindicis iræ,
Magnanimo sternit, propria fata pede.
Franc.Franzinus. S.Th.D.



HENRICVS LVTZELBVRGICVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXII.

IV.
Tres erant, qui prensabant imperium: Henricus Lutzelburgicus Comes: Philippus Pulcher Rex Gallorum; & Fridericus Pulcher Archidux Austriæ.

Abortus temporis iura dicas *Sal. An.*
Senescendo pubescunt, pubescendo senescunt. 1308.
Imperij Malum hoc bonum exigit.
Vt detur Pulchriori.
Sed lege Septemuirum
Ne detur Pulchro.
Tres erant proci
Comes Lutzelburgicus, Dux Austrius, Rex Gallus
Maior, minor, minimus,
Si titulum fortuna distribuat;
Quam assequutus *Henricus*, aliquando *Fridericus*, *Philippus* nunquàm.
Inter *Pulchros*, pugnax eligitur

V.
Dissidentes duo Iure Cõs. an totius Mundi Imper. Dominus esset? iudicẽ adiere Cæsarem.

Qui meum tolleret, & tuum, dicendo suum.
Si teste Christo, sunt omnia Cæsaris, vel Dei:
Non æquum dixit, & iure perdidit equum,
Qui *Mundi Dominum* negauit Imperatorem.

VI.

In die Aquarum Aquis coronatur,
Vt à Gentilibus Regibus ciuiles mores edoctus,
In præsepe veras disceret artes regnandi.
Regno suo finem timeret,
Ni meliorem Mundi agnosceret Dominum:
Qui mortalia non eripit regna, sed dat cœlestia.

VII.
Austria cum inhiaret Henricus; minante Friderico Austrio, quòd Austria fatali quinque Regibus Henricus accederet sextus, is abstinuit.

Austriæ cum inhiaret (quæ quinque Regibus fatalis fuerat)
Ne accederet sextus, abstinuit.
Romam euocatus, 1310.
Quod *Clemens* inclemens trans Alpes tulisset Capitolij caput,
Venit, sed ab Arctois Germaniæ niuibus,
Acriores intulit faces.
Italia victa, & victrix 1311.

VIII.

Palmas suas suis ipsamet vulneribus cruentabat.
Hoc pessimi habebant optimum,
Quòd mutua se se per arma plectebant.
Adfuit Rex hominum, dum aberat Sacerdos Dei,
Et Regulos, vel tyrannos coegit ad regulam,
Vt saltem, quam ab Imperij nolebant capite,

IX.

Ad pedes quærerent.
Scaligeros, *Passerinos*, *Florentinos*, *Carrarenses*
Bello paratos, solo belli terruit apparatu.

X.

Guelphos, & *Gibellinos* potuit frangere, non flectere:
Fideicommissa hæredibus, Imperij, & sacerdotij discordia,
Quam caducam Austriaca fecit religio.

XI.
Aula Dei est Palatium Lateranense.

Calendis Augusti Romam ingressus Cæsar,
A Domo Petri, Vrsa cogente, declinauit in aulam Dei. 1312.
Ecclesiæ fidelis, noluit tamen fidelitatem iurare

XII.

Seruorum seruo terrarum Dominus.

XIII.
Conuiuio Romanos excipit.

Romanam placaturus Lupam, conuiuio acceptus, conuiuio excepit;
Sed neque in vino Veritate reperta,
Nec missilia misit,

Nec

Nec Congiarium erogauit, sed exegit. XIV. *Tributum exigit.*
Tam indè celer in Florentinos mouit,
Vt idem esset, arces videre, ac vincere.
Hostium numerus numerabat Victorias. XV.
Iam exauctoratus *Robertus* Rex Siciliæ,
Exarmandus erat,
Ni larua vitæ mors aggressa victorem, XVI.
1313. Naufragium excitasset in portu,
Vt dum lætus bibit, lethum biberet,
Et Christi sanguine mergeretur. *Veneno tollitur quod ei in Sacra Hostia propinauit Sacerdos.*
Dulcem quis non dixisset mortem in aquis,
Si tali gustasset in sanguine.
Exin solùm iniusta mors dicitur,
Quòd non omnes eadem via mortales euocet.
Cæsaris haud ius dico,
Quia ipsa æquo glorietur pede,
Pulsare pauperum tabernas, Regumque turres.
Quàm suauis mors illa Cæsari fuerit,
Pende; Hanc euitare potuit, & noluit.
Quàm dulce *Henrico* sit guttur?
Nec veneno potatum, amarum quidpiam eructat.
Dumque Regicidæ fugam pandet: XVII. *Suadet Regicidæ fugam.*
Et ita morientem, atque exclamantem audio,
Benè hominem nego;
Rides homo? non irridet Deus.
Prò hostibus in morte rogantes Deus, & Cæsar
Vel humano *Christus* est loquutus idiomate,
Vel *Henricus* diuino.
Væ tibi Vindicta, quàm pauci tibi litarent:
Ni Deus raro permitteret, hostem per hostiam tollere.



Monetam auream Henrici VII. Imp. vide supra pag. 80.



Symbolum Henrici VII. Imper. vide supra pag. 80.

CATENA HISTORICA PRO HENRICO VII LVTZELBVRGICO

CAPVT SECVNDVM.

1. *Henrici 7. Imper. natalia.* 3. *eligitur Imperator* 4. *coronatur in die Epiphaniæ Aquisf. Grani.* 9. *tentat Austriam extorquere è manibus Friderici.* 5. *indignatur nomen Domini à singularibus vsurpari.* 13. *Scribit Canonicis Modoezeatibus pro corona Italica.* 14. *tentat conciliare Guelphos, & Ghibellinos.* 15. *Lombardiam subiugat.* 16. *cum Friderico Rege Aragoniæ fœdus init.* 17. *Ludouicum filium Amodei Ducis Sabaudiæ Romam præmittit.* 18. *Vrsinos habet infensos. ib. Romanos conuiuio excipit.* 19. *fidei iuramentum à Romanis exigit, & tributa.* 20. *fidei professionem facit.* 21. *iurat defensionem Pontificis & Ecclesiæ, sed fidelitatis iuramentum dare recusat.* 22. *populus Rom. dat ei ius suum.* 23. *affinitate iungitur cum Friderico Aragon. Rege Siciliæ.* 24. *obsidet Florentiam.* 25. *proscribit Robertum Regem Neapol.* 26. *petit eum excommunicari.* 27. *Hostia Sacra venenata perimitur.* 28. *finit parricidam Missam absoluere.* 29. *hortatur fugere parricidam.* 30. *epitaphium.* 31. *Symbol.*

15. *Beatrix vxor Henrici VII. Imp.* 15. *moritur.*

2. *Fridericus Austrius aspirat ad imperium.* 9. *acerba responsio in Imperatorem.* 10. *in Bauariam ducit.*

2. *Philippus Pulcher Gallorum Rex aspirat ad Imperium.*

2. *Catharina Austriacæ vxoris Henrici VII. Imper. effigies.* 27.

2. *Carolus Valesius aspirat ad Imperium.*

3. *Balduinus Treuir. Archiep. Frater Henrici VII. Imp.*

4. *Margareta Brabantiæ vxoris Henrici VII. Imper.* 15. *effigies. mors.*

4. *Ludouicus Boius Palat. ducit Mariam Lutzelburg.*

7. *Henricus Carinthius regno Hungariæ eijcitur.* 8. *ad Rudolphum Palatinum confugit.*

7. *Io. filius Henrici VII. Imper. Elisabetham ducit, cum dote regni Bohemici: effigies.*

6. *Imperator quomodo omnium Dominus.*

10. *Otto Bauarus aduersus Fridericum II. tutor filiorum fratris Stephani.* 12. *vendit iurisdictiones minoris Imperij.*

11. *Otto Austriacus Elisabetham ducit filiam Stephani Bauari.*

13. *Rudolphus Bauarus Henricum VII. comitatur in Italiam.*

13. *Leopoldus Austrius comitatur Henricum VII. in Italiam.*

15. *Veneti classem offerunt Henrico VII. Imper.*

16. *Robertus Rex Neapol. adulatur Henrico VII. Imper.*


20. *Io. Frater Roberti Regis Neapolit. in Henricum Imper. mouet.*

HENRICI VII. ORTVS.

1 EX patre *Henrico* Lutzelburgensi Comite, & matre *Beatrice* Comitissa *Hannoniæ*, nascitur *Henricus VII.* Imperator, cuius Genesis, vide in pagina sequenti.

Lotha-

Lotharius Rex Austrasiæ, & Lotharingiæ filius Imperatoris Lotharij I. ex concubina Balrada, sorore Guntheri Episcopi Colon. suscepit.



Im-

An. 1308

Imperij Occupatio.

II. *Imperij Competitores.* INterfecto *Alberto*, interregnum fuit mensium ferè VI. Principibus Germaniæ dissentientibus. *Fridericus Austrius*, qui iam Bohemiæ regnum armis vindicare, viuente *Alberto* fratre, conabatur, eo ipso è viuis sublato, ad imperij dignitatem animum adijciens, minùs iam de Bohemia laborabat. Competitotem habebat *Philippum Pulchrum* Gallorum Regem, eiusque fratrem *Carolum Vallesium*, qui iam annuente fratte, militem colligebat, vt vel inuito Pontifice, imperium extorqueret. Degebat tum Pontifex Auenione, statione Gallorum iniurijs opportuna. Attamen *Clemens*, licet Gallicæ gentis, vnde illi origo, respectu, & spe Regis sibi demerendi validè vrgeretur, mutationem hanc prospiciens fore exitiosam Italiæ, & Romanæ hieratchiæ, clam Germaniæ Principes, atque in primis *Rudolphum* Palatinum per litteras officij admonuit, vt virum tanto dignum fastigio legerent; electionem maturarent, priusquàm Rex aliquid moliretur. Quo factum, vt Principes nō Francofurti, sed Lucebutgi conuenirent, &

III. *Henricum VII.* domo *Lutzelburgicum* summæ rei destinatent, principem togę, militięque artibus præcellentem; adnitente *Balduino* eius fratre Archiep. Treuirensi, ipsis Calendis Nouembris, & anno ineunte sequenti cum honestissimo apparatu Aquas deductus, sacto Epiphaniæ die, ab *Henrico*

IV. *Nuptiæ Ludouici Boij cum Maria Lutzelb.* Colon. Regni Romanorum coronam accepit; vnà cum vxore *Margareta*. Antequàm coronaretut, affinitatem iunxit cum *Rudolpho* Boico Palatino, cuius *filio Ludouico Mariam Lutzelburgicam* filiam suam vxotem tradidit, cum dote sedecim marcarum millium. *Rudolphus* verò aliquot ad Rhenum oppida filio contribuit; quod *Ludouicus* frater, postea Imperatot, quia iniussu suo factum improbauit. an. 1309

V. *Henricus Imp. omnium rerū se Dominū credit.* Coronatum Regem ciuitatum adiere legati, inter quos *Argentinenses* proponentes, se *per Dominos suos Argentinenses* pro gratia Regis, & priuilegiorum innouatione ttansmissos: nec Spiræ nec Argentinæ ab ipso habuere tesponsum. Ascendentes autem Columbariam versùs ad Regem, edocti à quodam Secretario Regis, legationis verba mutantes, dixerunt ei. *Ciues vestri Argentinenses hoc petunt*. Annuit Rex, dicens *se ante non intellexiße, quorum fuissent nuncij, cum dominos Argentinenses nominassent*. Domini nomen à nullo vsurpari volebat, imò & ptiuatorum omnium Dominum se credebat. Cum enim ipse non procul à Bononia, cuiusdam nobilis arcem præteriret, VI.
quæstio incidit, *an ea arx etiam Imperatoris esset?* Iurisconsultorum affirmabat vnus, negabat alter, Iudicem adeunt Imperatorem, in brauium victoris equo constituto. Auditis partibus, pronunciauit Imperator *omnia Imperatoris esse*, vnde victoti datus equus. Vulgata iniquitate sententiæ lusit Vulgus: *Alter respondit æquum, sed alter tulit equum*. Potestas & imperium Cæsaris, proprietatem & dominium non destruit singulorum, potius auget, & conseruat.

IOANNES HENRICI VII. IMPER. FILIVS CORONATVR REX BOEMIAE. An. 1310.

QVietem agente *Friderico Austrio*, non propterea hostis defuit *Henrico* in regno Bohemiæ. Iam Proceres Bohemos

VII. *Eijcitur Henricus Carinthius.* tædium cœperat *Henrici Carinthiæ*, quia cum suspectos haberet, & regni dubius, pecuniam ex Cuthnæ argentarijs confectam, domum misisset: vnde palam de nouo Rege eligendo, cui nuberet *Elisabetha* altera

VIII. *VVenceslai* filia, consilia miscebant. *Henricus* id vetitus, matitum puellæ regijs nuptijs longè impatem, propterea regno alienum, obtrudere parabat. Hoc suspicata puella, à proceribus adiuta, in tutum elabitur; missis inde Boemi clam ad Cæsarem nuncijs, qui *Ioanni* eius filio regnum, & nuptias offerrent. Mox puella, quàm occultissimo potuit itinere, Spiram deducitur, vbi celebratis nuptijs *Joannes* regni insignibus à patre Cæsare acceptis, in Regem confirmatur, & cum valido Germanorum exercitu Bohemiam ingressus, Pragám noctu intromissus, omnium ordinum consensu coronatur à Moguntino Archiep. qui cum ipso aduenerat. Ioannis numismata vide supra pag. 80. *Carinthius*, qui voluntate non videbatur excessurus pro regno, cum denique Bohemorum insidiæ, perinde ac Cæsaris arma metuenda essent, ne laqueis irretiretur

Io. Numisma p. 80.

inex-

an. 1310. inextricabilibus, cum coniuge rebusque quas conuasare potuit, Bohemis relictis ad *Rudolphum Palatinum* (cui Cæsar filij custodiam commiserat) confugit; sat habens, si ex insidiosis honoribus, incolumis remearet in patriam. *Rudolphus* fortunæ memor rotantis, comiter acceptum, in Tirolim saluum reduxit, vbi quietè viuens, abiecta regni spe, Regis titulum quoad vixit, vsurpare non destitit. an. 1310

DISSIDIA INTER AVSTRIOS, & BOIOS,

IX. *Friderici acerba responsio.* Degebat in aula Cæsaris *Fridericus Austrius*, clientelas Austriæ, solemni more, Spirę, beneficij titulo professurus. Tergiuersabat Cæsar, & varijs comperendinationibus occultè negabat. *Magnorum sæpe bellorum causas* (aiebat) *has prouincias, & cum quinque iam Regibus apparerent fatales; vtile Friderico foret excedere.* Cui Fridericus, *Videndum itaque* (respondit) *ne ipse si se fratresque hæreditate exuere pergeret, sextus ad illorum numerum accedat.* Interim in aula *Friderico* morante; Duces inferioris Bauariæ Neoburgum occupant: Schardingam, rigente bruma, in quartum mensem obsident, ac demum peruniculos in arcem penetrant. Obsessi, vt hostis nec de lapidibus triumpharet, igne rectis iniecto, VVernstainium fugiunt. *Fridericus* porrò domum

X. *In Bauariā ducit.* euocatus, copias ex Austria, Stiria, & Carnis contrahit, *Conradum Salisburgiensem* belli aduocat socium, sub finem Iulij mensis, quindecim hominum millia in Bauariam ducit, omnia igne, ferro depopulando. Hinc ad Oenum propiùs mouens, *Schardingam* obsidione cingit. *Otho*, & *Stephanus* septuaginta peditum millia, mille quingentos equites ex agris contracta adducunt. Austriaci numero impares castra incendunt, & relicta Schardinga, domum abeunt.

an. 1311 Anno sequenti (qui xi. huius seculi) *Stephanus*

XI. moritur *Othonis* frater, quinque liberorum superstitum parens, *Henrici*, *Othonis*, *Beatricis*, *Elisabethæ*, & *Agnetis*, quos omnes adhuc impuberes *Othoni Stephanus* commendauerat. *Obitus Stephani Bauari.* Vocatis itaque Patauium comitijs, venere *Rudolphus Palatinus* cum *Ludouico* fratre, *Conradus Salisburgicus*, *Bernardus Patauinus*, *Henricus Carinthius*, Ottemburgici, & alij. Ibi disceptatis omnibus controuersijs, captiui redduntur. *Elisabetha* Stephani filia *Othoni Austriaco* despondetur, & sequestri *Elisabetha* Alberti Cæsaris vidua, pax affinitate firmatur. *Pax cum Friderico Austrio.*

XII. Pacata domi Bauaria, aduersus Hungaros parabat *Otho* vindictam, acceptæ memor iniuriæ, Ære porrò alieno grauatus, vectigalibus oppignoratis, non habens vndè militem legeret, cogitat pecuniam contrahere venditione *Iurisdictionis minoris imperij*, & *iurium nobiliorum oppidorum*, quæ hactenus manserant penès principatum. *Otho vendit iurisdictionē minoris Imperij.* Oppida itaque opulentioribus è nobilitate permittit: Episcopis & Ciuitatibus pacto pretio, indulget *vt in minoribus causis iudices, & arbitros eligant; & multatitium in rem suam vertant, vniuersas actiones, præter homicidij, furti, rerumque capitalium* (ius gladij dicunt) *exercere.* Grandem ex hoc mercimonio conflauit *Otho* pecuniam, quam ex sudoribus pauperum expilarunt magnates. Sed Deo vindice, *Othonem*, dum in Hungariam militem congregat, mors oppressit.

CAESARIS EXPEDITIO ITALICA. Sal. An. 1311.

XIII. Interim Cæsar, rogante Rom. Pontifice, Italicam suscipit expeditionem. Comites illi ex Germanis Principibus primi se iungunt *Rudolphus Bauarus*, & *Leopoldus Austriacus*. Votum Pontificis erat *Guelphos* cum *Ghibellinis* componere, quorum factionibus æstuabat Italia. Cæsaris autem, coronam suscipere. Mediolanum, inuitis Guelphis, ingressus, regni Longobardici coronam suscepit. Inde pro suscipienda corona Modoetiæ, iuxta morem priscum, Canonicis Modoezensibus sequentia mandauit, quamuis Mediolani tantumodò non Modoetiæ fuerit postea coronatus.

Henricus Dei gratia Rom. Rex semper Augustus, & Rex Francorum, & Longobardorum, Canonicis Modoezensibus, deuotis suis ac dilectis gratiam suam, & omne bonum. Committimus vobis, & mandamus, vt Archipresbyter cum tribus alijs senioribus, qui sciunt, quid opus sit ad collationem coronæ ferreæ, sine vlla dilatione veniant ad nos, portantes omnia priuilegia, & instrumenta, quæ apud vos Modoetiæ asseruantur. Et super his dabitis fidem

an. 1311. *fidem Alardo de Rolaes, & Clecumpio de Gemule nostris Capitaneis, qui has præsentes vobis apportant. Datum Mediolani anno secundo Regni nostri.*

XIV. *Henricus VII. Imper. tentat conciliare Guelphos, & Gibellinos.* Multa postea tentauit pro conciliandis factionibus, sed irrito labore, quia implacabili odio, seruitutem odiosam libertati præponeret; & cædibus ac direptionibus exhaustam mallent Rempublicam, quàm humilem familiam. Inuasit itaque Vicentiam, Patauinos subegit, ære mulctauit, Cremonam deditione captam mœnibus nudauit: Brixiam obsidione laboriosa deuicit, in qua *VValramus* frater Cæsaris sagitta ictus occu-

XV. buit. Interim oratores, quos ad Venetos miserat, redeuntes, paratam esse eam Rempublicam nauigiũ, quod postulasset præbere, nunciarunt. Hæc ridentis fortunæ principia *Margaretæ* Reginæ obitus vertit in luctum. Vxor dicitur fuisse secunda *Henrici VII.* Imper. Matrona fecunda, nobilissima, ac pijssima. Sacerdotes munificentia fouit egenos aluit, & humilis Mediolani, in cœna Domini, manu sua pedes eorum lauit, ac vestimenta distribuit. Apud Ianuenses mortua, in æde fratrum Minorum sepulta est. Vide effigiem pag. 80. Lombardiæ postea

Effigiem Margar. vide pag. 80.

XVI. Anspurgensi Comite in Vicarium dato, vnà cum *Amodeo* Duce Sabaudiæ Genuam se contulit. Eò venere *Richardus Gambatosa*, Roberti Neapolitani Regis orator, qui vt assentatione orabat, ei pari simulatione responsum. Certum enim habebat Henricus *Robertum* impedimenta omnia coronationi pro viribus præparasse. Adierunt etiam *Friderici Aragonis* Siciliæ Regis nuncij, amicitiam, & fœdera aduersus Regem *Robertum* offerentes; quibus benignè respondens, quum Romæ foret, se initurum spopon-

XVII. dit. Præmisso itaque *Ludouico* Sabaudiensi *Amodei* filio Romam cum quingentis equitibus, quòd in *Stephani Columnæ* ędibus Lateranensi palatio contiguis hospitaretur, Vrsinam gentem ad inuidiam noui Imperatoris concitauit. Interim per oram Hetruriæ Viterbium veniens Imperator, clerum, & maximam populi Romani partem obuiam habuit. Per portam *Nolarum* Romam ingressus (nam *portam Petri* occupauerant Vrsi-

XVIII. ni) perductus est in Lateranense Palatium. Vbi omnes primores Vrbis, & honesto natos loco inferiores, ad conuiuium inuitauit: vt qui malo in eum essent animo notaren- an. 1312. tur. Venerunt itaque inter multos *Stephanus Columna, Nicolaus Miletus, Hannibal, Hanibaldus, Iohannes Sabellus, Theobaldus de Campo Flore*, soli defuerunt Vrsini, qui *Henrico* adueniente, infimam Vrbis partem ædibus suis contiguam repagulis communierant; veriti, ne æmuli eos incautos inuaderent, quàm quod motus intentare quæsierint. Finito epulo, Imperator verba fecit. *Non voluntate, sed pacto, & rogante Pontifice Romam venisse. Tres Cardinales, qui electionis meæ confirmationi adfuere Auenione, & pro coronatione huc à Pontifice conspiciuntur legati, testes profero. Longi itineris laborem, sumptuum pondus alleuiat amor populi, & dilectissimæ vrbis inuisendæ flagrantissimum studium, vbi velut cum filijs pater dies agerem iucundos inter ludos, & epulas. Fefellit tamen opinio: hostes & aduersarios offendens, quos nedum verbo, minus vnquam facto læserim. Inimici mei si sunt domestici, temperare haud possum, nec debeo, qui insidias caueam, & iniurias repellam.* Hæc cum dixisset ad suos, qui circumstabant, conuersus, adigendos esse fidelitatis Sacramento omnes, qui aderant Romanos, poscendos obsides, in custodiam recipiendas Vrbis arces, demum tenendos omnes imperauit. Iurarunt omnes pro se, & consanguineis, præter *Theobaldum de Campo Floræ*, qui solos excepit *Vrsinos*. In quos multa simulatè probra iecit, vt liberè permitteretur abire. In aperta tandem ciuitas est commota dissidia, quum Imperator à populo tributa poposceit, solito semper antea, vel vicatim, vel in multitudinem dispersas pecunias accipere. Furentem populum fouebat *Iohannes* Roberti Regis frater, & turmas iam in Vrbem *Henrico* rebellem duxerat. Quare Cardinalibus facile assensus coronam (cuius in Basilica Apostoli Petri de more accipiendæ spes omnino sublata erat) in Laterano accepit; priùs de more Christianæ fidei confessione peracta, in formam sequentem.

XIX. (margin)

Tributũ exigit à Romanis.

XX. (margin)

HENRICVS *Septimus diuina fauente clementia Romanorum Imperator, & semper Augustus, ad perpetuam rei memoriam.*

1. Reddentes honorem, & debitam reuerentiam summæ, & indiuiduæ Trinitati, cuius prouidentia, & miseratione benigna impe-

rij diadema suscepimus, & gubernamus imperium; in qua spem nostram præcipuè ponimus, credentes firmiter, simpliciter profitemur Patrem ingenitum, & Filium ex Patre genitum, & Spiritum Sanctum ex vtroque procedentem, vnam Deitatem sub pari maiestate, & sub pia Trinitate secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamque doctrinam esse colendam. Hæc est fides recta, quæ contra omnes præmunitur errores, quam diuinum Apostolum Petrum, & Paulum doctorem gentium nouimus tradidisse: qua diuæ memoriæ Constantinus noster inclytus prædecessor Romanum muniuit, & auxit imperium. Cunctos populos nostro subiectos Imperio, nostræ ditioni subiectos, in ista volumus religione versari, & præsenti in perpetuum lege valitura, quam sanximus, omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus & bannimus, confirmantes prædecessorum nostrorum constitutiones, & pœnas, quæ aduersus Hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptores, sine quibus diutius manere non possent, hactenus sunt statutæ: mandantes insuper cunctis secularibus Potestatibus, vt constitutiones Romanorum Pontificum contra prædictos, vel in causa fidei, editas obseruent, & faciant ab alijs immobiliter obseruari.

2. Sanctam Romanam Ecclesiam sicut matrem, & ipsius Sedis Antistitem tanquam Christi Vicarium, & B. Petri successorem veneramur, & præcipimus cunctis ex debito venerari. Ipsam enim Romanam Ecclesiam in spiritualibus diuinæ prouidentiæ altitudo vniuersis dispositione incõmutabili Ecclesijs prætulit, & totius orbis aurea præsentia insigniuit, & ideo hanc esse omnium caput, vt Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & serenissimi nostri testantur affectus. Quapropter Romanum Pontificem, & ipsius Ecclesiæ Cardinales, qui sunt eius corporis pars præclara, ab omni iniuria cupimus esse alienos, mandantes præsenti nostra constitutione, vt seculares quæcumque Potestates constitutiones tam Pontificum, quàm Principum Romanorum contra sacrilegos editas obseruent, & faciant arctius ab alijs obseruari.

Et hanc itaque nostræ Serenitatis constitutionem in Corpore Iuris sub debita rubrica volumus inseri, & mandamus. Datum in Vrbe, An. 1312 *1312.*

XXI. *Neget fidelitatis iuramentum præstare Papa.* Iussus etiam à Cardinalibus fidelitatis iuramentum præstare Pontifici, tenuit, dicens: *Noui exempli res est, nec vsurpata antecessorum meorum temporibus, Principem Principum, ac orbis terrarum Dominum, seruo seruorum fidelitatis iuramento obstringi.* Iurauit porrò defensionem Romanæ Ecclesiæ sequentibus verbis.

Ego Henricus Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator, promitto, spondeo, polliceor, atque euro coram Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem, & defensorem fore Summi Pontificis, & huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus suis, custodiendo, & conseruando possessiones, honores, & iura eius, quantum diuino suffultus fuero adiutorio, secundum scire, & posse meum recta, & pura fide, sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Nomine Pontificis à Cardinalibus coronato *Henrico*, Senatus, Populusque Romanus omne ius suum contulit conscriptis verbis:

XXII. *Ius Regium illi datum.* EGO CORONATVM CORONA, MVNDIQVE CAPVT, CONFIRMO PRINCIPI POTESTATEM, SIBIQVE SVBICIO CIVITATES, GENTIVMQVE NATIONES. TVEANTVR AQVILAE GLORIAM MEAM. Hæc Roma.

Vrbe profectò Cæsare, Cardinales *Iohannem* quoque *Roberti* Regis fratrem cum copijs suis Vrbem purgare iusserunt; & pax Vrbi reddita est. Tibure postea agentem XXIII. *Henricum* nuncij adierunt *Friderici* Aragonij Siciliæ Regis, cum quibus promissa apud Genuam fœdera affinitate comprobauit, filia, *Friderici* filio desponsata. Inde iuncta Sicula cum Pisana classe vim intulit Calabris. *Obsidet Florẽtiã.* *Henricus* autem per Sabinorum, Vmbrorum, & Perusinorum fines profectus, Arni occupatis oppidis, Florentiam obsedit, nec vacuus recessisset, ni obitus intercessisset. XXIV. Nullam enim Florentini, nisi in *Roberto* Apuliæ, & Campaniæ Rege spem defensionis habebant, quem Imperator ad dicendam causam citauit, atque imperium recusantem prolata sententia regno spoliauit.

SENTENTIA HENRICI VII. IMPER.

Proscriptionis & Banni, in Robertum Siciliæ Regem Imperio rebellem.

HENRICVS Dei gratia Romanorũ Imperator & Semper Augustus, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorũ.

1. *Deus iudex iustus, fortis & longanimis, omnes secundum merita sua iudicans, superbientem illum Spiritum, qui ante suum thronum demens se gloria & honore conspiciens, sedem suam ad Aquilonem, ut esset similis Altissimo, ponere cogitauit; de altis cœlorum fastibus ad inferiora terræ in cõprobria sempiterna demergens, ipsum omni gratia & spe minimè condignè priuando duxit æternalibus ultionibus exponendum. Sic ad præsens iustitiam respiciat, & æquitatem videat ipse cœlestium, terrestriũ, & infernorum Dominus, qui nouit occulta cordium, & apud cuius tribunal omnis cessat calumnia, & veritas nullius nequitiæ tenebris obscuratur. Deponat & nunc de sede potentem, qui tentauit & acerbauit ipsum, & concitauit eum in iram: perdat eum, qui malè quærit, & det illi, qui obstinato animo uiam innocentiæ refugit & gloriatur in malitia, comprobrium sempiternum: faciat in eum iudicium conscriptum, & sic omnibus sanctis eius.*

2. *Nequitiæ siquidem, & proditionis alumnus Robertus, natus claræ memoriæ Caroli Secundi, qui se Siciliæ Regem intitulat, & Imperij Romani adipe impinguatus, incrassatns, & dilatatus contra illud (cui etiam causa feudorũ multorum & bonorum ipsius Imperij, quæ hactenus tenuit, & quæ iniustè principaliter occupat, humiliter obedire debet) uitijs & iniquitatibus eminens, odia, dolos & fraudes pro fidelitate retribuens, ex detestando ingratitudinis uitio calcaneum rebellionis resumpsit erigere: & contra stimulum indurata nequitia recalcitrare non cessat, nefandaq; superbia tumefactus sedem ab Aquilone, hoc est, ab opposito Maiestatis Cæsareæ, quam eius Dominam, & Magistram reuereri, & honorare tenetur, supponere satagens, ipsam conuitijs & contumelijs prouocauit hactenus, et continuo animo proteruo continuè prouocare præsumit.*

3. *Ipse namque inter cæteros suæ malignitatis conatus, licet antequàm Imperialis coronationis causa proficisceremur ad Vrbem, per suas litteras speciales pluries culmini nostro scripsisset, quod ipse (sicut ex causa prædicta debebat, et nos, qui nec opere, nec uerbo grauauimus, nec grauare sed potius gratiosè tractare intendebamus, eundem ex prauitate conscientiæ credebamus) ad exhibendam nobis debitam reuerentiam et honorẽ, tam in dicta coronatione, quàm alibi intendebat, et ad id pro uiribus se parabat: confederationes tamen, conspirationes, uniones, et ligas in offensam, et impedimentum processus Cæsarei, unà cum Florentinis, Lucanis, Senensibus, & alijs nostri Romani Imperij subditis per Lombardiam, & ut eos in Rebellionis præcipitium excitatos foueat, omne contrarium (sicut expressè dignoscitur) per se suosque procuratores, nuntios & ambasiatores, in nostræ Maiestatis iniuriam, & offensam & impedimentum processus Cæsarei facere procurauit, & fecit. Tractauit etiam, quòd ciuitas Cremonæ, Parmæ, & Rhegij, quæ sub nostra obedientia consistebant, contra nos, & Imperium rebellarent, inducendo tam communia ipsarum ciuitatum, quam subditos nostros prædictos ad rebellionem huiusmodi, & eis ad id pollicendo auxilium, consilium, & fauorem; & nihilominus dicti Roberti fulti fauoribus, suæque nequitiæ conscij & ministri ciuitatis Astensis, & castra Valentiæ, Casalis sancti Euasij, & alias nonnullas ciuitates, & castra prouinciæ Lombardiæ, quæ mandata nostra iurauerant, & nos in eorum Dominum recognouerant, & Officiales nostros receperant & habebant, Officialibus ipsis violenter eiectis, nequiter occupatis, & occupatas & occupata pro Roberto detinent suprascripti. Denique Robertus Iohannem fratrem, & stipendiarios Romam videlicet ea intentione transmisit, ut Vrbe (si posset) suæ proditioni dolose subiecta vel saltem turbata, in eius periculo nefandæ seditionis immissio dictæ coronationis impediret solemnia, prout dicti Iohannis & stipendiariorum in ingressu nostro in Vrbem prædictam, quamdiu in partibus illis morum traximus, efficaciter operum argumento probantes, vnà cum copiosa subditorum dictorum multitudine, quæ per instigationem dicti Roberti submissi sibi subsidij, & defensionis fiducia cum armis & equis ad opponendum se nobis & exercendum per excogitatam malitiam simul cum Iohanne stipendiarijsque prædictis conuenit, ibidem contra nos, & gentes nostras hostiliter posuerunt insidias, fecerunt insultus, spoliationes, violentias, & homicidia perpetraue-*

traue-

trauerunt, viasque publicas & loca, per quæ ad tenendum ab basilicam Principis Apostolorum de Vrbe omnibus religionem profitentibus Christianam liber aditus patere debeat, bellicosis apparatibus claudere nobis ac gentibus nostris ad basilicam ipsam, ne ipsa coronatio celebrari valeret, accessum totis viribus prohibere, ac aliàs omnimodo quo poterat Maiestatem nostram offendere procurarunt, aliasque præfatus Robertus committebat, & erat in situ contra nos committendi omnia, quæ ad nostri Imperij damnum tenderent, & ad ea modis omnibus quibus poterat nitebatur.

4. *Hæc siquidem crescente clamore notorio, et in pluribus rerum experientia edocente, licet ipsa tam publica, et notoria essent, quod nulla possent tergiuersatione celari, et nos, qui subiecti non sumus, contra dictum Robertum propter præmissa eo irrequisito potuissemus procedere tamen ex Augusta clementia (quæ libentius emendat in subditis pœnas quàm puniat; nec exercet ferrum in eos, quos sanare potest mulcebris lenitas medicinæ) post secessum nostrum ab Vrbe prædicta, super dicto notorio, et prædictis per ipsum Robertum contra nostram Maiestatem commissis ad inquisitionem descendimus, quam vt fidei vel amoris scintilla (si qua forsitan remansit in eo) ipsius viscera tangeret, et ipse interim spatium ad corredeundi haberet, vsque in præsens deliberationibus rationis duximus protrahendam, Robertum prædictum citari legitimè fecimus, vt comparere curaret, suam (si posset) innocentiam ostensurus. Verum idem Robertus in sua proteruia perseuerans, interminis sibi ad hoc præfixis, vel eorum aliquo vel per se, vel per alium comparere contumaciter non curauit. Quare nos super præmissis in ipsius Roberti contumacia fide dignis et sufficientibus receptis testibus, et eorum dictis in scriptis redactis, et per nos solenniter publicatis, & de mandato nostro à Proceribus nostri Palatij cum diligentia recensitis, & facta nobis de ipsis, & per ipsos relatione fideli, per ea, quæ probata fuerunt, prædicta omnia, & singula publica & notoria esse, in scriptis interloquendo pronunciauimus, & declarauimus exigente iustitia, & postmodum eum requiri, et citari sufficienter, & peremptoriè fecimus, vt certo termino iam elapso coram nobis (vbicunque essemus) ad hanc nostram sententiam audiendam comparere curaret. Quod ipse præsciens & diffisus iniurijs, & offensis in sua obstinatione & contumacia, & fraudibus perniciosis induratus, facere prætermisit.*

5. *Quia igitur dimissis omnibus & singulis (prout apertius in inquisitione continetur) specialiter per dictos testes plenariè nobis constat, nos prædictos & alios prædicti Roberti excessus nefarios & opera detestanda maturo, & iusto librantes examine, ac illud notissimum nullatenus omittentes, quod ipse Robertus, dum in Vrbe prædicta causa prædictæ coronationis essemus, dilectissimi nostri Pisani (qui inter cæteros nostros subditos fidelitatis ac opinionis sinceritate, galeas & gentes ad nostrum seruitium, & honorem Romam mitteret) galeas ipsas in nostræ Maiestatis iniuriam inuadi, spoliari, & gentes prædictas capi & incarcerari, & in carcere detineri mãdauit & fecit, & nihilominus in huiusmodi continuationis terminis perseuerando, mala malis addendo, & peiora continuè committendo, dum contra rebelles nostros direximus signa Cæsarea, rebellibus ipsis (sicut publicum & notorium est, & facti euidentia docebat & docet) misit plures armatorum in subsidium, vt eos diutius in eorum rebellionis erroribus confoueret, & attendens quòd dum ipse potuit pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem expectare, á nostra beneuolentia & dilectione, quam sibi ex animi sinceritate parauerамus, obtinere noluit, bella quæsiuit, iniquitates exercuit, & pro posse curauit, sicut etiam procurare non cessat, in Imperij populos seminare zizanias, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, nutrire schismata, & fouere discordias, & sine intermissione in actu committendi continuandiq; quod potest, contra Imperium nostrum non omisit, non solùm in nostri Imperij contemptum Reique publicæ detrimentum, sed etiam in perturbationem prosperitatis Ecclesiasticæ, quæ ad Imperij statum plurimum dignoscitur tendere, & in retardationem negotij Terræ Sanctæ, ad quod (teste Deo, qui omnia nouit) totis cordibus, & affectibus anhelamus, & videntes apertè, quod dictus Robertus irreuocabiliter in signum erroris prolapsus, & obstinatus in dolis, viam veritatis expiauit omninò, & tanquam aspis surda non obtinens auditum, nec mandata nostra, nec legis pœnam, in quam suis culpis (nam omne, quod est ex Deo, vincit mundum; & hæc est victoria, qua vincit mundũ fides nostra, omni cura custodias cor tuum: nam ab ipso vita procedit, Prou. c. 11.) incidisse ac incidere noscitur, nec etiã Impe-*

SENTENTIA HENRICI VII. IMPER.

Proſcriptionis & Banni, in Robertum Siciliæ Regem Imperio rebellem.

HENRICVS Dei gratia Romanorũ Imperator & Semper-Auguſtus, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorũ.

1. Deus iudex iuſtus, fortis & longanimis, omnes ſecundum merita ſua iudicans, ſuperbientem illum Spiritum, qui ante ſuum thronum demens ſe gloria & honore conſpiciens, ſedem ſuam ad Aquilonem, ut eſſet ſimilis Altiſſimo, ponere cogitauit; de altis cœlorum faſtibus ad inferiora terræ in cõprobria ſempiterna demergens, ipſum omni gratia & ſpe minimè condignè priuando duxit æternalibus ultionibus exponendum. Sic ad præſens iuſtitiam reſpiciat, & æquitatem videat ipſe cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum Dominus, qui nouit occulta cordium, & apud cuius tribunal omnis ceſſat calumnia, & veritas nullius nequitiæ tenebris obſcuratur. Deponat & nunc de ſede potentem, qui tentauit & acerbauit ipſum, & concitauit eum in iram: perdat eum, qui malè quærit, & det illi, qui obſtinato animo uiam innocentiæ refugit & gloriatur in malitia, comprobrium ſempiternum: faciat in eum iudicium conſcriptum, & ſic omnibus ſanctis eius.

2. Nequitiæ ſiquidem, & proditionis alumnus Robertus, natus claræ memoriæ Caroli Secundi, qui ſe Siciliæ Regem intitulat, & Imperij Romani adipe impinguatus, incraſſatus, & dilatatus contra illud (cui etiam cauſa feudorũ multorum & bonorum ipſius Imperij, quæ hactenus tenuit, & quæ iniuſtè principaliter occupat, humiliter obedire debet) uitijs & iniquitatibus eminens, odia, dolos & fraudes pro fidelitate retribuens, ex deteſtando ingratitudinis uitio calcaneum rebellionis reſumpſit erigere: & contra ſtimulum indurata nequitia recalcitrare non ceſſat, nefandaq; ſuperbia tumefactus ſedem ab Aquilone, hoc eſt, ab oppoſito Maieſtatis Cæſareæ, quam eius Dominam, & Magiſtram uereri, & honorare tenetur, ſupponere ſatagens, ipſam conuitijs & contumelijs prouocauit hactenus, et continuo animo proteruo continuè prouocare præſumit.

3. Ipſe namque inter ceteros ſuæ malignitatis conatus, licet antequàm Imperialis coronationis cauſa proficiſceremur ad Vrbem, per ſuas litteras ſpeciales pluries culmini noſtro ſcripſiſſet, quod ipſe (ſicut ex cauſa prædicta debebat, et nos, qui nec opere, nec uerbo grauauimus, nec grauare ſed potiùs gratioſè tractare intendebamus, eundem ex prauitate conſcientiæ credebamus) ad exhibendam nobis debitam reuerentiam et honorẽ, tam in dicta coronatione, quàm alibi intendebat, et ad id pro uiribus ſe parabat: confederationes tamen, conſpirationes, uniones, et ligas in offenſam, et impedimentum proceſſus Cæſarei, unà cum Florentinis, Lucanis, Senenſibus, & alijs noſtri Romani Imperij ſubditis per Lombardiam, & vt eos in Rebellionis præcipitium excitatos foueat, omne contrarium (ſicut expreſsè dignoſcitur) per ſe ſuoſque procuratores, nuntios & ambaſiatores, in noſtræ Maieſtatis iniuriam, & offenſam & impedimentum proceſſus Cæſarei facere procurauit, & fecit. Tractauit etiam, quòd ciuitas Cremonæ, Parmæ, & Rhegij, quæ ſub noſtra obedientia conſiſtebant, contra nos, & Imperium rebellarent, inducendo tam communia ipſarum ciuitatum, quam ſubditos noſtros prædictos ad rebellionem huiuſmodi, & eis ad id pollicendo auxilium, conſilium, & fauorem; & nihilominus dicti Roberti fulti fauoribus, ſuæque nequitiæ conſcij & miniſtri ciuitatis Aſtenſis, & caſtra Valentiæ, Caſalis ſancti Euaſij, & alias nonnullas ciuitates, & caſtra prouinciæ Lombardiæ, quæ mandata noſtra iurauerant, & nos in eorum Dominum recognouerant, & Officiales noſtros receperant & habebant, Officialibus ipſis violenter eiectis, nequiter occupatis, & occupatas & occupata pro Roberto detinent ſuprascripti. Denique Robertus Iohannem fratrem, & ſtipendiarios Romam videlicet ea intentione tranſmiſit, vt Vrbe (ſi poſſet) ſuæ proditioni doloſe ſubiecta vel ſaltem turbata, in eius periculo nefandæ ſeditionis immiſſio dictæ coronationis impediret ſolemnia, prout dicti Johannis & ſtipendiariorum in ingreſſu noſtro in Vrbem prædictam, quamdiu in partibus illis morum traximus, efficaciter operum argumento probantes, vna cum copioſa ſubditorum dictorum multitudine, quæ per inſtigationem dicti Roberti ſubmiſſi ſibi ſubſidij, & defenſionis fiducia cum armis & equis ad opponendum ſe nobis & exercendum per excogitatam malitiam ſimul cum Iohanne ſtipendiarijſque prædictis conuenit, ibidem contra nos, & gentes noſtras hoſtiliter poſuerunt inſidias, fecerunt inſultus, ſpoliationes, violentias, & homicidia perpe-

traue-

trauerunt, viasque publicas & loca, per quæ ad tenendum ab basilicam Principis Apostolorum de Vrbe omnibus religionem profitẽtibus Christianam liber aditus patere debeat, bellicosis apparatibus claudere nobis ac gentibus nostris ad basilicam ipsam, ne ipsa coronatio celebrari valeret, accessum totis viribus prohibere, ac aliàs omnimodo quo poterat Maiestatem nostram offendere procurarunt, aliasque præfatus Robertus committebat, & erat in situ contra nos committendi omnia, quæ ad nostri Imperij damnum tenderent, & ad ea modis omnibus quibus poterat nitebatur.

4. *Hæc siquidem crescente clamore notorio, et in pluribus rerum experientia edocente, licet ipsa tam publica, et notoria essent, quod nulla possent tergiuersatione celari, et nos, qui subiecti non sumus, contra dictum Robertum propter præmissa eo irrequisito potuissemus procedere tamen ex Augusta clementia (quæ libentius emendat in subditis pœnas quàm puniat; nec exercet ferrum in eos, quos sanare potest mulcebris lenitas medicinæ) post secessum nostrum ab Vrbe prædicta, super dicto notorio, et prædictis per ipsum Robertum contra nostram Maiestatem commissis ad inquisitionem descendimus, quam vt fidei vel amoris scintilla (si qua forsitan remansit in eo) ipsius viscera tangeret, et ipse interim spatium ad corredeundi haberet, vsque in præsens deliberationibus rationis duximus protrahendam, Robertum prædictum citari legitimè fecimus, vt comparere curaret, suam (si posset) innocentiam ostensurus. Verum idem Robertus in sua proteruia perseuerans, interminis sibi ad hoc præfixis, vel eorum aliquo vel per se, vel per alium comparere contumaciter non curauit. Quare nos super præmissis in ipsius Roberti contumacia fide dignis et sufficientibus receptis testibus, et eorum dictis in scriptis redactis, et per nos solenniter publicatis, & de mandato nostro à Proceribus nostri Palatij cum diligentia recensitis, & facta nobis de ipsis, & per ipsos relatione fideli, per ea, quæ probata fuerunt, prædicta omnia, & singula publica & notoria esse, in scriptis interloquendo pronunciauimus, & declarauimus exigente iustitia, & postmodùm eum requiri, et citari sufficienter, & peremptoriè fecimus, vt certò termino iam elapso coram nobis (vbicunque essemus) ad hanc nostram sententiam audiendam comparere curaret. Quod ipse præscius & diffisus iniurijs, & offensis in sua obstinatione & contumacia, & fraudibus perniciosis induratus, facere prætermisit.*

5. *Quia igitur dimissis omnibus & singulis (prout apertius in inquisitione continetur) specialiter per dictos testes plenariè nobis constat, nos prædictos & alios prædicti Roberti excessus nefarios & opera detestanda maturo, & iusto librantes examine, ac illud notissimum nullatenus omittentes, quod ipse Robertus, dum in Vrbe prædicta causa prædictæ coronationis essemus, dilectissimi nostri Pisani (qui inter cæteros nostros subditos fidelitatis ac opinionis sinceritate, galeas & gentes ad nostrum seruitium, & honorem Romam mitteret) galeas ipsas in nostræ Maiestatis iniuriam inuadi, spoliari, & gentes prædictas capi & incarcerari, & in carcere detineri mãdauit & fecit, & nihilominus in huiusmodi continuationis terminis perseuerando, mala malis addendo, & peiora continuè committendo, dum contra rebelles nostros direximus signa Cæsarea, rebellibus ipsis (sicut publicum & notorium est, & facti euidentia docebat & docet) misit plures armatorum in subsidium, vt eos diutius in eorum rebellionis erroribus confoueret, & attendens quòd dum ipse potuit pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem expectare, á nostra beneuolentia & dilectione, quam sibi ex animi sinceritate parauerамus, obtinere noluit, bella quæsiuit, iniquitates exercuit, & pro posse curauit, sicut etiam procurare non cessat, in Imperij populos seminare zizanias, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, nutrire schismata, & fouere discordias, & sine intermissione in actu committendi continuandiq; quod potest, contra Imperium nostrum non omisit, non solùm in nostri Imperij contemptum Reique publicæ detrimentum, sed etiam in perturbationem prosperitatis Ecclesiasticæ, quæ ad Imperij statum plurimùm dignoscitur tendere, & in retardationem negotij Terræ Sanctæ, ad quod (teste Deo, qui omnia nouit) totis cordibus, & affectibus anhelamus, & videntes apertè, quod dictus Robertus irreuocabiliter in signum erroris prolapsus, & obstinatus in dolis, viam veritatis expiauit omninò, & tanquam aspis surda non obtinens auditum, nec mandata nostra, nec legis pœnam, in quam suis culpis (nam omne, quod est ex Deo, vincit mundum; & hæc est victoria, qua vincit mundũ fides nostra,* omni cura custodias cor tuum: nam ab ipso vita procedit, *Prou. c. 11.) incidisse ac incidere noscitur, nec etiã*

Impe-

Imperatoriæ plenitudinem potestatis vereretur; sed quotidie ceruicis durioris efficitur: & quantum ipsum ad pœnitudinem expectamus, tanto maiorem assumit audaciam malignandi; considerantes etiam, quod ipse Robertus de Imperij crapulatus pinguedine dilatatur, & ex illicitis sibi laxatis habenis furit, & nobis pro obedientia rebellionem, & pro fidelitatis debito iniurias refert nosque ac quoscumque fideles Imperij nobis obedientes pro posse impugnare conatur, eiusque pœnas non in ædificationem sed in destructionem, non ad fructum, & iuuamen vt haberet, sed ad pestem esse dignoscitur: & volentes præmissis iniurijs, & ipsius fraudibus obuiare, & Euangelicam sequi doctrinam, quæ nos monet, quod omnis arbor, quæ fructum non facit bonum, abscindatur, & mittatur in ignem, licet fideles Reges, & Principes in suorum dignitatis eminentiam libenter condignis honoribus, & gratiosis fauoribus prosequamur, tamen vt culpa supplicium timeat, & virtus retributionem expectet, Robertum prædictum, cuius eligimus domare superbiam, & præsumptionem erectam conterere, ipsumq; à statu suo quantumcunque sublimi deponere, eum propter præmissa Maiestatis criminis reus sit, vniuersis & singulis dignitatibus quocumque titulo comprehensis, quibus se intitulat, & decorat, auctoritatibus, honoribus, libertatibus, immunitatibus, & priuilegijs, Prouincijs, Comitatibus, ciuitatibus, castris, terris, villis, & alijs feudis, vasallis, bonis, rebus, iuribus, & iurisdictionibus vniuersis tam perpetuis, quam temporalibus, quos, quas, & quæ habet, tenet, & possidet, vel quasi, seu habuerunt, & possederũt hactenus eius quomodolibet ipse vel sui prædecessores, priuamus: eundem Robertum rebellem, proditorem, & hostem Imperij, dictæq; Maiestatis crimine reum, de toto prædicto Imperio exbannimus, & diffidamus: ipsum si quo tempore in nostram, & Imperij fortiam peruenerit, vita per capitis mutilationem priuandum in hisce scriptis sententialiter condemnamus.

6. *Statuentes & mandãtes, quòd nulla persona cuiuscumq; nobilitatis, excellentiæ, status, vel conditionis existat, nullaq; ciuitas, castrum, villa, vel vniuersitas eidem contra nos, & Imperium præbeat publicè, vel occultè, consilium, auxilium, vel fauorem, sub pœna centum librarum auri, pro qualibet ciuitate libras quinquaginta, pro quolibet castro, villa, Marchione, Duce, Comite, Barone, & quolibet Nobili viginti librarũ auri, & pro qualibet alia singulari persona, pro vice qualibet qua contra fecerint, committenda: quodq; cuilibet liceat impunè ciues, incolas, habitatores ciuitatum, castrorum, villarum, & quibuslibet alias singulares personas, cuiuscumq; status vel conditionis existant, quæ contra nostrum honorem obediant ei, vel darent consilium, auxilium, vel fauorem, publicè vel occultè offendere in persona, rebus, & iuris, & ipsos & ea capere, & arrestare, & retinere: inhibentes etiam, & præcipientes expressè, ne aliqui debitores ipsius Roberti de bonis, in quibus ei tenentur, in aliquo satisfaciant, vel reddere quomodolibet præsumant, vel alioquin tantundem Cameræ nostræ persoluant.*

7. *Ad hæc sine strepitu & figura iudicij cõpellantur vniuersitates & prouincias nostras, ciuitates, villas, & singulares personas cuiuscumque præeminentiæ, vel excellentiæ, etiamsi Regiæ dignitatis, vel cuiuscumque alterius dignitatis, conditionis, vel status existant, quæ ex aliquo pacto, vel promissione seu obligatione dicto Roberto, aut prædecessores sui facto, pacto vel pœna, sub qualicumq; forma comprehenso, vel comprehensi sint ratione, causa, vel titulo, & specialiter de aliquo seruitio faciendo, vel hominum armatorum aliudq; subsidium dando, per mare vel per terram, teneretur eidem Roberto, ab ipsis pacto, promissione, obligatione, & pœna apposita, vasalles quoque, & feudatarios, & omnes & singulos, qui eidem fidelitatis vinculo vel alia quacumque ratione, vel causa ad aliqua seruitia realia, vel personalia tenerentur, ab omni articulo fidelitatis, subiectionis, & obedientiæ ei vel suis hæredibus faciendis absoluimus penitus, & in totum: ita quòd nec ciuitates, castra, villæ, vniuersitates, & personæ prædictæ pacto, vel obligatione prædictorum, aut vasalli, aut feudatarij, præfati ciues, fidelitatis, subiectionis, & obedientiæ ratione, causa vel titulo sibi, vel suis hæredibus quomodolibet teneantur, Ipsas etiam contratas, ciuitates, castra, villas, feudatarios, vasallos, bona, res, iurisdictiones, seruitia, & iura, & quæcumque alia sub nostra contenta priuatione, & absolutione huiusmodi, confiscamus.*

8. *Demum omnibus & singulis Militibus, Auditoribus, Iudicibus, Iureperitis, & Notarijs, qui eiusdẽ Roberti domestici seu familiares existunt, siue alijs, qui in eius seruitio esse noscuntur, & quibuslibet alijs, districtè præcipiendo mandamus, quod ab ipsius Roberti familiaritate, cõsilijs dire-*

directione, & obsequijs quibuscumque infra duorum mensium spatium ab hodie computandum cum effectu recedant, & nunquam ad eius seruitium, vel consilium accedere publicè, vel occultè præsumant: alioqui ipsos Milites honore ac dignitate militiæ, Iudices ac Iurepe-ritos iudicandi, & assidendi omnibus & singulis priuilegijs, & immunitatibus, ac Notarios notariatus officio: eos videlicet ex dictis Militibus, Auditoribus, Iudicibus, Iureperitis, Notarijs, qui huiusmodi mandato nostro non paruerint cum effectu, exnunc prout extunc priuamus termino suprascripto, & inhabiles & infames reddimus, ita quòd elapsis mensibus supradictis ad nullos actus legitimos quocumque tempore postmodum admittantur.

9. *Huiusmodi autem priuationis, confiscationis, exbannitionis, diffidationis, condemnationis, & absolutionis sententias in his scriptis fecimus, & omnia alia singula facta, & incerta facimus existente iustitia, & bono Reipubl. requirente, ac ex certa scientia, & plenitudine potestatis, supplentes omnem defectum, si quis forsan in inquisitione prædicta, de quibuscunque processibus propterea habitis ob aliquam iuris solemnitatem omissam, esset habitus, non obstantibus aliquibus legibus, constitutionibus contrarijs, vel priuilegijs sub quacunque forma verborum concessis: etiamsi de ipsis oporteret de verbo ad verbum in præsentibus fieri mentionem, quæ contra præmissa, vel præmissorum aliquod posse quomodòlibet obijci, non opponi, quibus specialiter derogamus.*

Actum Pisis in præsentia nostrorum Principum, & Baronum, ac populi multitudine copiosa, VII. Calend. Maij, regni nostri anno quinto, Imperij verò anno primo.

XXVI. *Petit excommuni cari Robertum.* Hæc dum exequi properaret, Romano Pontifici legatos misit, vt *Robertum* percuteret anathemate. Cumque Pontifex protrahendo, iam pateret *Roberto* fauere; in Apuliam Imperator iter arripuit. *Bonconuentum* cum peruenisset incastrum, nuncium habuit, *Catharinam* Alberti Cæsaris
XXVII. filiam, quam in vxorem ducere destinauerat, Ticinum vsque venisse. Licet alij iam dicant præmortuam, & Primam vxorem: vide effigiem in *pag.* 80. Ibi propter festum, quod *Mariæ Virginis Assumptioni* dicatur, xv. Augusti, An. 1312. quiescere statuit, ieiunio ac bonis operibus indulgens, vt Sacramentum sumeret Corporis Christi. an. 1312
Sacra hostia venenata tollitur. Aberat autem forte Tridentinus Episcopus confessor eius, quem cùm Vice Cancellario Romano miserat. Vnde quidam *Iacobinus*, (vel vt alij volunt) *Bernardinus ordinis Prædicatorum*, alij *Io: de Montepolitano* dicût, subornatus à Guelphis, vel à Florentinis, qui tum coram Imperatore Missam celebrabat, venenum ei sub specie Sacramenti dedit, vertens calicem vitæ in calicem mortis. XXVIII.
Sensit mox Imperator mortem adesse, noluit tamen in sacrosancto opere impedire ministrum, quin Missam absolueret. Sacro pane, vel medicato calice peremptus fuerit? variant. Missâ peracta, remedia adhibuit, sed virtus veneni præualuit. Vnde ad sacrificium conuersus, in aurem susurrauit: XXIX. *Hortatur parricidã fugere.* *O Domine, tu mihi calicem vitæ ad mortem dedisti; statim hinc recede, ne ab amicis, & ministris nostris arreptus malo fine pereas, quin potius fuga salutem quære, pœnitentiam age, & Deum pro remissione peccati exora, quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* E vita migrauit festo S. Bartholomæi 24. August. Anno ætatis 51. mens. 1. die 7. Eiusque corpus magno suorum luctu Pisas delatum, ibique in tumba argentea sepultum, exequijs plusquàm regalibus.

Inscriptio Sepulchralis XXX.

Hoc in sarcophago Henrici olim Lucelburgensis Comitis, & post septimi huius nominis Romanorum Imperatoris, ossa continentur, quæ secundo post eius fatum anno, videlicet 1315. die Calendarum sextilis, Pisas translata summo cum honore fuere, hoc in Fano ad hanc vsque diem collocata permansere. Annus eius mortis his verbis comprehenditur.

HeInrICVs à MonaChо CæsVs. XXXI.

Symbolum Henrici VII.

Calix vitæ, Calix Mortis.

Aliud

Virgam Mercurij coronatam manus se complexæ mediam sustinent: sub lemmate, *Fide, & Consilio.* Fidem manus, consilium virga cum serpentibus designat. Fide verò subditorum, & Consilio imperantis regna firmantur. Vide supra *pag.* 80.

Monetam auream Henrici VII. Imp. vide pag. 80.

EIVS-

EIVSDEM RESCRIPTVM

Ne Ciuitatum Imperialium incolæ ad extranea iudicia pertrahantur.

HENRICVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, vniuersis hominibus vallis in Vre, fidelibus suis dilectis, gratiam suam & omne bonum, Vestris inquietudinibus obuiare, commoditatibusque prospicere fauorabiliter cupientes, dum tamen de vobis querulantibus iustitiæ debitum non negetur, vobis per præsentes concedimus gratiosè, quòd ad nullius secularis iudicis tribunal, nostræ Maiestatis consistorio duntaxat excepto, super quibuscumque causis seu negocijs, extra terminos vallis prædictæ pertrahi debeatis, dummodo coram Aduocato nostro prouinciali intra fines eiusdem vallis parati sitis stare iuri, & facere quod dictauerit ordo iuris. Datum Constantiæ, anno Domini millesimo trecentesimo octauo, III. Nonas Iunij, Indictione VII. Regni verò nostri anno primo.

EIVSDEM FORMVLA

De officio Forestarij.

NOS HENRICVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus. Ad vniuersorum Sacri Romani Imperij fidelium notitiam cupimus peruenire, quod nos officium foresti nostri in Nuremberg contulimus Ottoni Forstmeister, fideli nostro dilecto, genero prouidi viri Conradi dicti Esteler Sculteti nostri Nurembergensi, ac omnibus suis hæredibus talium feudorum capacibus; cum nonalibus suis ad ipsum ex successione progenitorum suorum hucusque deuolutis, à nobis & ab Imperio deinceps in feudum possidendum. Ita quod ipse Otto præfatus, vnà cum seruis sibi ad regimen eiusdem officij necessarijs, syluam prænotatam foueat, & in omni loco impignoret, vbi eandem syluam succisam indebitè viderit aut nociuè. Nulli etiam sine sui demonstratione pro structura aliqua syluam succidere liceat antedictam; nec coram aliquo Iudicum, nisi coram Butiglario nostro apud Nuremberg, qui tunc pro tempore fuerit, iustitiam obseruabit. In cuius rei testimonium hanc literam sibi fieri volumus, sigillo nostræ Maiestatis strictius roboratam. Datum in Nuremberg, quarto Idus Iulij, anno Domini MCCCIX. Regni verò nostri anno primo.

HENRICI VII. IMP. AVG. EPISTOLA

De Coronatione Romana.

HENRICVS Dei gratia Romanorum Imperator Semper-Augustus, venerabili Abbati VValdensi, Cisterciensis Ordinis, deuoto suo ac dilecto, gratiam suam, & omne bonum.

1. Magnus Dominus, & laudabilis valde, in excelso Diuinitatis suæ solio residēs, Imperium suum (quod pro meritis eius inter nationes diuersas, quasi cum gentibus à suo Creatore degentrantibus, vacillabat) transferre voluit ad Romanos, vt illic praeiret Imperialis excellentiæ thronus, vbi erat Sacerdotalis sedes, & Apostolica affutura: ita quòd in eodem loco Summi Pontificis, & Imperatoris auctoritas reniteret.

2. Nouissimis quippe temporibus, illo translato in Germanos, postquam plures Principes ad ipsum vocatos Imperium, quorum quidam ipsius Imperij assumpsere diadema, quidam non diuina cooperante clementia, per eos, ad quos spectat, in Romanorum Regem, futurum Imperatorem, ritè & concorditer electi, proposuimus ad Vrbem pro coronationis nostræ suscipiendis solennijs proficisci. Ac sanctissimum in Christo Patrem, Dominum Clementem Summum Pontificem requisiuimus, vt ad Vrbem accedens, præfata solemnia nobis ibidem tradere dignaretur. Qui cum ex certis causis, iuxta nostrum immensum desiderium interesse nequiret: ne dicta coronatio ob sui absentiam impediri valeret, venerabilibus Patribus, Dominis Arnoldo Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, Leonhardo Albanensi, & Nicolao Hostiensi ac Veltrensi Episcopis, ac Francisco Sanctæ Luciæ, necnon Lucæ, Sanctæ Mariæ in via Lata Diaconis Cardinalibus, commisit in hac parte plenariè vices suas, cum clausula, vt si non omnes his exequendis interesse valerent, quatuor, tres, duo vel vnus eorum, dictæ coronationis nostræ nego-

negotium expediret.

3. *Verum dictis Leonardo, & Francisco de hac luce subtractis, per dictos Dominos Cardinales superstites, die festo Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum (quem ad hoc, vt poteramus, virtute dictæ commissionis elegimus) in Ecclesia Sancti Ioannis Lateranensis, præsente Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum Ecclesiasticorum Ordinum Vrbis, Ducumque, Comitum, Baronum, Nobilium, ac Romani populi, innumerosa caterua, oleo sacro vncti fuimus, necnon Imperiali diademate coronati, ac alijs debitis ac consuetis solennibus insigniti.*

4. *Hac autem deuotioni tuæ voluimus intimare, vt de nostris felicibus successibus valeas exaltare. Datum Romæ, quarto Kalendarum Iulij, Regni nostri anno quarto, Imperij verò anno primo.*

HENRICVS VII. IMPER. AVG.

De Officio Sculteti in Ciuitate Imperiali, & de priuilegijs ciuium.

HENRICVS *Septimus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Semper-Augustus, vniuersis sacri Romani Imperij fidelibus præsentes literas inspecturis, gratiam suam, & omne bonum. Dum profectus, & commoda fidelium nostrorum debitæ solicitudinis studio procuramus, decus & honorem Imperij multipliciter attollimus, & subiectorum obsequia nostris Imperialibus beneplacitis efficimus promptiora. Disponentes igitur affectu beneuolo, dilectorum fidelium nostrorum ciuium Nurembergensium, quantum dignè possumus, votiuis supplicationibus benignum præbere consensum, infrascriptos articulos specialiter, quoad eorum Ciuium, & Ciuitatis Nurembergensis commoditates agendas, statuimus obseruandos.*

1. *In primis videlicet, quòd Scultetus Nurembergensis, qui pro tempore fuerit, stratas communes vel Regias vulgariter appellatas defendere, ac per eas securè conducere debeat quoslibet transeuntes.*

2. *Sculteto etiam Nurembergensi, & Ciuibus liceat sub forma iuris, in conciuem eorum recipere quemlibet requirentem.*

3. *Insuper Scultetus Nurembergensis semel quolibet anno coràm Consulibus Ciuitatis eiusdem iuramentum præstet, de faciendo iudicium æquanimiter tam pauperibus, quàm diuitibus, secundum rationabilem Scabinorum sententiam.*

4. *Item Scultetus Ciuitatis prædictæ quemlibet ciuem ipsius detentum debeat excredere sub fideiussoria cautione, ac de eo iudicare secundum iustam, & rationabilem sententiam Scabinorum: nisi atrocitas facti seu causa detentionis ipsius aliud exigat, & requirat.*

5. *Cæterùm quòd omnes vtriusque sexus homines dictæ Ciuitatis Nurembergensis trahi non possint in causis ciuilibus ad aliena iudicia: sed conueniri debeant coram Iudice suo, dummodò coram illo querulantibus iustitia non negetur.*

6. *Quicquid etiam Consules, & Scabini Ciuitatis Nurembergensis prædictæ, sub iuramento præstito, pro pace ac moderatione rerum venalium intra ciuitatem eandem statuerint, tam ab extraneis quàm à ciuibus obseruetur.*

7. *Castrum verò, & turris in medio eius sita, à Ciuitate Nurembergensi in tantum alienari non debent, quin Castellanus, & possessor eorum ipsis ciuibus cautionem faciat, quòd decedente Imperatore, vel Rege Romano ipsum castrum, & turris prædicta, ad gubernandum ea, vsque ad futuri Regis creationem, deuoluatur ad eos.*

8. *Quodque Notarius Iudicij Prouincialis à ciuitate prædicta non alienetur: sed ibidem residentiam faciat, & Sculteto Norimbergensi obediat pariter & intendat.*

9. *Nemo etiam sententiam in Iudicio Prouinciali promulget, nisi Milites, vel Honesti Ciues iurati dictæ Ciuitatis Nurembergensis existant.*

10. *Demùm quòd vniuersi, & singuli Ciues Nurembergenses, & eorum bona, à teloneorum, & pedagiorum solutione eximantur in ciuitatibus, & locis singulis, quorum ciues etiam, & bona è conuerso apud Ciuitatem Nurembergensem fuerunt, & hactenus exempti pariter & exempta.*

11. *Præmissos autem articulos omnes de speciali gratia & Imperiali plenitudine potestatis, in fauorem, & vtilitatē Ciuium Nurembergensium prædictorum, tenore præsentium statuimus, & inuiolabiliter ab omnibus obseruari mandamus;*

damus; firmiter inhibentes, ne quis ipsos ciues in præmissis, vel eorum aliquem, contra præsentis paginæ nostræ tenorem, impedire, molestare, vel grauare præsumatur. Quod qui secus facere præsumpserit, indignam nostram, & pœnam centum librarum auri puri (quarum medietas Cameræ nostræ, reliqua vero passis iniuriam persoluatur) se nouerit incurrisse. Datum Pisis, III. Idus Iunij, Indictione XI. Anno Domini millesimo trecentesimo tertiodecimo: Regni nostri anno quinto, Imperij vero primo.

CAPVT TERTIVM

Occasione *Henrici VII.* Imper. veneno sublati à Sacerdote Sacrum panem exhibente, & fugam Regicidæ suadentis, præsentem ordimur titulum.

IMPERIVM SVI.

1. *Imperij verbum dulce.* 24. 27. 28. 26. 29. 36. 38. *Imperium est sibi imperare.* 2. 5. 22. *affectibus imperare.* 25. *Lucifer cadit, quia nescit sibi imperare.* 26.
34. *Francisci Mutinensis prudens dictum.*
4. *Hostibus ne fides.*
6. *Sapientis, felicitas diuina.* 7. *Sapiens quis sit.*
7. *Scipionis continentia.*
8. *Agesilai spartani fortitudo.*
9. *Camilli fides.*
10. *Ratio hominem facit.*
11. *Caligula Iouem in pugnam prouocat.*
12. *Catonis pugna cum vitijs.*
13. *Ciceronis animus abiectus, ruente Republ.*
14. *Victoria est, si te vincas.* 30.
15. *Miser quis sit?*
16. *Marcescit virtus sine aduersario.*
17. *Baiazeti stolida ferocia.*
18. *Ira est vindictæ auida.*
19. *I. Cæsar cogitat de restituẽda libertate Reip.*
20. *Diocletianus negat imperium reassumere.*
23. *Imperij cupido, quid? quanta? nec patri, nec patriæ parcit.*
24. *Eua cur prima pomum comederet.*
37. *Ioseph cur dominam suam, non diceret dominam.*
33. *Mehemethis II. exemplum de Imperio sui.*

I. DE Imperio, ò Principes, sermo recurrit, Vtile, vobis & numquàm satis laudabile verbum. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Quale est? *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram,*
II. *Imperiũ est, sibi imperare* Replete terram, *subijcite eam. Gen.* 1. in Regia vbi statis; de omni ligno comedite, Veruntamem de ligno scientiæ boni, & mali non comedite. *Genes.* 2. Regnum, quod in vltimos terrarum fines extenditur, vno incipiat ab animo, & in maxima licentia moderetur sibi, & cupiditatibus suis frænũ im-
III. ponat. *Henricus IV.* Germanorum ille Imperator XVIII. cuius in præsens prouocamur exemplo; cum *Berthæ* vxori decreuisset repudium, Pontificio legato *Petro Damiano* instante, vt repudiatam vxorem reciperet, vrgentibus Germaniæ Principibus, ne Reginæ diuortio, ad defectionem excitaret affines: monitis paruit, coniugem honorificè recepit, sibi imposterum imposita lege, vt quamuis solutus legibus, legibus viueret. Nec contentus viuere, sed & mori legibus voluit; vndè paulò antè obitum *Henrico V.* perduelli, & impio filio in datæ IV. *Monitum Henrici IV. ad filium.* veniæ argumentum, & pignus amoris, annulum, & ensem suum misit, monuitquè, nè suis aduersarijs nimium confideret, nisi forte eos ipsos sibi maximè aduersantes experiri vellet. Quid est fortitudo? quærit Seneca *ep.* 113. *munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vita obsidione perdurat. Vtitur enim suis viribus, suis telis.* Non est (ait Posidonius) quod vmquàm fortunæ armis putes esse te tutum: tuis pugna contra ipsam, fortuita non armant. *Itaque contra hostem instructi, contra ipsam inermes sunt. Alexander quidem Persas, & Hircanos, & Indos, & quidquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatque; sed ipse modò occiso amico, modò amisso, iacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mærens, victor tot regum atque populorum, iræ tristitiaque succubuit. Id enim egerat, vt omnia potius*

tius haberet in potestate, quàm affectus. O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria mittere: felicissimosque se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungant, ignari quod sit illud ingens paratumque regnum? Imperare sibi, maximum imperium. Hoc boni habet dominator sui, quod semper gaudet, semper letus triumphat. Ex aduerso seruire affectibus grauius est, quàm tyrannis. Si indecorum ducimus alij seruire, quàm debile, non posse sibi imperare. Nequit liber esse, quisquis affectibus seruit, & affectibus regitur. Nullus est liber (inquit *Pithagoras apud Stobæum ser. 6. de intemper.*) qui sibi ipsi non imperat. Nec naturam accuses, quæ te subiectum passionibus dederit: *Nihil enim* (inquit Seneca *lib. 2. de Ira. c. 12.*) *est tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nullique sunt tam feri, & sui iuris affectus, vt non disciplina perdomentur. Quocumque sibi imperauit animus, obtinuit. Quidam ne vnquam riderent, consecuti sunt: vino quidam, alij Venere, quidam omni humore inter dixere corporibus. Alius contentus breui somno, vigiliam indefatigabilem extendit: Didicerunt alij tenuissimis, & aduersis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare, & in immensam altitudinem mergi, ac sine vlla respirandi vice perpeti maria.*

V. *Affectibus noli seruire.*

VI. *Sapiens felix.* Deo vicinus est Sapiens, omnia potest, & sola ætate, non felicitate vincitur. Sapiens dominabitur astris; & nulli præter honestum tenetur stare decreto. Sapientiam (dices) quis non appetit? Cum verò nullos, vel paucos videamus esse Sapientes, inane & vacuum credimus esse nomen Sapientiæ? Falleris, gemino namquè

VII. *Sapiens quis sit?* verbo Epictetus Phrygius ille seruus, te facit Sapientem. *Abstine, & Sustine.* Abstine ab inhonestis: dura & fortia sustine.

Scipionis continentia. En Scipioni inter opima spolia deuictę Carthaginis, speciosissima sed alteri desponsata puella defertur; quam genitoribus illibatam triumphator remittit, plus ducens à Carthaginensi fœmina non vinci, quàm Carthaginem vincere.

VIII. *Agesilai Spartani fortitudo.* In Agesilaum Spartanorum Ducem seuitiam suam experiatur Persarum barbarus Rex; nec luget, nec gemit captiuus; lapidea cum crederetur eius humanitas, vel humanitate exutus mortali, manumittitur, formidantes barbari Deum tenere captiuum. Mira Camilli fides, quùm ludi Magistrum vrbis proditorem, cum his, quos adduxerat, pueris remisit verberatum à discipulis, quos prodiderat, ad Faliscos. Ea namque Furius Camillus, vir sanctus, & sapiens, sciebat veram esse victoriam, quæ salua fide, & integra dignitate pararetur. Vincitur ab Ænea Turnus, nec auri oblato pondere flectere Æneam potuit, ne sui hostiam hostiret manibus amici Pallantis. Sine fortitudine itaquè, temperantia, sobrietate fide instabile regnum est. Hominem ratio facit, & si per eam passionibus non obstet transformatur in brutum, vt in lupum Lycaon. Medium non habet cupiditas, inter extrema reuoluitur. Iubet omnibus, si sibi imperet: nec Deo subditur. Iratus Cœlo Caligula, quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosiùs quàm spectabat, quodque comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis: ad pugnam vocauit Iouem, & quidem sine missione. Quanta demētia fuit? (ait Seneca *de Ira lib. 1. c. 16.*) credere aut sibi noceri ne à Ioue quidē posse, aut se nocere etiā Ioui posse. Adam minimè aduertens per Deum cepisse posse, cum tentaret experiri quantum posset aduersus Deū, perdidit omne posse, & nihil potuit. Cato (inquit Seneca *de Constant. Sap. c. 3.*) cum feris manus non contulit, quas consectari venatoris agrestisque est: nec monstra igne, ac ferro persecutus est, nec in ea tempora incidit, quibus credi posset Cœlum vnius humeris inniti, excussa iam antiqua credulitate, & sæculo ad summam perducto solertiam. Cum ambitu congressus, multiformi malo, & cum potentiæ immensa cupiditate, quam totus Orbis in tres diuisus satiare non poterat, aduersus vitia ciuitatis degenerantis, & pessum sua mole fidentis, stetit solus, & cadentem Rempublicam, quantum modo vna retrahi manu poterat, retinuit; donec vel abruptus, vel abstractus, comitem se diù sustentatæ ruinæ dedit: simulque extincta sunt, quæ nefas erat diuidi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. Meritò culpatur Cicero, quùm in *ep. ad Atticum*, post victum Pompeium patrem, adhuc filio in Hispania fracta arma refouente, *semiliberum* se vocat. *Quid agam*, inquit, *hic quæris?* Seneca; *moror in*

IX. *Ratio hominem facit.*

XI.

Ade temeritas.

XII. *Catonis pugna cū vitijs.*

XIII. *Ciceronis animus abiectus.*

in Tusculano meo semiliber. At mehercules numquam sapiens in tam humile nomen procedet, nunquam semiliber erit: integræ semper libertatis, & solidæ; solutus, & sui iuris altior cæteris. Quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est? Fridericus III. victis in Hungaria Guintziensibus, suos Germanos ita alloquutus est milites. *Magnum actum est opus. Nunc autem maius restat, vt scilicet vincamus nosmetipsos, atque auaritiæ, & vlciscendi cupiditati finem imponamus.* Calamitates, terroresque mortalium sub iugum mittere, est proprium magni viri. Semper esse felicem, & sine animi morsu vitam transire, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Miserum Seneca iudicat eum, qui nunquàm fuit miser. Cum sine aduersario vitam transierit. Gaudent magni viri aliquandò rebus aduersis, non aliter quàm bellis milites fortes. Nihil magis, aiebat M. Alex. seruile, quàm inseruire delicijs, nec magis regium quàm labores suscipere. Gloriantur milites vulneribus, & læti sanguinem ostentant fluentem. Calamitas est virtutis occasio; Prosperitas, superbiæ. Deuictis hostibus, triumphum canimus, sed catenati ducimur ab affectibus, quos vel prætcrimus, cum præcipites à voluptate trahimur; vel excusamus, cum arguente ratione, tardamur. Calcamus maria, nauigamus terras, nouos in Orbe quærimus Orbes, furit ambitio, & nesciens stare loco, in ipso paradiso voluptatis hominem agitat vesana superbum. Baiazetes I. Turcarum Rex à Temiro Scytha captus, qui vulgò dicitur Tamerlanes, & ab hoc interrogatus, *quid de me fecisses, si victor esses?* Equidem (ferociter respondit) si tu victus fuisses, & ego victor, *ferrea conclusum cauea mecum, hinc inde circumducerem.* Quo Temir audito, mox è ferro caueam parari iussit, in qua Baiazetem inclusit, donec contumeliarum impatiens caput ad illam illideret, & animam indignabundus efflaret. Scias itaque (ait Seneca) iram esse pœnæ cupiditatem; infirmissimi sæpè potentissimis irascuntur. Pœnam concupiscunt, quam non sperant. Libertas erat in Ianuis, & virgulam eleuabat Temir, vt supplicem manumitteret hostem. Timuit autem cum verbali vindictæ vidit Baiazetē libertatem postponere. Oh cæca cupiditas, tam præceps regnum reposcit, vt viam aperiret imperij; & per gradus iracundiæ descendat in vincula, quibus iam animum passioni deuinxerat. Vt tyrannus Romanæ Reipublicæ, Cæsar occubuit; quia animi opinionem de restituenda libertate non impleuit. Propterea Orbis globum calcanti Cæsari, Cupidinem superimponerem, quæ vnà Orbem, & Cæsarem remeauit in triumphum. Meliùs Diocletianus, quùm se imperio abdicasset, atque in villa sua vitam instituisset priuatam, ab Herculio atque Galerio reassumere rogatus imperium, tanquàm pestem detestatus deterrimam, respondit: *Vtinam Salone possetis visere olera nostris manibus instituta, profectò istud tentandum nunquàm iudicaretis.* O cara libertas, si tamen vel in Diocletiano libertas erat, quam tot frutices, flores, arbores, plantæ colligauerant. Rectiùs Ludouicus XI. quùm exitium curiæ Parisiorum intentaret, nisi hæc Regijs plauderet legibus; Patres re cognita, Regem adeunt purpurati. Tum ille: *Quæ causa vos huc impulit? Vt mortem* (respondit Lauacrius) *potius oppetamus, quàm leges iniquas ferri patiamur.* Rex oratione Præsidis, & mirabili Magistratuum constantia perterritus, eos humaniter accepit, leges, quas promulgari iusserat, coram lacerari mandauit, iuratus imposterum, non nisi quod æquitati consuleret, se edicturum. Huc prouoco Principes, Reges, quorum maiestas Pilati æmulata constantiam; erubescit ab inhonestis ad honesta deficere; indecorum ducens iniqua retractare. Si Reges dantur populis potiùs in exemplum, quàm in imperium; vt quemadmodum Rex legi, ita Regi parère subditi discant. Et in genere recti inter hominem, & hominem est nulla discretio: pro summo est Optimus. Cur Imperium in nos ipsos priùs non experimur? Hanc tibi legem natura imposuit, à qua resilire non licet; vt imperij nostri priùs in nobis præcedat periculum. Per deserta Susitannorum copias ducenti Alexandro, & aquarum penuria laboranti, occurrit homo qui messoribus aquam vtre gestabat in agrum, vtreque resoluto, Regi protinùs potum porrexit. Percontanti Alexandro, quibus aquam ferret? respondit, *filijs meis.* Rex poculum, vt oblatum erat, reddens dixit: *Nec solus bibere volo; nec tam exiguum poculum omnibus diuidere possum: vos currite: &*

XIV. *Victoria est seipsū vincere.*

XV. *Miser qui.*

XVI. *Virtus sine hoste marcescit.*

XVII. *Baiazetis stolida ferocia.*

XVIII. *Ira est vindictæ auida.*

XIX. *Cæsar cur tyrannus dictus.*

XX. *Diocletianus negat imperium reassumere.*

XXI. *Ludouici XI. de imperio sui exemplum.*

XXII.

te: & liberis vestris, quod propter illos attulistis, date. Simile legitur de eodem Alexandro in India iter faciente. Vt etiam de Rudolpho I. Imper. cui cum ablatam à quodam rustico hydriam ceruisia plenam obtulissent, *Reddite* (inquit) *homini vasculum suum. Nam ego exercitui, non mihi sitiebam*. Ad istos diuinus dirigitur sermo, *Vos dij terræ estis, & dij excelsi omnes:* non ad eos, quorum sitim sanguis explet humanus. Cyrus cum in bello Scythico occubuisset, Tomyris cadaueri eius inter occisorum stragem reperto, caput præcidit, & in vtrem humano repletum sanguine misit, increpans: *Satia te sanguine, quem sitiuisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti*. Cupido imperij est veluti panis, quem quotidiè comedimus, nec saturamur vmquam. Regnum senectuti comparatur, quis eam fugit attingere? & eò cum ascendimus, detrectamus descendere. Impatiens consortis potestas nec filium patitur, nec genitorem sustinet. Solimano Turcarum Regi cum filius *Mustafa* suspectus esset, suffocari mandauit, exclamante præcone. *Vnus in Cælo Deus: Vnus in terra Imperator, Sagredus*. Idem accidit Giangori alteri Solimani filio, quia patrem interrogasset, *cur in iuuenibus vigeret amor? in senibus crudelitas, quum obliuiscerentur esse parentes?* Facile est inuenire, si libidinem respicias imperij. Hæc fortiùs quàm carnis, hominem colaphizat. Catharina Sfortia Fori Liuij Comitissa, minantibus perduellibus eius occidere liberos, ni arcem traderet, Zonam eleuans, & pudenda palam faciens, *ecce* (inquit) *forma, quâ alios submittam*. Tollite filios, dummodò ciuitas mihi supersit. Tollite patriam, si Roma det mihi galerum ait Superantius D. Marci Procurator, & Venetorum legatus apud Turcarum Regem, vnde Procuratoria exutus trabe, iussus est exulare. *Sagred*. Tollite fidem, Cardinalis S. Rom. Eccles. blasphemat, nè principatum omittam. *Sagred*. Oh efrenis libido! adeo stimulis agitatur imperij, vt nec alieno periculo velit impatiens experiri fortunam, sed malit futuri regni incertitudini certam iacturam præponere. Tentatur Eua, & futuræ Deitatis promissis illecta, *eritis sicut dij*, cum posset Adami periculo experiri fortunam, inobedientia præcurrit, vt Domini sententiam inuerteret, nec viro esset subdita mulier, sed vir mulieri. *Eritis sicut dij* in promissione concordant Deus, & Diabolus: sed in propositione dissonant. *Ne comederitis*, mandat Dominus. *Si comederitis*, diabolus suadet, qui solum de Cœlo cecidit, quia sibi imperare nesciuit. Lectionem itaque quam ipse ignorauit, docere tentat genus humanum; vt peccantium consortio obedientiæ excusaret ignauiam. Animalia cum perfecisset Omnipotens, Adamo transmisit, *Vt videret, quid vocaret ea*, & cuique tesseram, & nomen imponeret, cum ipse à Deo nomen accepisset. Nec sine mysterio, non sibi nomen vir primus imposuit; alioquin non se à terrâ *Adamum* vocasset. Plusquam enim homo est, qui *de se humiliter sensit*, nec in se videt nisi vile, & nihilum terræ. Nomen accepit ab alio (ait Chrysostomus *hom.* 14. *in Genes.*) quia sui ipsius cognitio est adeo difficilis, tamque sublimis speculatio, vt facilius naturæ arcana, quàm nos ipsos possimus cognoscere. *Quærendum, cur qui reliquis* (ait Philo) *omnibus imposuit nomina, sibi nullum imposuit? Quid igitur dicendum? Mens quæ inest nostrum vnicuiq; cætera potest comprehendere, seipsam nosc ere non potest, lib.* 1. *legis Allegor*. Quemadmodum enim oculus alia videt, seipsum non videns; sic & mens intelligit alia, seipsam non comprehendit. Nec casu accidit, vt Adam ante lapsum brutis nomen imponeret, cum adhuc in arce staret innocentiæ. Ineptum namquè subditos habere, qui sui non habet imperium. Bestias cum lustrat, nullam inuenit similem sibi; quia nondum peccauerat, sed bestiales adhuc præmebat affectus. Extra paradisum Adam legitur efformatus, postmodum in paradisum positus, ne Dei beneficium, naturæ imputaret, sed gratiæ. Eaque manus, quæ eum ad illum locum transtulerat, inde posset extrahere. Propterea de se sentiret humiliùs, ac cogitaret quod ibi positus, *vt operaretur*. Sed quid operis homini præstandum, cum locus ille sponte exhiberet quicquid visu pulchrum, & ad vescendum suaue? *Mentis operationem* intellige, passionibus obstando, elationem deprimendo, ne immodica homo insolesceret prosperitate. *Primus homo* (ait Honcala) *lex posteris futurus erat, & ideo legitimi etiam in Paradiso suscepit speciem laboris, vt nos ad operationem, & debiti officij custodiam, &*

hære-

XXIII. *Imperij cupido veluti panis.*

Pater filium.

XXIV.

Eua cur prima pomum comederet?

XXV. *Cadit Lucifer, quia nescit sibi imperare.*

XXVI. *Nomina animalibus cur Adã imponeret, & non sibi.*

XXVII. *Nullam bestiam Adã sibi similem inuenit.*

XXVIII. *Quid Adam operaretur in Paradiso.*

hæreditariæ successionis munus astringeret. Non vult Dominus (adiungit *Oleaster*) hominem otiari, neque tamen laboribus ipsum vrgere voluit. Horti custodem posuit, qui seipsum noluit custodire. *In quo duo nobis necessaria docet. Alterum, vt hortos, qui nos ipsi sumus, excolamus: alterum, vt custodiamus, quæ colimus. Quid enim prodest, si summo studio nutrias, & colas virtutem, si eam ab impetu furari volentium non custodias.*

XXIX. *Adā tenebatur seipsum custodire.* Sed à quo tandem custodiret, cum nullus inuasor adesset? A nullo timere poterat homo extra se, sed maximè à seipso, nam operari negligens, & Dei præceptum temerans, paradisum amisit. Regnaturo homini præceptum datur in obedientiæ exercitium.

XXX. *Regē obedientia decet.* Hæc Regem dedecere videtur? Sed potiùs format, & firmat: vt de hominum libertate dicimus, quam legum obedientia non destruit, auget potiùs, & confirmat. *Ideo legibus seruimus* (ait Tullius) *vt magis liberi viuere valeamus.* Sic obedientiæ exercitium non solùm præstat bonos subditos, sed facit optimos Reges. Ille enim securè imperat, qui perfectè obedit. Nescit imperare, qui nescit obedire. Quem terrarum itaquè præsidem, & Orbis Monarcham creat, statim obsequijs assuescere festinat, vt simul cum principandi potestate, iugum subeat obsequendi. Non multum referebat, quod de vna arbuscula ederet, siue abstineret Adamus; at magni intererat, vt cum imperandi orbis monarchia, parendi eruditionem edisceret de schola obedientiæ. Malè imperabit omnibus, qui vni parere recusat. Qui creatus est, vt præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestijs, vniuersæque terræ erudiat regendi peritiam in obsequendi gymnasio. Non satis gubernandi peritus nascitur, qui tot naturæ, & gratiæ dotibus imbutus nascitur, nisi imperandi scientiam instruat subiectione parendi? O arcanam præpositis eruditionem. *Præesse non audeat* (ait Magnus Gregorius) *qui subesse non didicit.*

XXXI. *Sibi imperet.* Cui subesse? Deo, & legi. Hanc tibi Dominus custodem reposuit, quæ incessanti flagello retraheret, ne rationis iugum excuteres. *Istud profectò* (ait Synesius) *primarum, ac summè regium est, sui ipsius esse Regem, mentemque domesticæ belluæ quasi moderatricem præficere, neque cum infinitis propemodum hominibus dominari velis, ipsum turpissimis Dominis seruire, voluptati, dolori, & quæcunque his affines belluæ suum in animali domicilium habent. Orat. de regno ad Arcadium.* Hac regula regiam Ethnici dimetientes dignitatem, dixere; *Tibi ipsi non minus, atque alijs imperato, idque maximè Rege dignum esse ducito, si nulli seruieris voluptati; sed cupiditatibus tuis magis, quam ciuibus domineris:* Isocrates ad Nicoclem Regem *de Principis instit.* Consonat Tullius *orat. pro Sylla, Regium est ita viuere, vt non modo homini, sed ne cupiditati quidem seruias, contemnere omnes libidines non auri non argenti, non cæterarum rerum indigere.* Inculabat Dei bonitatem infanus hæreticus Marcion, quòd qui Adamum vna ex parte orbis principem fecisset; ex alia sic liberi arbitrij potientem, vt legi tamen diuinæ esset adstrictus: vnde & dignitatis imminutio, & lapsus oriebatur discrimen. Tantæ insaniæ Tertullianus occurrit, hominem adstruens maximè excelsum, & Deo similem factum, quòd illinc ingentem potestatem, ingentesque animos haberet; hinc verò ipsos Deo, & rationi subijceret, præclaram animi sui nactus possessionem. *Oportebat* (inquit) *imaginem, & similitudinem Dei, liberi arbitrij, & suæ potestatis institui, in hoc ipsum imago, & similitudo Dei deputaretur, arbitrij scilicet libertas, & potestas.* XXXII. *Imago Dei in homine ex arbitrio, & potestate refulget.* Potestatem porrò quomodò exerceat? vt ratio dictat honesti, respondet. *Sed et alias quale erat, vt totius mundi possidens homo non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum Dominus, sui famulus.* Reges, vos paucis Tertullianus alloquitur, *aliorum Dominus, sui famulus* Princeps fit. *Turpe enim est, vt qui domi suæ seruus est, gentibus dominetur; is Resp. tractet gubernacula, qui scorti nutus obseruat, qui meretricis regitur arbitrio.* Gregor. Nyssenus *Orat.* 1. Capto Byzantio, Turcarum Imperatorem *Mehemethem II.* cum longa dies, nec pietas mitigasset acerbum; Formosa reperta Venus, cuius facie non pulchrior vlla, quæ Martem exarmauit Othomanicum. XXXIII. *Mehemethis regium facinus.* Post tot deuictos hostes, à fœmina victus, in sinu lupæ iacet semianimis vrsus. Bellica ei euanuerant phantasmata, quæ vel in somnis pingebant aciem, & canebant triumphos. Ad seditionem spectabant milites, Martem suum Veneteis irretitum vinculis suspicantes, vndè mendicare cogerentur inermes. Hisce probris

bris excitatus, quò milites edoceret, non minùs virium sibi esse in bella, quàm in bellas; eodemque ardore posse expugnare mœnia, & passiones, barbaro ictu caput amputauit amasiæ, vt innocentis victima murmur militare placaret. Inhumanus equidem miles Rex barbarus, & sæuus amans. Sed inter barbaros mores venerabile exemplum, vnde regnandi exordium Reges deducant. Inhumanum exemplum, sed si feritatem detrahas, memorabile Principi vel à tyranno edoceri, *cupiditatibus magis, quàm ciuibus dominari*. Factum priusquàm damnes crudele, recogita an posset barbarus aliter vincula frangere, & cupidinis expedire catenas. Rationi obedias, hoc est primum, & maximum à natura mandatum. Quomodò impleas? quandoque vel necessitas præterit, vel mali

XXXIV. *Regis imago.* peioris timore indulgentia declinat. Regiã interim imaginẽ flagitas? Amalasuentha regina describit: Romano Senatui Theodahaldũ in regni consortiũ delegisse significans: *Reseruauimus itaque, Deo iuuante, palatia viro nostri generis claritate conspicuo, qui à maiorum stirpe progenitus regalem habeat in actibus dignitatem, patiens in aduersis, moderatus in prosperis, & quod difficillimum potestatis genus est, olim rector sui.* Franciscus Mutinẽsis Dux,

Francisci Mutinẽsis graue dictũ. viuentis parens blandientibus aula, & alta cogitare suadentibus, quia non minori ingenio Natura ditasset, ac Philippum Hispaniarum Regem, respondit.

XXXV. *Caput quidem teneo Philippi non manus, & vires.* Prudenter innuens, sapientiam sine diuitijs; ingenium absque viribus esse truncum, & debile corpus, ac vanas sine viribus iras. Principatus sua sorte contentus, non maiora sperare; ne aleam subiret eandem, quam Tartarorum ille Princeps, cuius caluaries ferebat inscriptum, *Hic aliena appetendo, sua amisit*. Verè Princeps qui modulam principatus à legis deducat obsequio.

XXXVI. *Prudenter Dauid prophetæ aquiescit monenti.* Gloria Dauidis maximè solet prædicari, quòd adulterij, homicidijq; conuictus erubuerit, Prophetam reueritus accusantem. Vnde meritò dubitatur, an gloriosius esset, vinci fastidiosam potentiæ imprudentiam, an libidinis intemperantiam? & prò victoria potentiæ canit Ambrosius; *Bonus ergo Dauid, & multò admirabilior, qui potestatem vicit, quàm qui amorem. Facilius reperias, qui se in amore cohibeat, quàm in potestate moderetur. in 2. Dauid. apol. c. 3.* Ingentes in Principe animos inesse oportere (aiebat Themistius. *orat. 9. ad Valentem Imperatorem*) tamen ingentes illos animos obedientes esse debere rationi. Quod si cupiditatibus subditus occultũ Regem foueat in sinu; nil interest palam, vel in abdito iugum seruitutis sustineat.

Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum; tolerabis iniquas
Interiùs leges. Claud.

Casti Domina Ioseph cum impura ocu- XXXVII.
los coniecisset in purum, liberali mancipij *Ioseph*
specie Domina capta, aduersùs pudorem *cur Dominam,*
impudica excitauit certamem. Sed quam- *non vocaret Dominam.*
uis in eam ætatem inciderit Ioseph, qua Venus in terris coli cępit, singulari Diuinæ prouidentiæ cura; cum illa Orbem fœdaret, potuit honestissimus adolescens illecebras expugnare libidinis, & carcerem thalamo pręferre inhonesto. *Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquàm acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere? & peccare in Deum meum? Genes. 30.* Sanctè Ioseph, sed inurbane. Vile videris mancipium cum Dominã, nec *Dominam* appellas; ad iracundiam prouocas nõ tam protestatione amoris aduersi, quàm rustico, & inciuili sermone. Iosephum Nissenus defendit, *Temperantiæ serui* (inquiens) *magna est auctoritas. Dominam fecit seruam. Nam illi quidem supplicabatur, hæc verò supplicabat.* Super illud Apostoli, *Omne peccatum.* Imo tanquàm balena hamo ad mortem capta mugiebat, *Dormi mecum.* In Dominum erigitur seruus, quia liberalius duxit seruili compede, quàm herili amplexu constringi. Vinctus, quia non victus Venerem castitate prostrauit, quæ ei gradum faceret ad thronum Ægypti.

Suscipit Imperiũ bene tũc Rex quippè regendũ;
Cum Sensum Imperio subijcit Ipse, suum.

FRI-

FRIDERICVS PVLCHER ET LVDOVICVS BAVARVS OCCIDENT. IMP. XXXIII. & XXXIV.

LIBER XXXIII. & XXXIV.

CAPVT PRIMVM.

1. *Veritas latere non potest 4. hieroglyphicum veritatis. 6. Fridericus Pulcher, Henricum Imper. in Italiam comitatur 7. Io. Austriacum parricidam Alberti monasterio includit. 8. dolo legati Brandeburgici non eligitur Imperator. 9. pugna cum Ludouico Bauaro. 10. fugat Ludouicum. 11. nuptiæ cum Elisabetha Aragona. 12. captus à Ludouico Bauaro. 13. constantia eius in captiuitate. 15. recusat carcerem exire ope dæmonis. 16. liberatur, & regnat cum Ludouico. 17. mors.*
39. *Benedictus Papa timore correptus, non parcit Ludouico Bauaro.*
43. *Carolus Bohemus emit Electorum suffragia. 44. vincitur.*
11. *Elisabetha Aragona quàm vnicè amaret Fridericum Pulchrum Imper. virum suum.*
14. *Leopoldus gloria militum frater Friderici Pulchri quam vnice fratrem dilexerit: dæmonem conducit in subsidium fratris.*
20. *Ludouicus Bauarus Imperator filius Ludouici Seueri. 21. iurat non ambire Imperium, postea assumit. 22. literatos amat. 23. fratrem Bauaria spoliat. 24. à suis desertus, cogitat Imperium deponere. 25. egestate laborat. 26. Fridericum Pulchrum captiuum ducit. 27. liberat. 28. arma sumit in Papam. 29. Papam damnat, Antipapam creat. 30. excommunicatur. 31. prandium exhibet in ara Cœli. 33. caritate laborat. 34. Roma fugit. 35. eius nomen Romani abradunt. 36. ministros tyrannos habet. 38. templum Deiparæ erigit. 39. tentat reconciliari cum Papa, nec imperat. 40. fœdus cum Anglo. 41. Fœdus renuntiat. 42. à Clemente Papa excommunicatur. 45. veneno perit. 46. ei sepultura negatur. 47. Clerus festum agit de eius morte. 48. sepultura donatur. 49. moneta, symbolum.*
21. *In iuramento an iurans comprehendatur.*
32. *Petrus Corbarius Antipapa. 37. prodigia in eum.*

1 VEritas (cuius in pectore *Friderici Austrij* fulget imago, circundata lauro) Temporis auspicijs è specu fugiens Inuidiæ, & Falsitatis, symbolum est, latere non posse, etsi tenebris inuolutam; diuino aflante testimonio, *nil occultum? quin reueletur: nil absconditum, quin sciatur*. Iuridica *Friderici Austrij* in Imperatorem electio, quamuis *Ludouici Bauari* obruta insidijs emergit tandem; & *Nicolai Bock* legati Electoris Brandeburgici, detecta perfidia, quis iure regeret (patet) habenas Imperij.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

AEmula Sors Geminos duxit præponere Reges;
Quæq; suum Imperio, sed sine Fraude, Ducẽ.
Fraus est nulla Dijs, Hominũ tamẽ Inuidus ordo,
Ductus Auaritia, Fraudib⁹ ambit opes.
Addita propitiæ Sorti Fortuna fauebat
Austriaco; at Bauaro Fraus dedit Imperiũ.
Proh, Genus Humanum! vicit patientia Diuũ,
Quot mala molitis, nequitiamq; Tuam.
Occultent puteo quamuis Mendacia, Verum;
Scit Pater è Tenebris ducere Tempus, Idẽ.
Hac igitur tandem detecta Fraude; vicissim
Cum Bauaro Austriacus Iura dat Imperio!
Pax, post Bella, redit Mũdo; Mũdũq; regendũ,
Alcides Alter suscipit Alter Atlas.

M. Ant. Moles Neap. S. Th. D.

ALIA

Quod dolus occubuit, vel quod fraus credidit umbris
Quodque astus verum condidit in tenebris
Panditur in lucem tandem, quodq; abdidit æuũ
Tandem de latebris euocat vna dies.
Sic vindex æqui tempus, caligine mersum,
Tempus idem rapit è faucibus inuidiæ.

Franc. Franzinus. S. Th. D.

FRI-



FRIDERICVS III. PVLCHER
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXIII.

V.

Fridericum, quem non amare non potes, quia *Pulchrum*,
Admirare quia fortem. *Sal. An.* 1313.
Pulchrius cum sit, fortem esse, quàm pulchrum,
Stuporem conciliat, amorem trahit.

VI. *Imperatorem Henricum in Italiam comitatur.*

Mentitur Poeta, inimica esse armorum, & amorum nomina,
Nam vna sede morantur Maiestas, & Amor.
Primus ad imperium gradus fuit obsequium Imperatoris.
Principatu suscepto, medicum egit,
Vt aureis moribus extingueret seculum ferreum.

VII. *Io. Austriacum parricidã Alberti monasterio includit.*

Sic fulgebat, & fulminabat Iupiter Austrius.
Vindex paternæ cædis *Ioannem* patruelem,
Qui gemino parricidio Cæsarem cædens,
Et patris fratrem, & patriæ patrem sustulerat;
Ne reus esset Austriaci sanguinis, quem vlciscebatur,
Inuisum Cœlo scelus expiare coegit in cella,
Spoliatum bonis, quorum amore peccauit.

VIII. *Legatus Brandeburgici abraso in literis Credentialibus nomine Friderici, scribit Ludouicum.*

Mors interim *Henrici VII.*
Vrnam vnam duas scidit in partes.
Brandeburgici Oratoris perfidia fidem *Friderico* minuit & vota,
Adultera manu *Ludouico* pro *Friderico* supposito.
Hinc in discordiam abiere suffragia, in bella Imperium. 1316.
Ad nouam Pharsaliam concrepant Aquilæ; stat Cæsar in Cæsarem.
Coronatur vterque, *Ludouicus* vbi debuit, non à quo debuit
Fridericus non vbi debuit, sed à quo debuit,
Is Romæ à Coloniensi, ille Aquis à Moguntino.

IX. *Pugna Friderici cum Ludouico.*

Prima ad Eslingam pugna totis concussi penè viribus Orbis,
Virtute pari, æquo Marte, communi clade, neutrius victoria:
Nox pugnam diremit,

X. *Nouam pugnam Ludouicus detrectat.*

Ægrè ferens cognati sanguinis cædem inspicere.
Spiram Nemetum, Nemesim suam respirare credens *Ludouicus*
Iter cœpit, vt *Leopoldum* interciperet, sed receptui cecinit,
Quòd vrgente *Friderico*, fratrum concordiam inuictam crederet.

XI. *Nuptia Friderici cum Elisabetha.*

Ardorem belli flamma mitigauit amoris,
Venerem Mars quæsiuit Austriacus, sed pudicam.
De Cœlo vt credas, tulit ab vltima Thule
Elisabetham Aragonum Regis filiam.
Expetita ad coniugium, iugum petijt,
Et in Fidei speculo docuit fœminas, quomodò amarent.
Vix nupta, iam vidua viuente marito,
viro amisso, vires omnes impendit, vt redimeret;
Erutis sibi oculis vt Maritum in lucem erueret,
Vel præter eum videret neminem.
Verè cæcus est amor.
Vtroque superstite, neuter vixit.
Tenebris obruti ille carceris, hæc cæcitatis.
Orba adeò precibus fatigauit Orbes,
Donec Amor in sede Maiestatis *Fridericum* reposuit.

XII.

Solent amorum tedæ, armorum tædium afferre

Ac

Sal. An. At *Fridericus* de coniugali Toro
Ad debellandos hostium toros desiliens,
Pro matre Ecclesia, quam amauit, fratrem armauit.
Bauariam ingressus, *Ludouici* tergum dumtaxat vidit,
Nulla maior victoria, quàm quæ confessum vinci vincit.
At *Ludouicus* fugæ probrum probo milite deleturus,
Reponit in arma viros, & furorem.
Occurrit *Fridericus* non expectato *Leopoldo*,
Minor viribus, sed maior animo,
1322. Vt ferro iudice, litem Orbis finiret.
Octonos tonuère annos aspera bella,
Tandem palma *Ludouico* fauet;
Fauere haud poterat *Friderico*, cum huic deesset *Militum Gloria*.

Quòd non expectato Leopoldo fratre, qui dicebatur Militum Gloria, *succubuit Fridericus.*

Victor *Fridericus* virtute, proditione victus,
Victoriam reliquit in puluere.
Austriaco Bauari potiti vexillo,
Tecti puluere, quem coniurati venti excitarant in Austrios,
Signo mentientes amico inimicos ceciderunt.
Quinquagenos cum regia manu *Fridericus* confecisset,
Capitur nobilium irarum plenus,
Quasi non deditus, sed hostes prouocaret ad pugnam.

XIII. *Friderici constantia in carcere.*

Eo vultu ingressus carcerem, quo Capitolium victor,
Libertatem in seruitute seruauit.
1324. *Principes viri nunquam toti capiuntur.*
Triduum captiuitatis, vt triduum quietis sustinuit.

XIV. *Leopoldus frater Friderici Pulchri, dæmonē conducit in subsidiū fratris.*

Solus *Leopoldus* non inuenit requiem.
Flectere nequiens superos,
Haud timuit in *Ludouicum* Acheronta mouere.
Amor Proteus omnes induit formas;
Tam religiosum par fratrum nec Argi spectauerunt.
1325. Plutonem ipsum Concordia excantauit,
Paredrum Dis misit, sed dictis parère *Fridericus* renuens,

XV. *Fridericus recusat fugere ope dæmonis.*

Maluit cum Cruce vinciri, quàm sine Cruce vincere;
Vicit tamen, & vixit, ac fugauit, cum dęmonem fugijt.
Mutauit Fortunam Religio.
Nam penè interceptus Bauarus, ponè Austrium liberauit.
Vt gemino Sole, & Solio, solum illustraretur Germaniæ.

XVI. *Liberatur, & regnat cum Ludouico.*

Ex hostibus hospites non collidentes, sed colludentes
Pari titulo, sed impari iure regnabant;
1330. Cum inuida Fatorum series, quæ summis stare diù, negat;
In *Ludouicum* sorores immisit immites:

XVII. *Friderici mors eius vltimū verbum* Pax *fuit.*

Sęuaque triumphalem Augustum mors ipsa triumphat.
Castra pietatis ingressus, extremam in choro fudit vocem,
Pax
Quam in Ara inuenerat, non in aula;
Vel vbi omnes sunt Reges, & sine Æmulo regnant.



Monetam *Friderici Pulchri* Imp. vide pag. 80.

Symbolum Friderici Imper. vide n. 19. & n. 140.

Anna uxor Alberti Regis Poloniæ. cis Carin Elizabeth. ux. Joan Regis Bohemiæ









Ludovici V. Imper. Moneta Aurea







Symbolum Ludovicus V. Imper. Caroli IV. Imp. Moneta Aurea.









Signo Caroli IV Imp. Carol. IV Imp. Symb

Moneta Aurea Wenceslai Imper. Symbolum









Friderici Imper. Moneta Aurea Moneta Aurea Sigismundi Imp.










Symbolum ux. Sigism. Barbaræ. Symbolum Sigismundi.







LVDOVICVS V. BAVARVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXIV.

Sal. An. *Mitem* miraris *Ludouicum*? iure XX. *Filius Ludouici*
Nam eum *Seueritas* genuit. *Seueri.*
1314. Fraude sortitus aleam, aulam *Friderico* negauit iuratam,
Quasi regni causa peierare liceret. XXI.
Vel in iuramento persona iurans exciperetur. *Iurat non ambire*
Specie recusantis cum flagrantissimè cuperet Imperium, *imperium Friderico*
Dignitatem opponebat Augustam in angusta domo vilescere. *Austrio.*
Regnare iussus, vel perire,
Perijt, quia regnauit.
Hoc bonum sub malo habuit;
Musas, quas non coluit puer, excoluit senex, XXII.
Expertus Iouem ipsum posse regnare, non sine Pallade. *Virtus regnanti necessaria.*
Ante imperium modestus, & *Mitis*
In imperio immodestus, & immitis
1316. Fratrem sic amauit, vt in eum primò armarit, XXIII. *Fratrem Bauaria*
Sustulit, vt se extolleret. *spoliat.*
Inconstantiam Fortunæ constantia vicit.
Cum eum in templo cædere, quò securiùs caderet, cogitarent: XXIV.
Ac prius perditum quàm proditum suorum fuga, non tuba clangeret: *A suis desertus cogitat imperium*
Amicorum auxilia, atque consilia expertus fallacia, *deponere.*
Vt ridentis fortunæ infortunium,
Quæ vità celabat vitæ discrimina
In sinum eius reijcere decreuit mendacia munera:
Et semel recumbere, quàm toties occumbere.
Ita sibi consulens; amicos consuluit, & agnouit
Idem esse cedere, & cadere: nec modestiæ, sed imperitiæ.
Hinc ad arma, quæ ministrarunt Astra.
Lauros Arioli proludebant, & lauream. XXV.
1322. Vndecim librarum Fortuna ducta congiario, *AEgestate labo-*
(Non plus æris erat *Ludouico*) *rat.*
Victoriam Victo, & victorem tradidit *Fridericum*. XXVI.
Hunc captiuum tenuit, donec concordia discordi *Fridericum Pulchrum vincit, ca-*
Vnà coirent prò *Friderici* libertate Deus, & Dæmon. *ptiuum ducit.*
Quasi Iupiter, Plutone inuito,
1325. *Fridericum* de manibus *Ludouici* extorquere nequiret. XXVII.
Mortuo tandem *Friderico*, quem timeret, neminem habens, *Fridericum libe-*
Vanida victoriæ distentus aura, *rat.*
(*Qui felicium est morbus*)
In Pontificem ab infidelibus fidem emit, XXVIII.
1326. Impietatis magistrum *Ochamum* audijt, *In Papam arma sumit.*
Inito fœdere, vt is calamum, ille gladium mutuarent.
De hæreticis optimè meritus,
Quos auxit, & adorauit,
Sacerdotali vsurpato iure,
1327. In concilio impiorum, præsidens in cathedra pestilentiæ,
Religionem mutauit, non sustulit. XXIX.
Ochamos, Jandunos, Marsilios, Dantes, *Papam damnat,*
Quemlibet veneratus, ne Pontificem veneraretur. *Antipapam creat.*

In

In synagoga tyrannorum, quos prædæ consortes fecerat, *Fal. An.*
Romanum Iouem ipso in Olympo aggressus,
De Quirinali deiecit.
Is ne perditus videretur, *Ludouicum* perdidit,
Et viuum inter mortuos reposuit.

XXX. *Excommunicatur.*

Bis Coronato
Ferream Mediolanum, auream S.P.Q.R. coronam imposuit: 1328.
Pontifex vtramque deposuit.

XXXI. *Prandium exhibet in Ara Cœli.*

Romam ingressus, Mortales dæmones excepit in Ara Cœli;
Et cum Augustis pernoctauit in Capitolio.
Inde erecto abominationis Idolo in loco sancto,
Vrbem lustris impleuit, non lustrauit.

XXXII. *Petrus Corbarius Antipapa.*

Vbi vulgo Deum poscenti, lapidem non Petram dedit;
Vel lapidem offensionis, & petram scandali:
Cum *Petrum Corbarium* hara dignum in ara reposuit. 1328.
Nec satis exarsisse lingua, arsit flamma,
Quæ stupida, mox feruida,
Sacros omnes cineres voluisset absumere,
Ne profano populo quid superesset, quo Deum placaret.

XXXIII. *Fames in exercitu Ludouici.*

Prouocata Numinis ira *Ludouici* famam fame domuit.
Annona deficiente,
Iam non erat, cur se Romanis mœnibus, aut manibus crederet.

XXXIV. *Fugit ab vrbe.*

Improbus inter probra Viterbium fugiens,
Nomen exculpsit in omen,

XXXV. *Ludouici nomen Romani abradunt.*

Sed extemplò detemplo abrasit Religio,
Vt cum sonitu memoria periret.

XXXVI. *Ministros tyrannos habet.*

Vocatus ab Italis, vt tyrannos tolleret, seminauit;
Vt plures essent, quàm vrbes.
Anathema Pontifici cum PseudoPontifex rependere vellet;
Fremuit Cœlum, ne Pisani auscultarent; 1329.
Exiturum de centro, nisi ille de templo.

XXXVII. *Prodigia in Antipapam.*

Audijt in tonitru *Ludouicus* veritatem è Cœlo delapsam,
Nec aliter fas erat, audire, vel dicere.

XXXVIII. *Templum Deiparæ erigit.*

Germaniam repetens, tentauit impietatem pietate defendere,
Patronam conduxit Virginem Matrem templi stipendio.
Tot inter errores non aberrauit ab ea,
Quæ est *Peccatorum refugium.*
Voluit etiam pœnitere, nec potuit;
Quòd mortuo *Joanne*, etiam *Benedictus* malediceret; 1336.
Qui cum teneretur benedicere, nollet, vel non posset;
Peccanti attentus, non precanti:
Quasi ligare posset, non soluere.

XXXIX. *Tentat reconciliari cum Papa Benedicto; sed is timore Philippi Valesij Regis Francorum, recusat parere.*

Veniet summa dies, quæ die caret:
Et de manu tua (*Benedicte*) animam *Ludouici*
Requiret inexorabilis Iudex;
Illam, & tuam de manu *Philippi Valesij*
Cuius timore, seueritate peccasti.
Impatiens *Ludouicus*
Iustitiam nolens expectare, maluit arripere,
Sed omissa patientia, amisit innocentiam. 1337.
Salutem ferro reposcens,
In Gallos excitauit Anglos,

Eduar-

Sal. An.

In seipsum, vicarium Dei.
Quam Ferus *Ludouicus* fuerit? habes:
Ipsum *Clementem* habuit inclementem.
Mors, quæ omnia soluit:
Anathema nequijt *Ludouici* dissoluere. *Veneno à muliere tollitur.*
1348. Tantum Martem Venus vna ligauit;
Dum viro virum præbuit.
Pacem, quam inter viuos quæsiuit,
Nec inter mortuos inuenit.
Manes opus fuit custodire manibus:
Quibus cum non in Cœlo, nec ad inferos Papa pepercerit, *Clerus canit, pro morte Ludouici.*
De sepulchro *Ludouicus* clamat:
Si ascendero in Cœlum, tu illic es:
Si descendero in infernum? ades.
Clerus præficam agens,
Epinicium canit, non epicedium:
Et Luget quia serò mortuum
Cœlo, terraque pulsus, quieuit tandem in sinu eius, *Sepelitur in templo B. Virginis.*
Quæ est *peccatorum refugium.*
Eodem sæculo XIV.
Vixit, deuixit, reuixit. *Mausoleo donatur.*
Vixit homo, deuixit Petro, reuixit in lapide, vel in Petra?
Scit qui viuorum, & mortuorum est iudex.

Monetam Ludouici Bauari vide pag. 132.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM.

1. *Friderici Pulchri Imper. genesis.* 11. *Pulcher dictus.* 2. *vxor, filij.* 11. *aspirat ad Imperium* 15. *demulcere tentat Ludouicum Bauarum.* 20. *à quibus fuerit electus Imperator.* 22. *an fuerit iure electus.* 23. *vbi & à quo coronatus.* 31. *Spiræ imminet.* 32. *Esslingam obsidet.* 33. *pugnat cum Ludouico* 36. *ducit Elisabetham Arragonam: Insignia ostentat Imperij* 37. *malo omne.* 38. *ad Papam legatos mittit.* 41. *Suppetias in Italos Papæ mittit.* 42. *reuocat.* 43. *nouam legationem ad Papam instruit.* 46. *currit in auxilium fratris: Ludouicum ad pugnam prouocat.* 47. *mouet in Boios.* 50. *Ei prædicuntur infausta.* 54. *victus à Ludouico capitur.* 73. *renuit ope dæmonis liberari.* 76. *liberatur.* 78. *an Imperator.* 79. *barbam mittit Regi Hungarorum.* 138. *mors.* 139. *inscriptiones sepulchrales.* 19. *Moneta.* 138. *morientis verbum,* pax.

5. *Rudolphus Palat. Frater Ludouici Bauari Imper.* 20. *fratri aduersatur in gratiam Friderici Pulchri.* 25. *suspectus fratricidij.* 35. *exul in Anglia.*

5. *Ludouici Bauari Imper. natalia* 6. *cur sic dictus.* 7. *vxores: aspirat ad Imperium.* 15. *promittit Fridericum Pulchrum eligere Imperatorem.* 19. *cogitur Imperium suscipere.* 22. *an iure electus.* 23. *vbi, & à quo coronatus* 24. *insidiæ in eum.* 31. *mouet in Fridericum, reprehenditur.* 33. *æquo marte pugnat cum Friderico.* 34. *non audet pugnare in Fridericum iunctum cum fratre Leopoldo.* 35. *fratrem spoliat Bauaria tutelam gerit filiorum fratris licet hostis.* 38. *ad Papam legatos mittit.* 45. *mouet in Leopoldum Austrium.* 46. *timet fratrum concordiam.* 48. *à suis deseritur. cogitat Imperium deponere.*

nere. 49. vires reparat. 50. Fausta prædicuntur: quam egenus. 54. victor vitam donat Friderico, & Henrico fratribus nec rogantibus. 57. Simultas cum Ioh. Rege Bohemiæ. 59. Ludouicum filium donat Marchionatu Branderburgico. 60. ducit Margaretam Hollandam. 63. citatur Romam à Papa Io: XXII. 64. tentat legatione Papam placare. 67. appellat ad Concilium. 68. nimis procax in Papam. 74. cladem accipit. 75. fugit; Iudæos multat. 77. Fridericum dimittit quo pacto. 83. Romam vocatur à Romanis. 84. comitia celebrat in Papam. 91. Mediolani coronatur. 95. Pisas obsidet. 96. liberè Pisis Dominatur. 98. iterum excommunicatur. 105. Romam ingreditur. 106. coram eo Clerus Rom. recusat Sacra facere. 107. creat Castrucium, *Con. item Palatij Lateran. 108. coronatur Romæ: prandium exhibet in ara Cœli. 109. Galeacios in gratiam recipit. 112. tributum Romanis imponit. 113. damnat Io. Papam. 114 Antipapam creat. 117. ab Antipapa coronatur. 118. tumultuantem militem compescit. 119. ab Vrbe fugit. 120. eius nomen abradunt. 121. Tudertinos populatur. 124. Pisas recuperat. 126. à Mediolanensibus aurum exigit. 129. in Mediolan. mouet. 133. Parmam, Mutinam, Regium in fidem accipit. 134. Germaniam repetit. 136. prohibet Ecclesiæ decimas colligi à Io: Papa. 137. ab Angelo monetur monasterium ædificare. 147. Papam accusat, in comitijs Norimberg. 148. excitat Austrios in Ioh. Regem Bohemiæ. 149. tentat placare Pontificem legationibus. 151. cogitat renunciare Imperium Henrico Bauaro nepoti. 155. gratus Benedicto Papæ XII. 160. humiliter scribit Pontifici. 161. errores fatetur. 165. Tirolenses ditiones Austrijs dat. 167. Fœdus init cum Eduardo III. Anglorum Rege. 170. adest synodo Spirensi. 171. iterum supplex Pontifici scribit. 172. non absoluitur, quia meticulosus erat Pontifex. 175. Leodiensem cogit iura accipere. 176. comitia Renseana cogit in Papam. 178. fidei confessionem edit. 179. prohibet recipi literas Apostolicas. 181. Bullas Pontificias nullas declarat. 183. legem edit, ne subditi alibi, quàm coram Imperatore respondeant. 185. Reinaldum Geldrum Ducem creat. VVilhelmum Iuliacensem Marchionem. 186. renunciat federi Anglo. 188. punitur filiæ infantia perpetua. 189. Bauariæ hæres. 194. Ludouici fœdus cum Gallo. 195. tentat Anglo reconciliari. 197. diuortium decernit in causa matrimonij; dispensat gradibus affinitatis. 201. à Clemente iterum excommunicatur diebus festis toto in orbe renouantur diræ in eum. 202. queritur in Rege Gallorum, velut auctorem dissidij cum Papa. 203. Comitia habet Francofurti in Papam. 206. tentat hostes placare. 207. tributum pecuarium iubet. 208. à Clemente Papa exauctoratur. 211. à ciuitatibus Rhenanis iubetur non diffidere. 215. Fœdus renouat cum Alberto Austrio. 216. victoriæ. 230. veneno perit. 231. ministros tyrannos non corripuit. 232. odis habet clerum secularem; qui eo mortuo canit. 233. ei tumulum negant Augustiniani. 234. a Maximiliano donatur Mausoleo. 235. Symbola. Inscriptiones.*

2\. *Isabella Geldria desponsata Friderico Pulchro Imper.*

3\. *Elisabeth Arragona vxor Friderici Pulchri Imper. vnice diligit maritum. 36. coronatur.*

4\. *Friderici Archiduxis Austriæ filij Friderici Pulchri effigies, symbol.*

4\. *Annæ filiæ Friderici Pulchri effigies, symbolum.*

4\. *Elisabethæ filiæ Friderici Pulchri effigies, symbolum.*

8\. *Beatrix Polona vxor Ludouici Bauari Imp.*

9\. *Margareta Hollanda vxor Ludou. Bauari Imp. 61. effigies. 210. cogitat pugnare contra Carolum Bohemum. 215. Hollandiæ hæres.*

17\. *Nicolaus Boch fraudatis literis Electoris Brandeburg. Ludouicum Bauarum eligit Imper.*

25\. *Truchsessius tentat occidere Ludouicum Imper.*

26\. *Leopoldus* gloria militum, *frater Friderici Pulchri ducit in Heluetios. 30. à fatuo seriò admonitus. 36. ducit Catharinam Sabaudam. 43. in Solodurum mouet, sed pietate victus pacem dat. 44. in Nemetes mouet. 52. populatur agros* Montfortij. *58. quantum doloris senserit de captiuitate fratris. liberalis & gratus erga Archiep. Salisburg. 62. omnia mouet, vt fratrem liberet. 72. Imperij insignia restituit Ludouico 73. cum Mago paciscitur libertatem fratris. 75.*

fugat

FRIDERICVS PVLCHER ET LVDOVICVS BAVARVS OCCIDENT. IMP. XXXIII. & XXXIV.

LIBER XXXIII. & XXXIV.

CAPVT PRIMVM.

1. *Veritas latere non potest 4. hieroglyphicum veritatis. 6. Fridericus Pulcher, Henricum Imper. in Italiam comitatur 7. Io. Austriacum parricidam Alberti monasterio includit. 8. dolo legati Brandeburgici non eligitur Imperator. 9. pugna cum Ludouico Bauaro. 10. fugat Ludouicum. 11. nuptiæ cum Elisabetha Aragona. 12. captus à Ludouico Bauaro. 13. constantia eius in captiuitate. 15. recusat carcerem exire ope dæmonis. 16. liberatur, & regnat cum Ludouico. 17. mors.*
39. *Benedictus Papa timore correptus, non parcit Ludouico Bauaro.*
43. *Carolus Bohemus emit Electorum suffragia. 44. vincitur.*
11. *Elisabetha Aragona quàm vnicè amaret Fridericum Pulchrum Imper. virum suum.*
14. *Leopoldus gloria militum frater Friderici Pulchri quam vnicè fratrem dilexerit: dæmonem conducit in subsidium fratris.*
20. *Ludouicus Bauarus Imperator filius Ludouici Seueri. 21. iurat non ambire Imperium, postea assumit. 22. literatos amat. 23. fratrem Bauaria spoliat. 24. à suis desertus, cogitat Imperium deponere, 25. egestate laborat. 26. Fridericum Pulchrum captiuum ducit. 27. liberat. 28. arma sumit in Papam. 29. Papam damnat, Antipapam creat. 30. excommunicatur. 31. prandium exhibet in ara Cœli. 33. caritate laborat. 34. Roma fugit. 35. eius nomen Romani abradunt. 36. ministros tyrannos habet. 38. templum Deiparæ erigit. 39. tentat reconciliari cum Papa, nec imperat. 40. fœdus cum Anglo. 41. Fœdus renuntiat. 42. à Clemente Papa excommunicatur. 45. veneno perit. 46. ei sepultura negatur. 47. Clerus festum agit de eius morte. 48. sepultura donatur. 49. moneta, symbolum.*
21. *In iuramento an iurans comprehendatur.*
32. *Petrus Corbarius Antipapa. 37. prodigia in eum.*

1 Veritas (cuius in pectore *Friderici Austriÿ* fulget imago, circundata lauro) Temporis auspicijs è specu fugiens Inuidiæ, & Falsitatis, symbolum est, latere non posse, etsi tenebris inuolutam; diuino aflante testimonio, *nil occultum? quin reueletur: nil absconditum, quin sciatur*. Iuridica *Friderici Austriÿ* in Imperatorem electio, quamuis *Ludouici Bauari* obruta insidijs emergit tandem; & *Nicolai Bock* legati Electoris Brandeburgici, detecta perfidia, quis iure regeret (patet) habenas Imperij.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

Æmula Sors Geminos duxit præponere Reges;
Queq; suum Imperio, sed sine Fraude, Ducẽ.
Fraus est nulla Dijs; Hominũ tamẽ Inuidus orDuctus Auaritia, Fraudib⁹ ambit opes. (do,
Addita propitiæ Sorti Fortuna fauebat
Austriaco; at Bauaro Fraus dedit Imperiũ.
Proh, Genus Humanum! vicit patientia Diuũ,
Quot mala molitis, nequitiamq; Tuam.
Occultent puteo quamuis Mendacia, Verum;
Scit Pater è Tenebris ducere Tempus, Idẽ.
Hac igitur tandem detecta Fraude; vicissim
Cum Bauaro Austriacus Iura dat Imperio!
Pax, post Bella, redit Mũdo; Mũdũq; regendũ,
Alcides Alter, suscipit Alter Atlas.

M.Ant.Moles Neap.S.Th.D.

ALIA

Quod dolus occubuit, vel quod fraus credidit (vmbris
Quodque astus verum condidit in tenebris
Panditur in lucem tandem, quodq; abdidit æuũ,
Tandem de latebris euocat vna dies.
Sic vindex æqui tempus, caligine mersum,
Tempus idem rapit è faucibus inuidiæ.

Franc.Franzinus. S.Th.D.

FRI-



FRIDERICVS III. PVLCHER
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXIII.

V. *Fridericum*, quem non amare non potes, quia *Pulchrum*, *Sal. An. 1313.*
Admirare quia fortem.
Pulchrius cum sit, fortem esse, quàm pulchrum,
Stuporem conciliat, amorem trahit.
VI. *Imperatorem Henricum in Italiam comitatur.* Mentitur Poeta, inimica esse armorum, & amorum nomina,
Nam vna sede morantur Maiestas, & Amor.
Primus ad imperium gradus fuit obsequium Imperatoris.
Principatu suscepto, medicum egit,
Vt aureis moribus extingueret seculum ferreum.
VII. *Io. Austriacum parricidā Alberti monasterio includit.* Sic fulgebat, & fulminabat Iupiter Austrius.
Vindex paternæ cædis *Ioannem* patruelem,
Qui gemino parricidio Cæsarem cædens,
Et patris fratrem, & patriæ patrem sustulerat;
Ne reus esset Austriaci sanguinis, quem vlciscebatur,
Inuisum Cœlo scelus expiare coegit in cella,
Spoliatum bonis, quorum amore peccauit.
VIII. *Legatus Brandeburgici abraso in literis Credentialibus nomine Friderici, scribit Ludouicum.* Mors interim *Henrici VII.*
Vrnam vnam duas scidit in partes.
Brandeburgici Oratoris perfidia fidem *Friderico* minuit & vota,
Adultera manu *Ludouico* pro *Friderico* supposito.
Hinc in discordiam abiere suffragia, in bella Imperium. 1316.
Ad nouam Pharsaliam concrepant Aquilæ; stat Cæsar in Cæsarem.
Coronatur vterque, *Ludouicus* vbi debuit, non à quo debuit
Fridericus non vbi debuit, sed à quo debuit,
Is Romæ à Coloniensi, ille Aquis à Moguntino.
IX. *Pugna Friderici cum Ludouico.* Prima ad Eslingam pugna totis concussi penè viribus Orbis,
Virtute pari, æquo Marte, communi clade, neutrius victoria:
Nox pugnam diremit,
Ægrè ferens cognati sanguinis cædem inspicere.
X. *Nouam pugnam Ludouicus detrectat.* Spiram Nemetum, Nemesim suam respirare credens *Ludouicus*
Iter cœpit, vt *Leopoldum* interciperet, sed receptui cecinit,
Quòd vrgente *Friderico*, fratrum concordiam inuictam crederet.
XI. *Nuptiæ Friderici cum Elisabetha.* Ardorem belli flamma mitigauit amoris,
Venerem Mars quæsiuit Austriacus, sed pudicam.
De Cœlo vt credas, tulit ab vltima Thule
Elisabetham Aragonum Regis filiam.
Expetita ad coniugium, iugum petijt,
Et in Fidei speculo docuit fœminas, quomodò amarent.
Vix nupta, iam vidua viuente marito,
viro amisso, vires omnes impendit, vt redimeret;
Erutis sibi oculis vt Maritum in lucem erueret,
Vel præter eum videret neminem.
Verè cæcus est amor.
Vtroque superstite, neuter vixit.
Tenebris obruti ille carceris, hæc cæcitatis.
Orba adeò precibus fatigauit Orbes,
Donec Amor in sede Maiestatis *Fridericum* reposuit.
XII. Solent amorum tedæ, armorum tædium afferre

Ar

At *Fridericus* de coniugali Toro
Ad debellandos hostium toros desiliens,
Pro matre Ecclesia, quam amauit, fratrem armauit.
Bauariam ingressus, *Ludouici* tergum dumtaxat vidit,
Nulla maior victoria, quàm quæ confessum vinci vincit.
At *Ludouicus* fugæ probrum probo milite deleturus,
Reponit in arma viros, & furorem.
Occurrit *Fridericus* non expectato *Leopoldo*,
Minor viribus, sed maior animo,
1322. Vt ferro iudice, litem Orbis finiret.
Octonos tonuère annos aspera bella,
Tandem palma *Ludouico* fauet;
Fauere haud poterat *Friderico*, cum huic deesset *Militum Gloria*.
Victor *Fridericus* virtute, proditione victus,
Victoriam reliquit in puluere.
Austriaco Bauari potiti vexillo,
Tecti puluere, quem coniurati venti excitarant in Austrios,
Signo mentientes amico inimicos exciderunt.
Quinquagenos cum regia manu *Fridericus* confecisset,
Capitur nobilium irarum plenus,
Quasi non deditus, sed hostes prouocaret ad pugnam.
Eo vultu ingressus carcerem, quo Capitolium victor,
Libertatem in seruitute seruauit.
1324. *Principes viri nunquam toti capiuntur.*
Triduum captiuitatis, vt triduum quietis sustinuit.
Solus *Leopoldus* non inuenit requiem.
Flectere nequiens superos,
Haud timuit in *Ludouicum* Acheronta mouere.
Amor Proteus omnes induit formas;
1325. *Tam religiosum par fratrum nec Argi spectauerunt.*
Plutonem ipsum Concordia excantauit,
Paredrum Dis misit, sed dictis parère *Fridericus* renuens,
Maluit cum Cruce vinciri, quàm sine Cruce vincere;
Vicit tamen, & vixit, ac fugauit, cum dæmonem fugijt.
Mutauit Fortunam Religio.
Nam penè interceptus Bauarus, ponè Austrium liberauit.
Vt gemino Sole, & Solio, solum illustraretur Germaniæ,
Ex hostibus hospites non collidentes, sed colludentes
Pari titulo, sed impari iure regnabant;
Cum inuida Fatorum series, quæ summis stare diù, negat;
1330. In *Ludouicum* sorores immisit immites:
Sçuaque triumphalem Augustum mors ipsa triumphat.
Castra pietatis ingressus, extremam in choro fudit vocem,
Pax
Quam in Ara inuenerat, non in aula;
Vel vbi omnes sunt Reges, & sine Æmulo regnant.

Quòd non expectato Leopoldo fratre, qui dicebatur Militum Gloria, succubuit Fridericus.

XIII. *Friderici constantia in carcere.*

XIV. *Leopoldus frater Friderici Pulchri, dæmonẽ conducit in subsidiũ fratris.*

XV. *Fridericus recusat fugere ope dæmonis.*

XVI. *Liberatur, & regnat cum Ludouico.*

XVII. *Friderici mors eius vltimũ verbum Pax fuit.*



Monetam *Friderici Pulchri* Imp. vide pag. 80.

Symbolum Friderici Imper. vide n. 19. & n. 140.

Anna uxor Alberti Regis Poloniæ. cis Carin — Elizabeth. ux. Joan. Regis Bohemiæ









Ludovici. V. Imper. Moneta Aurea







Symbolum Ludovicus V. Imper. — Caroli IV. Imp. Moneta Aurea.









Moneta Aurea Wenceslai Imper. — Symbolum — Carol. IV. Imp. Symb









Friderici Imper. Moneta Aurea — Moneta Aurea Sigismundi Imp.









Symbolum ux. Sigism. — Barbaræ. Symbolum Sigismundi — Sigismundus









LVDOVICVS V. BAVARVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXIV.

Sal. An. *Mitem* miraris *Ludouicum*? iure XX. *Filius Ludouici Seueri.*
Nam eum *Seueritas* genuit.
1314. Fraude fortius aleam, aulam *Friderico* negauit iuratam,
Quasi regni causâ peierare licêret. XXI. *Iurat non ambire imperium Friderico Austrio.*
Vel in iuramento persona iurans exciperetur.
Specie recusantis cum flagrantissimè cuperet Imperium,
Dignitatem opponebat Augustam in angusta domo vilescere,
Regnare iussus, vel perire,
Perijt, quia regnauit.
Hoc bonum sub malo habuit;
Musas, quas non coluit puer, excoluit senex, XXII. *Virtus regnanti necessaria.*
Expertus Iouem ipsum posse regnare, non sine Pallade.
Ante imperium modestus, & *Mitis*
In imperio immodestus, & immitis XXIII. *Fratrem Bauaria spoliat.*
1316. Fratrem sic amauit, vt in eum primò armarit,
Sustulit, vt se extolleret.
Inconstantiam Fortunæ constantia vicit.
Cum eum in templo cædere, quò securiùs caderet, cogitarent: XXIV. *A suis desertus cogitat imperium deponere.*
Ac ptius perditum quàm proditum suorum fuga, non tuba clangeret:
Amicorum auxilia, atque consilia expertus fallacia,
Vt ridentis fortunæ infortunium,
Quæ vità celabat vitæ discrimina
In sinum eius reijcere decreuit mendacia munera:
Et semel recumbere, quàm toties occumbere.
Ita sibi consulens; amicos consuluit, & agnouit
Idem esse cedere, & cadere: nec modestiæ, sed imperitiæ.
Hinc ad arma, quæ ministrarunt Astra.
Lauros Arioli proludebant, & lauream.
1322. Vndecim librarum Fortuna ducta congiario, XXV. *Aegestate laborat.*
(Non plus æris erat *Ludouico*)
Victoriam Victo, & victorem tradidir *Fridericum*. XXVI. *Fridericum Pulchrum vincit, captiuum ducit.*
Hunc captiuum tenuit, donec concordia discordi
Vnà coirent prò *Friderici* libertate Deus, & Dæmon.
Quasi Iupiter, Plutone inuito,
Fridericum de manibus *Ludouici* extorquere nequiret. XXVII. *Fridericum liberat.*
1325. Mortuo tandem *Friderico*, quem timeret, neminem habens,
Vanida victoriæ distentus aura,
(*Qui felicium est morbus*) XXVIII. *In Papam arma sumit.*
In Pontificem ab infidelibus fidem emit,
1326. Impietatis magistrum *Ochamum* audijt,
Inito fœdere, vt is calamum, ille gladium mutuarent.
De hæreticis optimè meritus,
Quos auxit, & adorauit,
Sacerdotali vsurpato iure,
1327. In concilio impiorum, præsidens in cathedra pestilentiæ,
Religionem mutauit, non sustulit. XXIX. *Papam damnat, Antipapam creat.*
Ochamos, Jandunos, Marsilios, Dantes,
Quemlibet veneratus, ne Pontificem veneraretur.

In synagoga tyrannorum, quos prædæ consortes fecerat, *Fal. An.*
Romanum Iouem ipso in Olympo aggressus,
De Quirinali deiecit.
Is ne perditus videretur, *Ludouicum* perdidit,
Et viuum inter mortuos reposuit.
Bis Coronato

XXX. *Excommunicatur.*

Ferream Mediolanum, auream S.P.Q. R. coronam imposuit:
Pontifex vtramque deposuit. 1328.

XXXI. *Prandium exhibet in Ara Cœli.*

Romam ingressus, Mortales dæmones excepit in Ara Cœli;
Et cum Augustis pernoctauit in Capitolio.
Inde erecto abominationis Idolo in loco sancto,
Vrbem lustris impleuit, non lustrauit.
Vbi vulgo Deum poscenti, lapidem non Petram dedit;

XXXII. *Petrus Corbarius Antipapa.*

Vel lapidem offensionis, & petram scandali:
Cum *Petrum Corbarium* hara dignum in ara reposuit. 1328.
Nec satis exarsisse lingua, arsit flamma,
Quæ stupida, mox feruida,
Sacros omnes cineres voluisset absumere,
Ne profano populo quid superesset, quo Deum placaret.

XXXIII. *Fames in exercitu Ludouici.*

Prouocata Numinis ira *Ludouici* famam fame domuit.
Annona deficiente,
Iam non erat, cur se Romanis mœnibus, aut manibus crederet.

XXXIV. *Fugit ab vrbe.*

Improbus inter probra Viterbium fugiens,
Nomen exculpsit in omen,

XXXV. *Ludouici nomen Romani abradunt.*

Sed extemplò de templo abrasit Religio,
Vt cum sonitu memoria periret.

XXXVI. *Ministros tyrannos habet.*

Vocatus ab Italis, vt tyrannos tolleret, seminauit;
Vt plures essent, quàm vrbes.
Anathema Pontifici cum PseudoPontifex rependere vellet;
Fremuit Cœlum, ne Pisani auscultarent; 1329.
Exiturum de centro, nisi ille de templo.

XXXVII. *Prodigia in Antipapam.*

Audijt in tonitru *Ludouicus* veritatem è Cœlo delapsam,
Nec aliter fas erat, audire, vel dicere.

XXXVIII. *Templum Deiparæ erigit.*

Germaniam repetens, tentauit impietatem pietate defendere,
Patronam conduxit Virginem Matrem templi stipendio.
Tot inter errores non aberrauit ab ea,
Quæ est *Peccatorum refugium.*
Voluit etiam pœnitere, nec potuit;
Quòd mortuo *Joanne*, etiam *Benedictus* malediceret; 1336.
Qui cum teneretur benedicere, nollet, vel non posset;
Peccanti attentus, non precanti:
Quasi ligare posset, non soluere.

XXXIX. *Tentat reconciliari cum Papa Benedicto; sed is timore Philippi Valesij Regis Francorum, recusat parere.*

Veniet summa dies, quæ die caret:
Et de manu tua (*Benedicte*) animam *Ludouici*
Requiret inexorabilis Iudex;
Illam, & tuam de manu *Philippi Valesij*
Cuius timore, seueritate peccasti.
Impatiens *Ludouicus*
Iustitiam nolens expectare, maluit arripere,
Sed omissa patientia, amisit innocentiam. 1337.
Salutem ferro reposcens,
In Gallos excitauit Anglos,

Eduar-

In seipsum, vicarium Dei.
Quam Ferus *Ludouicus* fuerit? habes:
Ipsum *Clementem* habuit inclementem.
Mors, quæ omnia soluit:
Anathema nequijt *Ludouici* dissoluere. *Veneno à muliere tollitur.*
1348. Tantum Martem Venus vna ligauit;
Dum viro virum præbuit.
Pacem, quam inter viuos quæsiuit,
Nec inter mortuos inuenit.
Manes opus fuit custodire manibus:
Quibus cum non in Cœlo, nec ad inferos Papa pepercerit, *Clerus canit, pro morte Ludouici.*
De sepulchro *Ludouicus* clamat:
Si ascendero in Cœlum, tu illic es:
Si descendero in infernum? ades.
Clerus præficam agens,
Epinicium canit, non epicedium:
Et Luget quia serò mortuum
Cœlo, terraque pulsus, quieuit tandem in sinu eius, *Sepelitur in templo B. Virginis.*
Quæ est *peccatorum refugium*.
Eodem sæculo XIV.
Vixit, deuixit, reuixit. *Mausoleo donatur.*
Vixit homo, deuixit Petro, reuixit in lapide, vel in Petra?
Scit qui viuorum, & mortuorum est iudex.

Monetam Ludouici Bauari vide pag. 132.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM.

FRIDERICI PVLCHRI GENESIS, VXOR.

I. Fridericus I. Archidux Austriæ, cognomine *Pulcher*, ex *Alberto I.* Imperatore, & *Elisabetha* nascitur; vir elegans, statura procerus, liberalis, omnibusque gratus.

II. *Isabellam* filiam *Reinoldi* Comitis Geldriæ desponsauit, sed ob patris proditionem ducere noluit.

III. *Elisabetham* filiam *Iacobi* Aragonum Regis coniugem habuit, quæ eum vnicè amauit, tantoque amore *Friderici* flagrauit, vt nihil intermitteret, quod ad viri salutem spectaret Peregrinationibus, ieiunijs, adeò se castigauit, vt oculos penè visumque amitteret, flens diù, nouumque ob captum maritum, donec liberaretur, ex quâ ei nati sunt.

Fridericus Iunior Archidux Austriæ, &c. cuius symbolum, & effigiem vide pag. 80. IV.

Anna vxor *Alberti* Regis Bohemiæ; postea *Io: Ducis* Carinthiæ eius effigiem, symbolum vide pag. .


Elisabeth vxor *Ioh.* Regis Bohemiæ &c. cuius effigiem, symbolum vide pag. . .

LV-

LVDOVICI BAVARI IMPER. NATALIA.

v. Ex *Ludouico* patre Comite Palatino, & Electore, atque Duce Bauariæ, qui plures habuit coniuges; & *Mecthilde* Rudolphi Habsburg. Imperatoris filia, tertia coniuge *Ludouici Seueri*, nascitur *Ludouicus Bauarus Imperator*. Fratrem habuit *Rudolphum Palatinum* ad Rhenum.


VI. *Ludouicus V.* dicitur, quia inter Imperatores, qui *Ludouici* dicti, *Quintus* in ordine fuit. *Cognomento* dicitur *Bauarus*, quia Dux Bauariæ, in qua natus, & educatus. Genesim suam ab *Othone VVitelsbachio* Comite ducit, (huic *Fridericus AEnobarbus* Bauariam cum Palatinatu tradidit) Illius frater *Philippum* Imperatorem dolo interfecit.



VXORES LVDOVICI BAVARI. LIBERI

VII. Tres habuit. Primùm, non genus sed diuitias respiciens, cuiusdam comitis filiã duxit auro non antiquitate fulgentem. Improlis Hæc obijt, & dotis maior pars reddenda fuit. *N. Mutius lib. 24. p. 222.* Hac mortua, *Beatricem* duxit Regis Poloniæ filiam, ex qua nati sunt

VIII



IX. Tertia *Ludouici* vxor fuit *Margareta* filia *VVilhelmi* tertij, Comitis Hollandiæ, Selandiæ, & Frisiæ. Ex quâ geniti sunt

Ludouicus Imper. Vxor Margareta Hollan.

Albertus Dux Bauariæ Strobinensis Vxor Margareta Lignicen. Silesia.	Elisabeth Vx. Martini Scaligeri.	Otho Dux Bauar. & Marchio Brandeburg Anna filia Caroli IV. Imp.	VVilhel. Dux Hollandiæ ob. 1374. Vx. Metilde filia Henrici Com. Lancastri. Vide effigiem n. 61.	Ludouicus Romanus nat. Romæ 1328. ob. 1366. Vx. Ingelburga filia Alberti Duc. Mechilburg.	Hagela Vx. Ducis Virtebergensis.

VVilhelmus Comes Hollandiæ. ob. 1417. Vxor Margar. filia Philippi Duc. Burgundiæ.	Ioh. Ep. Leodien tutor Iacobæ Vxorem ducit An. 1424. ob. 1426. Vxor. Elisab. filia Io. Duc. Lucelburg. vidua Antonij Duc. Brab.	Margar. Vx. Ioan. Duc. Burg. filij Philippi Audacis.	Cathar. Vx. Edoardi Geldriæ Ducis.	Iohanna Vx. Alberti Iun. Ducis Austriæ.	Albertus Celebs

Iacoba hæres Vx. Ioh. filij Caroli 6. Regis Franciæ. II. Iohan. Duci Braban III. Hunfrido Glocestriæ Duci IV. Comiti de Osteruant.

Imperij Occupatio.

X. Sublato *Henrico*, quatuordecim ferè mensium interregnum fuit; digladiabantur interim Austriaci, & Bauari, mortuo anno superiori, *Othone* Bauariæ Principe, qui suis & *Stephani* fratris liberis *Ludouicum* agnatum suum tutorem dederat. Obseruant etiam *Clemens* Pontifex, & *Philippus* Rex Gallorum, & hoc mirabile, quod vno anno *Imperium*, *Sedes Romana*, & *Regnum Galliæ* vacarint.

XI. *an.* 1314 Non. Octob. An. 1314. Electores Francofurti Moguntinus conuocat; imperium flagrantibus duobus consobrinis *Friderico Austriaco* cognomento *Pulchro* (qui ab eleganti, & procera statura sic cognominatus est) & *Ludouico Bauaro*. Friderico Austriaco aduersabantur *Petrus Archiep. Mogunt.* (inclementius prædecessorem suum ab Alberto habitum memor) *Balduinus Treuirensis*, & *Io: Rex Bohemiæ*, qui legatum miserat.

XII. *Querela Fridericum Pulchrum.* Crimini *Friderico* dabatur cum Rege *Roberto*, quem *Henricus* proscripserat, affinitas, *Catharinam* enim *Alberti* Cæsaris filiam vxorem dederat *Carolo* Duci Calabriæ, *Roberti* Regis filio; Nec non fœdus initum cum *Henrico Carinthio*, quem suspicabantur de Bohemiæ regno sibi erepto, noua moliri. Ambitus etiam in eo, nimis reprehendebatur, & immodica in plerosque largitio. Stabat tamen in partibus Friderici *Ludouicus Palatinus*, & *Rudolphus* Duces Bauariæ, qua spe illectus cum exercitu Francofurtum pergit. Vrbe prohibitus, castra ad Mœni ripam
XIII. *Cōtrouersia septēvirum.* ante vrbem locat. Comitia non minus fatigabat eligendorum ambitus, quàm discordia de iure eligentium. *Johanni* Regi Bohemiæ, demortui Cæsaris filio obstabat *Carinthius*, cui, nondum posito Regio titulo, ob nuptias cum *VVenceslai* Regis maiori natu filia, *Henricus* adiudicauerat regnum; & huic cohærebat Septemuiratus, quem non nisi Regi permittunt leges. Dissidebant etiam Duces Saxoniæ *Io. III. & Rodulphus.*
Nec sine riuali fuit *Branderburgicus VValde-* XIV.
marus, cui negotium facesserat filius Henrici fratris, quem vulgo dicebant *Principem sine terra*. Dissidijs compositis de iure eligentium; electionem distrahebat affectio. Moguntinus *Friderico* infensus, in partes traxerat *Balduinum* Treuirensem Archiep. fratrem *Henrici* Cæsaris, consanguineum *Iohannis* Regis Bohemiæ. E diuerso *Henricus* Coloniensis ex comitibus Virneburgensibus, cuius neptis nupta erat *Henrico Austrio* fratri *Friderici*, nomini tenebatur Austria-
co, *Ludouicum Bauarum* solumodò riualem XV.
timebat *Fridericus*, & Superiorem, quia illi etiam armis impar fuerat, quibus pro agnati tutela disceptauerant. Nobile itaque *Ludouici* pectus beneuolentia exarmare *Fridericus* aggreditur. Opem suam ad captandum, *Ludouico* offert imperium. Beneuolentiam sibi rependi efflagitat, vt vicissim alter alterius causam iuuaret. Fortunam pro altero ipsorum stare; si concordes de suprema in orbe dignitate transigerent, & à *Friderico* Ludouicus acciperet vel daret; si *Friderici*
dignitati gloria, & fortuna *Ludouici* non de- *Fridericus capiat vota Electorū.*
esset. Hisce victus *Ludouicus* blanditijs, maius ducens regnum dare, quàm accipere, respondit *tàm graues in paruo imperio reperisse curas, vt in magno longe grauiores quæsiturus non esset. Studium suum beneuolum cognato fore sanguini prò certo haberet; cæterorum electorum*

an. 1314 *Horum vota prensaret, expugnaret largitionibus dubios, auro vinceret inimicos*. Hisce

XVI. invitatus *Fridericus* Rudolphi Boij iam à *Ludouico* auersi ex discordia familiæ herciscundæ, votum pecunia parauit. Reliqua eodem hamo captasset, ni Moguntinus obstitisset. Conuocatis electoribus, cũ *Fridericus* abesset, eorum opinio præualuit, qui *Ioannem* Saxonem, non *Rudolphum* (cuius suffra-

XVII. Nicolai Bock perfidia. gio *Fridericus* potissimùm nitebatur) in collegij tabulas retulerunt. Cum itaque in suffragia iretur, *Nicolaum Bock* equitem auratum, *VValdemari* Branderburgici legatum Moguntinus muneribus corrupit, vt in literis fidei, quas vocant *Credentiales*, expuncto *Friderici* nomine, *Ludouicum* substitueret. Non scelus tamen tulit impunè, statim enim à Domino suo in carcerem detrusus est, vtque maior ipsius foret cruciatus, lautissima fercula, quibus hunc cupidè vesci sciebat, apponi & à custodibus adhæc adhibi-

XVIII. Punitur. tis, vocari iussit, vt fame pereundo, pœnas daret. Tantis Moguntini technis, illud accessit grauissimum *Friderico* vulnus, quod post modestam postulationem *Friderici* factam à *Ludouico Bauaro*, ipse *Ludouicus* delectus est, tanto optabilior, quanto minus inuidendus. Modestia recusantis augebat

XIX Ludovic. Bauarus eligitur Imperat. meritum. Fidem *Friderico* datam, ita tem perabant, quod in promissione *Friderico* facta, *persona loquens exciperetur*. Iuuenta senilibus curis imparem excipienti; & ærarij sui inopiam, summæ rerum inæqualem, vnde dignitas Augusta in angusta domo vilesceret; responderunt, *alacriter Imperium scanderet; auxilia non defutura eligentium*. Renuenti tandem, & constanter protestando *fortioribus humeris molem destinandam imperij*; Princeps legationis (an ex Comitiorum mandato, vel à seipso latet) dicendi finem imposuit. *Vel regnaret, vel periret. Quod mallet, eligeret*. Tunc suaui violentiæ acquiescens, iussit Patribus renunciari. *Si sic expedit Reipublicæ, non inuitus sed lubens onus subeo*. Rebus itaque in hunc modum paratis, Francofurti conuenere vnanimes, *Moguntinus, Treuirensis, Rex Bohemiæ, Marchio Branderburgicus, & Ioannes Dux Saxoniæ*: cum in aduersa Mæni ripa staret *Fride-*

XX. *ricus Austrius* cum *Henrico* Archiep. Colon. *Rudolpho* Bauaro fratre *Ludouici* Septemuiri, & futuri Cæsaris; & *Henrico Carinthio*. Dies electionis dictus fuit decimus octauus Octobris, D. Lucæ sacer. Venère suffragatores an. 1314 *Ludouici*. Fridericus cum suis nec misit nuncium, qui excusaret absentiam. Poterat secessio prò Comitij haberi contemptu: attamen pacis studio, electio dilata est in diem vigesimum mensis Octobris, vt interim citarentur absentes. Sed frustra, nam vt ante biduum non venère, nec submisere, qui vices obirent. Nec latet, plurima ex his commentitia dici à Bauaris, vel ab Austriacis.

Quælibet natio Dominum suum Cæsarem dicit. Pseudo Imperatorem *Ludouicum* Austria insimulat. *Fridericum* nominis Cæsarei vsurpatorem Bauaria accusat. Quis plura suffragia tulerit? Difficile est inquirere, cum præiudicialis vrgeat quæstio de iure eligen- XXI. Historia discordis de votis Ludouici, & Friderici.

tiũ. *Carinthium, & Rudolphum Saxonem* excludunt Bauari, includunt Austrij. Quid asseram, non habeo. *Carinthium* Regem video, sed sine regno: A Bohemis iuste ele- XXII. Auctoris dubium.

ctum, vi expulsum. Electoratus suffragium an amiserit, iuris est quæstio, quam tamen vt nondum Gordium, non calamus, sed gladius soluit. Historici non iudicis hic vices agens, ad ea quæ facti sunt, me conuertens lego ambos à sua factione electos, sequenti anno *Ludouicum* Aquisgrani à Moguntino, & Treuirensi, *Fridericum* Bonnæ à Coloniensi, coronatos fuisse. Hic à quo debuit, sed non vbi debuit. Ille vbi debuit, sed non à quo debuit. XXIII. Fridericus, & Ludouicus Cæsares electi

Hoc tamen inaugurandi munus asserunt Bauari ante Bullam Auream non à Coloniensi modò, sed etiam à Moguntino, & Treuirensi fuisse *vsurpatum*, vnde inauguratus fuerit *Ludouicus* ab eo qui potuit, & loco quo debuit. Si *vsurpatum* vrgent Austriaci, vitiosa ergo *Ludouici* exordia. Sed ad iuris cancellos, similia remittendo dissidia, insidias in *Ludouicũ à Truchsessio Altzeiensi*, structas videamus. Cliens Friderici erat *Truchsessius*, sed inscio domino scelus tentauit. Locus coniurationis *Heidelberga*, ciuitas *Rudolpho* Ludouici fratri fidelis, *Rudolphum* ipsum in suspicionem societatis referebat. Temeraria suspicio, quæ bellum apertum in sacrilegam, & nefariam proditionem conuertit. Sui decoctor patrimonij *Truchsessius*, grandia sibi à *Friderico* præmia pollicitus, desperatione dictante nefas assumit. Adscriptus olim *Ludouici* familiæ fuerat; in eam simulato obsequio, XXIV. XXV. Insidiæ in Ludouicum.

denuo

An. 1315 denuo tentat irrepere. Tela præparat, veneno tingit, sago arcum tegit, cuncta ita disponit, vt nisi stolidè socios adhibuisset, actum erat de *Ludouico*. Degebat tum Oppenheimij cum Moguntino accessu facilis, incogitansque discriminis. Quum Heidelberga, aduolant nuncij *Ludouicum* monentes, ad fore *Turchsessium* nouo more indutum ad tegendas insidias, quibus vitæ Cæsaris immineret. Adfuit postridie, sed vix pedem intulerat, quod catenis vinctus, quæstionem subijt capitalem, & conuictus, ad rotam rapi iussit *Ludouicus*.

XXVI. Interim cum alter alterum vitio creatum certarent, neuter verò Magistratu abiret, latrocinia, intestinæ cædes Germaniam vexabant. Inferiores ad Rhenum ciuitates *Ludouicum* agnoscebant, superiores *Fridericum*. Inter Heluetios pagos Vrios, Vnderualdios, & Suitenses *Ludouicus* habebat obsequentes. *Fridericus* reliqua oppida præter *Bernam*, & *Solodorum*, quæ vtrunque auersabantur. Cum Austriaco Comites, & nobiles quidam in primis *Hugo*, *Henricus*, & *Albertus* fratres *VVerdembergici* fœdus contra *Ludouicum*, Vrios, Suitenses, & Vnderualdios faciunt. Illorum auxilijs ad se vocatis *Leopoldus* Friderici frater, is qui postea *Gloria Militum* cognomen tulit, in Suitenses duxit; eos vt deterreret in comitijs *Rotuilensibus* proscribi, & ab Episcopo Constantiensi excommunicari facit; quod cum resciuisset *Ludouicus*, in Comitijs Nurembergensibus restitui curauit, & imperio consociari; vt ex sequentibus. An. 1315 XXVII. *Leopoldus Gloria militum* XXVIII.

Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper-Augustus, Prudentibus viris vallium in Vnderuuald, Vrach, & in Suitz, fidelibus suis dilectis gratiam suam, & omne bonum.

1 *Maiestatem noueritis Regiam aduersitatibus vestris ex animo condolere. Veruntamen, annuente Altissimo, speramus vestris doloribus breui in tempore per nos remedia salubria exhiberi. Vnde tanquam viri constantissimi aduersariorum comminationibus, non sinatis animos vestros aliqualiter demulceri.*

2 *Præterea, vt ex scriptis vestris collegimus, vos ex parte cuiusdam Abbatis, dicti de Einsidel, ad proscriptionis sententias peruenisse, à quibus vos præsentibus absoluimus, restituentes personas, & res vestras in statutum pristinæ libertatis.*

3 *Adhæc de sententijs excommunicationum in vos latis venerabilis Petrus Archiepiscopus Moguntinensis, Princeps noster dilectus, absolutionem committendam Decanis, & Rectoribus Ecclesiarum vestrarum vobis veraciter repromisit, & se eisdem velle suas dirigere litteras authorizabiles, & patientes.*

4 *Et securos vos reddimus, quod omnibus Aduocatis, & fautoribus nostris, tum Nobilibus, tum Ciuitatibus, vos defensare, & coadiuuare præcipimus, & monemus, quoties & quandocumque per vos fuerint requisiti. Datum in Nurenberg. viij. Kal. Iunij, Regni nostri anno primo.*

XXIX. *Gasleri sæuitia.* Nec prætereundum quod de *Gaslero* narrat *Crusius* Vriorum, & Suitensium præfecto. Fauebat is *Friderico*; vnde pileo in pertica erecto, iusserat huic reuerentiam à rusticis exhiberi. Recusauit quidam *VVilelmus Tellius*, qui in pœnam à sæuo Præfecto coactus fuit, pomum capiti filij sui, ætate pueri, impositum ipse eminus stans, sagitta deijcere. Fecit inuitus, sed tamen feliciter. Interrogatus à tyranno: *quid sibi vellet altera sagitta; quam à tergo sub cingulo fixam tenebat*; respondit: *se eam, si puero aliquid sinistri accidisset, in Præfectum ipsum coniecturum fuisse*. Ideo ab eo captus, nauigio aduectus est. Sed orta tempestate maxima in lacu: omnibus vectoribus ad salutem elaborantibus: ipse quoque, vt nauem remigio adigeret, vinculis est solutus. Tum inter *Vraniam*, & vicum *Brunam*, in terram exiliens, se in via, qua Præfectus transiturus erat, abdidit: eumque insiditus sagitta confecit. Exinde coniuratio in nobiles, & præfectos Heluetica orta est: libertasque à paruis profecta initijs, paulatim ad claram gentis gloriam, in maius excreuit.

Non dispari fortuna certauit *Leopoldus*, ad *Morgatum* cum Heluetijs. Cum deliberarent duces, qua parte in eam regionem inuadendum esset; dicebat *Leopoldi* fatuus. *Vos quidem consultatis de ingressu; sed nemo de regressu*. Derisus fuit. Et temerè ingressi fauces, die S. Othmari nempe 16. Nouemb. apud Morgatum congressi, victi sunt, amissis equitibus Mille quingentis (inter XXX. *Fatui prædictio* *Leopoldus victus ab Heluetijs.*

quos

An. 1315 quos quinquaginta Tigurini, suæ ciuitatis colorem induti, cum omnes cecidissent in prælio, occasio fuere vt ciuitas Tigurina ad *Ludouicum* deficeret) Dux ipse ægrè per calles Syluestres, beneficio hominis locorum gnari euasit. Nec minus aduersus elementa luctare debuit infelix Germania. Aquarum elluuionem, & duos Cometas, vnius anni fames triennis consequitur, qua multi mortales perierunt; de qua rithmi leguntur eiusmodi.

Fames in Germania.

Albanis festa denarrant tristitia gesta,
Terrâ portentis tetigit manus Omnipotentis,
Imbribus innumeris mergũtur gramina quævis
Brutaq; cum stabulis pereunt, atq; oppida villis,
nota annorum numerum in vltima voce
Vt lateat nullũ tempus famis, Ecce CVCVLLVM

Dum itaque Germanorum alij *Friderico*, alij *Ludouico* student, in vtrunque plurimæ ciuitates fœdera ineunt, nè onera subirent
XXXI. discordiæ. Secutum tamen hic Spiræ periculum. *Fridericus* iam auctior *Leopoldi* fratris suppetijs, non procul à ciuitate consedit, *Ludouicus* accurrit, & in sepulchrali Iudæorum agro locatis castris, dum infestis signis congressurus credebatur, sibi diffidens, militem subducit. Eo abeunte, agrum spiræ suburbanum, & rusticanas opes graui damno
XXXII. *Fridericus* depascitur. Inde Eslingam pergit, vt obsidione cingeret. *Nicri* amnis alueum ab oppido auertere nitebatur; sed missilibus ab oppidamis impeditus discedit, instauraturus, quæ sibi deesse notauerat. Sequenti anno obsidionem instaurat. Tolerarunt aliquandiù ciues periculum, postea *Ludouicum* fecere certiorem. Venit impiger, vt communi periculo firmaret amicos, qui iam Eslingæ expectantes fortunam, videbantur nutare, & castra non procul ponit ab XXXIII.
hoste. Qui pabulatum exierant, velitari primùm inter se, nunc hi, nunc illi cedere, vtrique à suis subsidia petere, donec accurrentibus vtrinque iusta pugna conseritur; certatur totum ferè diem, plures equi, quàm viri cadunt, nox pugnam dirimit incerta victoria, ægrè ferens cognati sanguinis cædem inspicere. *Ludouicus* verò vt Austriacos ab obsidione Eslingæ auocaret, in eorum ditionem se translaturum arma vulgabat, cum Spiræ Nemetum copias admoueret, vt *Leo-* XXXIV.
poldum Friderici fratrem interciperet. Qua de re certior factus *Fridericus*, fratri se coniungit: *Ludouicus* verò fratrum dicens *concordiam, occulta quadam lege naturæ, inuictam esse*, pugnam declinauit. Itaque in Bauariam ducens, fratrem *Rudolphum*, quia *Friderico* suppetias tulisset, nec opinato aduentu propè oppressit; vnde fuga elapso, omnem eius ditionem occupauit, quam tamen è viuis sublati filijs restituit, eorumque tutelam, quoad pubertatis annos excederent, gessit.
Inter Austrios, vel Anglos exul contabuerit XXXV.
Rudolphus: scriptores variant, comite inuidia, quæ patria carere maluit, quàm fratrem videre felicem.

Spiræ Friderici cus imminet. *Eslingã obsidet.* *Pugna inter Ludouicum, & Fridericum.* *Fratrum cõcordia inexpugnabilis.* *Fratrem Rudolphum adgreditur Ludouicus.*

NVPTIAE FRIDERICI, ET ELISABETHAE ARAGONAE. An. 1316.

XXXVI. EXultat hoc anno Basileensis ciuitas ob nuptias celebratas inter *Fridericum Pulchrũ*, & *Elisabetham* Iacobi Aragonum Regis filiam; & *Catharinæ* Amadei Sabaudi Ducis filiæ cum *Leopoldo*. Friderici fratre, in magna Principum, & nobilium frequentia. *Fridericus* prò Rege Romanorum se gerens, cunctisque principalis fortunæ ornamentis insignis, sponsæ coronam iussit imponi; & Romani imperij insignia, quæ ab obitu *Alberti* patris retinuerat, lanceam sacram, particulam crucis Dominicæ, coronam & *Caroli Magni* gladium ostendi iussit. Exhibita etiam fuere spectacula ludorum XXXVII.
equestrium; sed inauspicata habita ob ruinam theatri, quod collapsum nobiles oppressit fœminas; & propter cædem *Cattimelibochi*, quem *Haluuslus* hasta sustulerat.

Malum omen.

CAESARVM LEGATIO AD PONTIFICEM. ARCANA PONTIFICIS IN VTRVNQVE CAESAREM.

XXXVIII. INterim cum Romæ ab obitu *Clementis* biennio sedes vacasset, *Ioannes* tandem electus est XXII. Ad eum vterque Rex Auinionem missis Legatis, electionis suæ confirmationem rogabat. Pontifex verò auditis vtriusque legatis, *Ludouici* postulatis abnuit, *Frideric*i in aliud tempus ea reiecit, dubium vtrumque relinquens. Omnia oretenus: non enim sententiam in *Ludouicum* per declarationem, neque *Friderico* titulum Regis

Legatio vtriusq; Cæsaris ad Papã.

an. 1316 Regis Romanorum decreuit: sed vtrunque, nomen Regium litteris præscribentem tolerauit; ac vtrique diem apud Sedis Apostolicæ subsellia designauit; vt vter potiore electionis iure niteretur, Orbi ostenderet: nec tamen alter alteri vsurpatione Regiæ appellationis præiudicaret, quod *Clemens IV.* in

Nemini reijcit, vel admittit.

simili causa statuisset. Dissentientibus enim an. 1316
inter se Regibus, & Imperij vires distrahentibus, ad occupandam Italiam Pontifex animum animaduertit. Impedimento illi erant Gibellini, qui inito fœdere, contra Guelfos, partes Imperatoris fouebant. Vrbium Italicarum Præfecti, *Vgucius Fagiolanus* apud

XXXIX. *Italiam occupare cogitat Papa.*



Pisanos; Insubres & Ligures *Matthaus Vicecomes*: Veronenses *Magnus Canis*; Lucenses *Castrucius*. Romanos *Sarra Columna* cum impares Pontificiæ factioni se viderent, *Ludouicum* aduocarunt. Horum legatione gauisus *Ludouicus*, copias aliquot præmisit, breui se secuturum promittens. Expauit Guelphorum factio Germano sæuiente milite, vndè Pontifex, vt Sedis Apostolicæ clientes seruaret, graui proposito edicto, *Vicarium Imperij* nomen, & potestatem in Italia abrogauit, vt sequens indicat sanctio.

XL. *Vicariatus Imperij à Papa abrogatus.*

Si Fratrum & Coepiscoporum nostrorum, & aliorum quorumlibet iura illibata seruari, & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, & ad illud libenter nostræ solicitudinis studium adhibemus; multo fortius equidem pro nostris, & Romanæ Ecclesiæ sponsæ nostræ iuribus, & honoribus conseruandis, ex iniuncto nobis officij debito, Apostolicæ prouisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris vsurpationis iniuriam subeant, aut detrimentum cuiusuis derogationis incurrant.

Sane in nostram, & Fratrum nostrorum deductum est (fama diuulgante) notitiam, quod licet de iure sit liquidum, & ab olim fuerit inconcusse seruatum, quod vacante Imperio, sicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacasse dignoscitur, cum in illo ad sæcularem iudicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem, cui in persona Beatri Petri terreni simul, & cœlestis Imperij iura Deus ipse commisit, Imperij prædicti iurisdictio, regimen & dispositio deuoluuntur, & ea ipse (durante ipsius vacatione Imperij) per se, vel alium seu alios exercuisse noscitur in Imperio memorato: nonnulli tamen in Italiæ partibus, potestatis & dignitatis fastigium illicite ambientes, in nostrum & Romanæ sanctæ matris Ecclesiæ (quantum in eis est) præiudicium euidens ac diminutionem honoris, & iuris, Vicariatus, seu alterius cuiuscunq; nomen officij, quod ipso Imperatore viuente ex ipsius commissione gerebant in certis terris, territorijs, siue locis post decessum ipsius absque nostra, vel Apostolicæ Sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi, & nonnulli etiam de nouo assumere quod non gesserant, aut gestum antea, posteaque dimissum resumere temerarijs ausibus præsumpserunt, quo vel quibus adhuc non verentur

tur

tur abuti, & sub eius, vel eorum colore multa facere & fecisse noscuntur, quæ in nostram, & Ecclesiæ prædictæ iniuriam aperte redundant, non abhorrentes per id varijs inuolui criminibus; nec diuinæ maiestatis formidantes offensam.

Quia igitur error, cui non resistitur approbari videtur, & latum pandit delinquentibus sinum qui eorum peruersis conatibus non resistit: Nos volentes nostris, & Ecclesiæ sponsæ nostræ iuribus, & honoribus, in hac parte prospicere, et malis ac scandalis, quæ ex retentione, assumptione, seu resumptione huiusmodi orta sūt hactenus, & quæ periculose possent in antea suboriri, celeriter obuiare, nec non periculis animarum huiusmodi retinentium assumentiū, seu resumentium nomina, & eis abutentiū (vt præfertur) salubriter occurrere cupientes, præsentiū auctoritate monemus sub excommunicationis pœna, omnes & singulos, cuiuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existant, etiam si Patriarchali, vel quauis alia superiori, siue Episcopali, vel Regia, seu alia quacunque præfulgeant dignitate, qui post vacationem Imperij, absque nostra vel Sedis prædictæ licentia huiusmodi Vitarij, seu cuiusuis alterius officij nomen vbilibet retinuerunt, assumpserunt, seu resumpserunt, & retinent, & qui assument vel resument fortassis in posterum, & sub talis donationis pallio, abusi sunt, & abutuntur vel etiam abutentur potestate, vel iurisdictione quacumque seu eius exercitio publicè vel occulte quatenus de cætero etiam à denominatione huiusmodi seu cuiuscumque assumptione, resumptione ac retentione prædictis, nec non vsu, potestate, & exercitio supradictis prorsus abstineant, & omnino desistant.

Inhibentes insuper sub pœna prædicta, omnibus & singulis Patriarchis, Prælatis, & etiā alijs superioribus ac Regibus, ciuitatibus, Comitatibus, Vniuersitatibus, Capitaneis, Potestatibus, Rectoribus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & alijs omnibus cuiuscumque sint dignitatis, conditionis aut status, ne prædictum huiusmodi nomen, seu aliud quodlibet, in eodem Imperio retinentes (vt præfertur) aut assumentes, vel eorum aliqui sub denominatione vel titulo huiusmodi nominum, seu Procuratores, Commissarios, iudices aut vices eorum gerentes quocumq; colore quæsito recipiant vel admittant: nec vt Vicarijs, seu Vitario, aut officialibus Imperij pareant, vel intendant, aut pareri vel intendi faciant vel permittant, nec in his vel ei quomodolibet præstent auxilium, consilium vel fauorem. Alioquin in omnes, & singulos Patriarchas, Prælatos, & superiores, & inferiores Reges, & cęteros denominationem prędictam (vt pręmissum est) retinentes, assumentes, seu resumentes ac illius pretextu exercentes quęcumq; officia, potestates seu iurisdictiones, & recipientes eos vt Vicarios, vel officiales Imperij aut Commissarios tales, vt alium, & in parentes, seu obedientes eis vt talibus, aut prestantes in hoc sibi consilium, auxilium vel fauorem, nisi intra duorum mensiū spatium à die datę præsentium numerandum penitus resipuerint, vel se licentia Sedis Apostolicæ super hoc ostenderint communitos, excommunicationis singulares personas, et in terras, & loca ipsorum, & quaslibet Communitates, Vniuersitates, Ciuitates, aut villas, interdicti sententias de Fratrum nostrorum consilio publicè promulgamus. Contra eos nihilominus spiritualiter, & temporaliter grauius processuri, prout inobedientia eorum exegerit, qualitas facti suaserit, & viderimus expedire. Et vt quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes & singulos, qui huiusmodi Vicariatus nomen retinentibus, assumentibus, seu resumentibus iuramento fidelitatis tenentur astricti, à iuramento huiusmodi, quantum ad hoc, de potestatis plenitudine absoluentes, auctoritate Apostolica firmiter inhibemus eisdem, ne talibus vt Vicarijs, vel officialibus Imperij aliquatenus pareant, vel intendant.

Et insuper omnes pactiones, obligationes, confœderationes, & colligationes à quibuscunq; super hoc quomodolibet initas, iuramento vel quacunque firmitate vallatas omnino dissoluimus, viribus vacuamus, irritantes, & quatenus de facto processerint, reuocamus: ac huiusmodi, & quælibet alia iuramenta quibuslibet super his præstita, per quæ posset in prædictis nostris, & Ecclesiæ nostræ prædictæ iuribus derogari; præsertim cum iuramentum, vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus.

Cæterum vt huiusmodi processus verius ad communem omnium notitiam deducatur, chartas seu membranas processum continentes eundem, in Ecclesia Auinionensi appendi vel affigi ostijs seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonore, præconio & patenti iudicio publicabunt: Ita quod omnes, & sin-

an. 1317 *& singulis, quos processus ipse contingit, & contingere potest nullam postea possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non peruenerit: vel quod ignorauerint eundem: cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Auinione in Domo Episcopali 11. Calend. Aprilis anno primo.*

XLI. *Fridericus suppetias mittit Papa in Italos.* Misit etiam ad *Fridericum* nuncios, eique confirmationem obtulit imperij, eiusque fratri *Alberto* Archiepiscopatum Moguntinum, si duo equitum millia aduersùs Gibellinos & *Ludouicum* mitteret in Italiam. Annuit *Fridericus*, & cum copijs *Henricus* descendit *Austriacus, Otho, & Albertus* bello abstinuerunt, hic quia pedibus æger erat, ille quod ducta in vxorem *Elisabetha* Stephani Bauariæ Ducis filia, arctam cum *Ludouico* haberet affinitatem. Haud latebat *Fridericum*, Pontificem sibi non imperio studere. In eo tamen inimici odium præualuit, vt suo detrimento prosterneret. Seruiendum tempori ducebat, nam ea erat apud Germanos Pontificis reuerentia, vt pro Cæsare haberent, quem ille confirmaret. Propterea plurimi sequebantur *Fridericum*, quia *Ludouicum* Pontifex non confirmasset. Alij tamen *Friderico* auersabantur, quia publica vtilitate postposita, ambitionis ergo, iura in Italia labefactaret imperij. Missi etiam à Gibellinis legati, *Fridericum* monuerunt, auxilia ab eo missa contra imperium fore; nam Pontificem ita armabant, exarmabant

XLII. *Reuocat.* Imperatorem, vt ipsi nec alij Romanorum Regi aditus amplius pateret in Vrbem; si omnia per Latium, Ethruriam, & Insubriam loca, quæ sub ditione fuerant Imperij, sui iuris faceret. *Henricus* nuncijs à fratre acceptis: nè fecedès Pontificios offenderet, aliam discessui causam prætexit; *quas secum habebat copias, suo stipendio militare, eas in officio diù retinere non posse, nisi ciuitates aliquot in belli sumptus pignori traderentur.* Id cum negatum, citò in Germaniam redijt. *Fridericus* verò legatione honorifica offensum Pontificis demulciuit animum, & cum inter factiones pacem non posset, conciliauit in-

XLIII. *Leopoldus in Solodurum mouet.* ducias. Sic *Leopoldus*, quod grauius à *Ludouico* Rege bellum cerneret imminere, cum *Suitensibus* quinquennales pactus inducias, in *Solodurum* mouit: & ponte sublicio, dum Arulam fluuium copias traijcit, inundationibus soluto, vix ipse euasit: Oppidani autem (raro inter hostes exemplo) complures submergendi periculo lembis, & porrectis hastis ereptos, absquè pretio in castra ad *Leopoldum* misère: quorum humanitate victus, bello vltra persequendos esse non putauit, imò & pacem ciuitatibus dedit vicinis. Hinc populabundus in agros Hemetum excurrens, magna collecta præda in Etgouiam reuersus, milites plerosque missos facit; dum *Ludouicus* suis opem laturus superuenit. *Leopoldus* copias reuocat, nouas conscribit, magnisque itineribus ad *Vdalricum* Ferretarum Comitem, & *Io: Argentoratensem Episcopum*, qui castra propè Bruscam amnem habebant, contendit; sed *Ludouico* insequente, *Leopoldus* Brusca traiecto, retrocedens, castra posuit ad Holtzhemium, vt fratrem cum socijs expectaret. Defecère à *Friderico* Argentoratenses, & nè bellum in se conscirent, in verba *Ludouici* iurarunt, Reipublicæ expedire dicentes, tempori cedere, nè cederent Maiestatem, vel vtilitatem. Paucis ibi diuersatus diebus, in hostem pergit, nec longè abfuit, vt *Fridericum* ex Austria properantem interciperet; nam festinabundus dum in fratris suppetias aduolat, ex locorum ignorantia, castris appropinquabat *Ludouici*, cum crederet *Leopoldi*. Errore cognito, in fratris castra peruenit, quem *Leopoldus* obortis præ letitia lachrymis, amplexatus, *cur ita diù fratrem in extremo rerum discrimine constitutum deseruerit*, interrogat? Qui cum *Ludouico* erant, suaserant, nè absente æmulo, manus consereret: quia victoria foret inanis, gloriosa magis, quàm vtilis. Victo namq; *Leopoldo*, *Fridericus* supererat, qui bellum instauraret. Fortunam propterea non esse tentandam aduersùs hostem, qui prò alio pugnabat. Audito postea *Friderici* aduentu, fecialem misit *Ludouicus*, qui num verè venisset? Sciscitaretur, & diem bello diceret. Feciali ad se venire iusso, *Fridericus* tentauit prius expugnare constantia, quàm gladio pugnaret. *Dic* (inquit) *cognato meo, nullam me, si congredi velit, prælio moram esse facturum; instare tempus, vt mors vnius, alteri cedat imperium, imperio pacem.* Postridie militem corpora curare iubet; & quod peditum sibi quàm equitum vsum ijs in locis com- an. 1318

Marginalia (right column): XLIV. *In Nemetes mouet.* — XLV. *Ludouicus mouet in Leopoldum.* — XLVI. — *Friderici ardor.*

An. 1318 commodiorem esse putaret, equos omnes ab exercitu segregat, & ad tympani sonitum per castra proclamari iubet, si quis calcaria indutus in conflictum descenderit, hoc illi capitale futurum. Ita suos extra vallum in aciem educit, idem facturum *Ludouicum* ratus. Is verò hostem paulò ante trepidum, nunc prouocantem admiratus, aucto vt fit, ex aliena confidentia metu, pugnam differre consuluit, & Haganoam per saltuosa loca euasit, quem Austriaci biduo insequentes, cum assequi non potuissent; *Pugnam detrectat Ludouicus.*

LVDOVICI, ET FRIDERICI PVGNAE. An. 1320.

XLVII. *Fridericus mouet in Boios.* IN Bauariam duxerunt; *Fridericus* ad Oenum cum iusto exercitu; *Leopoldus* ad Lycum cum 800. galeatis. Bauaris ad periculum excitatis, *Ludouicus* accurrit, tantis stipatus auxilijs, vt vno prælio de gemino hoste, si iungerentur triumphare fideret. Ad Muldorphium castris opposuit castra; quominus veniret ad arma, *Ludouico* paratæ prohibuerunt insidiæ. Parricidium comitabatur sacrilegium, & quo securius *Ludouicus* caderet, cogitabant in templo cædere, dum vota prò exercitu solueret. Pluralitas coniuratorum vulgauit consilium; & quasi foret irreparabile vulnus, totis trepidatum est castris, ac panico timore quilibet de sua salute solicitus, dilabebatur à signis, & laxatis habenis fugiebant præcipites. *Ludouicus* ex solitudine castrorum agnouit fugam; & priùs perditum ac derelictum, quàm proditum. Fugitiuorum vestigia postremus ingressus, reliquit vastandam hostibus patriam, & Monachium se recepit: vbi iram Pontificis, quæ in dirarum fulmen desitura erat, ac inuidorum phalanges, quæ in dies imminebant periculosiores, reuoluens; amicorum auxilia, atque consilia expertus fallacia, ac ridentis fortunæ infortunium, quæ in purpura, & bisso discrimina vitæ celabat, ad libertatē prouocare cogitauit, reiectis in sinu fortunæ donis mendacibus, malens gloriosè recumbere in mediocritate, quàm toties occumbere in fastigio dignitatis. Sic cogitans sibi consulere, amicos consuluit: à quibus retulit, abiecti animi esse, virtutes suas in triumphum Fortunæ vel inuidiæ laxare. Placido mari, & ventis intendere vela secundis, quàm facilè. Cum spumant vndæ, & confligunt venti, eo inhumanius facere nauclerum, si clauum deserat. Fluctibus cedere, non esse modestiæ sed imperitiæ confessionem; meliusq; fuisse nō arripere habenas imperij, quàm abijcere. Principatum in humeris ferri, ac Populorum moderatores ad vigilias vocari, & labores, non ad delicias. Cessit cordatis monitoribus *Ludouicus*, & propè depositam Rempublicam animosior resumpsit, vt timoris culpam dilueret, & exitiali libello finem imponeret. *Fridericus* pariter contractis vndique copijs, de summa rei decernere decreuit. Huic præter Austriacos, & Stiros auxilia mittebant Salsburgicus, Patauinus, Frisingensis, & Gurcensis præsules, iamque duo millia, & ducenti equites hastati, cum peditum numeroso exercitu ad fines Bauariæ conuenerant, quibus accedebant quater mille Sagittarij Chumani, quos *Carolus* Hungariæ Rex cognato auxilio miserat, ducenti item equites, cum firma peditum manu, quos Leopoldus in Ergouia, & Nigra (quam vocant) sylua conductos præmiserat. Cum *Ludouico* erant *Ioannes* Bohemiæ Rex, & Moguntinus Antistes, qui cum Boemos ab Imperatoris *Henrici* morte tumultuantes compesiuissent, ad *Ludouicum* se contulerant, *Fridericus* Burgrauius Norimbergicus, Fraciæ Orientalis, Geldriæ, & VVirtembergæ, ac Treuirensis principum auxilia, ad mille quingentos equites, & triginta peditum millia. His copijs fretus hosti, qui ipsum domi quæsierat, obuius proficiscitur, plenus fiduciæ. Nec defuerant qui *Ludouico* fausta omnia vaticinarentur. In his *Martinus Eremita* semestri ante pugnam prædixerat, *Fridericum Austrium*, priusquam sacrum D. Michaelis illuceret in vinculis fore. Cum is à ciue Monacensi vanitatis argueretur, ausus est quoddam prædium suum, facta coram Prætore sponsione, pignus opponere centum argenti marchis à ciue depositis. Cum dies S. Michaelis adesset, & Monachus vrgeretur à ciue, vt pignore cederet, fertur interuenisse altercantibus nūcius, ex quo de *Friderici* captiuitate cognitum, propterea *Martinus* homine maior habitus, pignore potitus est. Idem legitur de *Arnoldo* familia *Dominicano* Ratisbonensi. Omnia clamabat astro-

XLVIII. *Insidiæ in Ludouicum.*

Cogitat imperiū deponere.

XLIX. *Vires reparat.*

Carolus Rex Hungar. suppetias mittit Friderico.

L. *Prædictiones.*

an. 1322 astrorum arcana fabulosa habenda, si Victoriæ præsagium *Ludouici* falleret. Abundabat id sæculum eiusmodi coniectoribus. Vndè & *Engelbertus Admontensis* Abbas, & *Bartholomæus* quidam tristia omnia *Friderico* nunciabant. *Ludouicus* velut cælitus erectus, nullum vnquàm bellum fidentius susceperat. Ancipitem fortunam, quæ eum vexauerat, irridebat; & de victoria securus, ad bellum pergebat egenus, nam ærario exhausto, abiens in castra vix vndecim libras Hallenses numerauit. Audaciam increpabat Bohemus; præter solitum rebus metuens communibus. Eum bono iussit animo esse, & diei crastinæ confidere. Nec vanũ fuit omen: tot enim, sequenti luce, armatorum copiæ confluxerunt, vt sub noctem accensis per tentoria facibus ardere omnis latè regio videretur. Castrorum locus in *Ampfingensibus* campis latè supra Muldorfium porrectis, medius inter Oenum, & Isenifcum ostenditur, qui victoriæ memoriam hodieque sacello in modum papilionis erecto, conseruat. Ordinandæ *Ludouici* aciei *Seifridus Schueppermannus* legatus præfuit, quem Norimberga suum esse ciuem contendit. Exploratis hostium copijs, cum de prælij ratione, sublimis equo ad militare concilium referret, licet fortissimus Dux, qui annuis propè victorijs annos suos computabat, tremulo corpore, venis micantibus, pallente vultu, metum palam fecit, non mortis, quæ militi solet esse cruenta, sed cladis exercitus, quæ foret timenda, si fratres iungerentur Austriaci. *Leopoldus* depopulandis *Gulielmi Montfortij*, qui in castris *Ludouici* erat agris, importunè admodùm morabatur, neque in tempore fratri accurrebat, & præmissum ab eo nuncium hostes interceperant, neque *Fridericus*, quicquam certi de eo scire poterat. Suadebant amici, ne ante *Leopoldi* aduentum cum hoste pugnam iniret, breui cum copijs aduenturum, interim protrahendum prælium. Ille verò animo æstuans, omnisque moræ longioris impatiens, sana suorum spernens consilia, vel absque fratre in discrimen summæ rei pugnare decernit, quamuis solito Austriæ omine non securus. Refert *Io: Seifrid.* annulum Austriæ fuisse Principibus, quem inter gemmas gentilitias à maioribus acceptum asseruabant, ex eo conflatum auro, quod Sancti Reges Christo nato obtulerunt. Is ferebatur splendescere solitus, & eiaculari radios, quoties fausta portendebat Domui Austriacæ; ex aduerso pallescere, si quid triste imminèret. Hic ergo annulus, cum eo rerum articulo super euentu pugnæ esset inspiciendus, incertum quà manu, ab arà, in quà diuina fiebant, sublatus non comparuit, quasi Deus eam celari vellet, vel tristia nunciare erubesceret, nam diù post, rebus in melius mutatis, denuò est in Austria repertus. Omnia tamen *Fridericus* spreuit, & increpita ducum segnitia, milites educit in aciem. Atrox pugna committitur, in quà *Fridericus*, omnia egregij Imperatoris, & strenui militis officia exequutus, Bohemos, qui in prima acie pugnabant, ita afflixit, vt quingenti ex eis, abiectis armis, se dederent. Actum erat de *Ludouico*, ni *Sigfridi Schueppermanni* peritia militaris cum Bauaris accurrens, aciem reintegrasset, simulque effecisset, vt hostes Solem sibi aduersum haberent. Alius etiam error pugnantibus oblatus, victoriam Bauaris, exitium attulit Austriacis. *Burgrauius* cum lecta equitum manu, à prælij initio, à cæteris ordinibus secesserat. Is ardente iam pugna, & fortuna ad *Fridericum* inclinante, terga hostium inuadit mutatis insignibus, nam dolosè Austriaca erexerat; Austriaca itaque præferentem signa conspicati, *Leopoldum* cum suis in tempore aduenire, falso opinabantur. Verùm cædes à *Burgrauio* edita errorem detexit. Ab alio latere quingenti, qui paulò ante victi manus dederant, resumptis armis in victorem irrumpere ausi, priorem ignominiam conabantur delere. Turbatis itaque ordinibus, Hungari fugæ initium fecere, & *Fridericus*, labori vulneribusque succumbente eius equo, in pedes effusus, captus est. Sunt qui eum à Bohemorum Rege captum affirmant, alij ab *Eberhardo Mosbachio* Franconе ad Burgrauium adductũ ferunt, qui eum *Ludouico* tradiderit, fortunæ suæ ingemiscentem, sed nihil proloquutum vnà cum *Henrico* fratre eius. Vtrique nec roganti vitæ gratiam magnanimus dedit *Ludouicus*. Comissa est pugna IV. Cal. Octob. quo die ante annos quadraginta nouem, *Rudolphus* primus, *Friderici* auus, in Regem Rom. electus fuerat. *Fridericus* in arce quadam *Transnitz*, prope Napurgum, in

Marginal notes: an. 1322 — LI. Seifridi Schuepp. per. virtus militaris. — LII. Leopoldus populatur agros Mõtfortij. — LIII. Omen ex annulo apud Austrios. — LIV. Fridericus capitur. — LV.

an. 1322. in agro Norico asseruatus est. Loci nomen in Fortunæ suæ omen accepit. Eo namque gentis vocabulo (*non esse fidendum*) cum significetur, ipse serò agnouit nimiam sui de prospero pugnæ euentu credulitatem & fi-
LVI. dentiam. Cum totum propè diem pugna tenuisset, & *Ludouico* cœnaturo præter oua paucula, nullum esset obsonium, quo recrearet conuiuas, singulis singula, *Schuueppermanno* bina dari iussit, liberalitate quæ famam augeret, non quæ famem minueret.
LVII. *Henricus Austrius liberatur.* *Henricus* Friderici frater *Ioanni* Bohemo datus in fidem, ad arcis Burgiliæ custodiam fuit adductus. Ibi per bimestre detentus, licentia impetrata à Rege patriam inuisit, pactis lytri præstandi legibus: sed cum fratribus aduersantibus, promissis stare non posset, anno proximo, Februario exeunte, Germana fide, carceri se reddidit, ex quo Hungariæ, & Galliæ Regem opera se expediuit, addictis nouem argenti marcarum millibus, restitutis quibusdam Morauiæ oppidis, eiuratis præterea iuribus, quæ in Bohemos sibi Austrij vindicabant. Tantam rem se inconsultò factam, ægrè tulit *an.* 1322.
Ludouicus. Hinc prima simultatum origo.

Leopoldus audita fratris fortuna mœstus, & vix illum viuere etiamnum credens, Ba- LVIII. *Austrij liberales.*
silæam redijt, nec vllum quamdiù vixit, post hac signum dedit lætitiæ, magnum signum fraterni amoris, & sinceræ concordiæ. Salisburgensis Episcopus *Friderico* fidus, cum equitatum suum, ac maiorem nobilitatis partem amisisset in prælio, captiuos multo ære redemit, vndè in extremum penè discrimen adductus est. Damna tamen Austrij aliqua ex parte reintegrarunt, indignum iudicantes, amicum tot ipsorum causa perpessum incommoda, irremuneratum linquere. Quatuor arces Altenhofium, Leffendalium, Lauantum, & Nouoforum cum omnibus iuribus tamdiu possidenda concessa sunt, quousque certa pecuniæ summa redimerentur. Vsque ad *Fridericum IV*. Imper. Antistites ea tenuere, qui soluta pecunia, & datis Episcopo quibusdam alijs immunitatibus, arces illas Domui vindicauit Austriacæ.

LIX. *NVPTIAE MARGARETAE CVM LVDOVICO CAESARE. An.* 1333.

Ludouicus filius Cæsaris Ludouici fit Marchio Brãderburg.

MOrtuis Branderburgicæ gentis sine hærede ducibus, Branderburgensem Principatum, vna cum Septemuiratu, iuris factum Imperialis, transtulit *Ludouicus* Cæsar in *Ludouicum* filium primogenitum, cui nupta est *Margareta* filia *Christophori* Regis Daniæ. Iulio proximè sequente, *Ludouicus* pater *Margaretam* *VVilhelmi*





LX. *III*. Hannoniæ, Hollandiæ Selandiæ, & Frisonum Comitis filiam sibi despondit. Mortuo *Ioanne* Hollandiæ Comite, postquam quinque ferè annis habenas tenuisset Hollandiæ, *VVilhelmus* huius nominis *tertius*, eius filius, Hollandiæ Comes acclamatur. Eius fama etiam apud externos peruagata titulum *Magistri militum*, *& Præfecti Principum* ei conciliauit. Duxit in vxorem *Ioannam de Valesia*, sororem Regis Franciæ, ex quà genuit *Margaretam* Romanorum Imperatricem, *Ioannam* Iuliacensem Comitissam, *Philippam* Angliæ Reginam, *VVilhelmum IV*. successorem Hol- LXI.
landi

An. 1323 landi comitatus; *Ludouicum* infantem; & *Elisabeth Domicellam*. An. 1323



DISSIDIA INTER PONTIFICEM, ET LVDOVICVM. An. 1324.

LXII. Victori *Ludouico* quamuis nationes plurimæ, & ciuitates portas aperirent humiles, inter quas Columbaria, Seleſtadium, Hagennoa, Ehenheimium, aliaque oppida vicina; *Leopoldus* tamen regijs aduerſus conatibus, equitum aliquot turmas Enshiſemij primùm, deinde Selzij collocat, qui crebris incurſibus agros infeſtabant. Omnibus ſuis fraternæ charitati poſthabitis, ad Pontificem currit, tyrannum futurum *Ludouicum* fingit; vt Pontifex in tempore ſuccurrat, rogat. Inde ad Francos properat. *Philippo Pulchro* ſucceſſerat *Ludouicus X.* qui materno iure, Nauarræ ſceptrum tenebat. Plura is tentauerat, ſed morte præuentus, hæredem filium habuit *Ioannem*, non ſucceſſorem: nam poſthumus fata patris illico ſequutus. *Philippus Longus* Ludouici frater regnum occupauit, & *Parlamenti* decreto fœminam proximiorem excludit, vnaque filias ſuas, nam & ipſe ſine maſculis decedens, *Carolum Pulchrum* ſucceſſorem habuit, qui Francorum regno vnire tentauit Imperium occidentale, ſed fruſtra. Ad hunc *Fridericus* confugit. Ille autem ſiue miſeratus Auſtriacorum caſus, ſiue odio habens *Ludouicum* Imper. ſiue inuidia adductus, omnī ſtudio conatur Auſtriacos iuuare. Propterea nouis bellorum motibus agitata Germania, altero etiam Regum capto, pacem habere non potuit, exorto inter Pontificem Max. *Io: XXII.* & *Ludouicum* graui diſſidio. Exaſperato *Ioannes* in Regem animo, miſſis in Germaniam literis, diem ei dicit, quà Auenione in Gallijs præſens, ad nonnulla accuſationis capita reſponderet. Hæc erant: Quod *Galeatium* Vicecomitem Mediolanenſem, Gibellinæ factioni contra Guelphos *Pontificis* auctoritatem propugnantes, ducem dederit, & Germanorum copijs inſtruxerit. Quod in pleriſque Italiæ locis præfectos ſuos cum præſidijs collocauerit. Quod filium auxiſſet Septemuirali dignitate, alia item munia magis ad Pontificem, quàm ad ipſum ſpectantia adminiſtraſſet quibus nondum ab illo

an. 1324 illo confirmatus abstinere debebat. Ea crimina nisi intra trimestre dilueret, personam Cæsaris, donec Pontifici videretur, exueret, acta per interregnum, quoad eius fieri posset, rescinderet, fore vt ad enunciationem pœnarum, in quas incidisset, excommunicationis præsertim, procederetur. Acta sunt hæc, priusquàm *Ludouicus Fridericum* vinceret, & si postea sint renouata: vt ex monitorio.

LXIII. *MONITORIVM IO: XXII. PAPAE IN LVDOVICVM.*

Ioannes Episc. seruus seruorum Dei, venerabili Fratri Aymerico Archiep. Rauennati, Romandiolæ Rectori.

NVper contra dilectum filium, Magnificum virum Ludouicum Ducem Bauariæ, super eo quod electione sua in Regem Romanorum promouendum Imperatorem, per quosdam qui vocem in electione huiusmodi habere dicuntur in discordia celebrata, per Sedem Apostolicam, ad quam electiones huiusmodi, & Personæ electæ examinatio, approbatio, admissio, ac etiam reprobatio, & repulsio noscitur pertinere, non admissa, nec etiam approbata, administrationi regiminis Romanorum Regni seu Imperij se irreuerenter, ac indebite per se, & alios ingerebat, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ Sedis plenitudine potestatis præsente multitudine copiosa fidelium, videlicet VIII. Idus Octobris processum fecimus continentiæ infrascriptæ.

Ad perpetuam rei memoriam.

Attendentes, quod dum errori non resistitur, is ad quem resistere pertinet, illi vtcunque præsumitur consentire, quodque plerumque iustitiæ opprimitur veritas, ni defensionis opportuna illi beneficium subtrahatur; profecto nec errori damnabili consentire, per resistentiæ negligentiam volumus, neque pati ob defectum opportunæ defensionis præsidij iustitiam opprimi sponsæ Christi. Dudum siquidem per obitum claræ memoriæ Henrici Romanorum Imperatoris, Imperio Romano vacante, Principes Ecclesiastici, & Seculares, ad quos translato ab olim per sedem Apostolicam prædicto Imperio de Græcis in personam Magnifici Caroli, in Germanos, futuri Romanorum Regis in Imperatorem postmodum promouendi electio pertinebat, votis eorum in diuersa diuisis, duos, sicut dicitur, in discordia elegerunt, quibusdam eorum in dilectum filium Magnificum virum Ludouicum Bauariæ, quibusdam vero in dilectum filium Fridericum Austriæ, Duces, nominando & eligendo ipsos in Roman. Reges dirigentibus discorditer vota sua. Verum præfatus Ludouicus à nobis, ad quem suæ dilectionis huiusmodi, sicut præmittitur in discordia celebratæ, ac personæ ipsius examinatio, approbatio, ac admissio, repulsio quoque, & reprobatio noscitur pertinere, electione prædicta nequaquam admissa, nec eius approbatæ persona, sicut notoria fama notariat, & publica facti euidentia manifestat, non quærens, vt deberet per ostium ad huiusmodi Regni, seu Imperij conscendere dignitatis fastigium, sed potius aliunde nescimus quo ductus, vel verius seductus consilio, præfati Romanorum Regni nomen sibi, & titulum Regium vsurpauit; quamuis prius alterutrius eorum per sedem Apostolicam fuisset approbata, vel reprobata persona, neutri electorum ipsorum assumere licuit nomen, & titulum prælibatum: cum nec interim Roman. Reges existant, sed in Reges electi, nec sint habendi pro Regibus, nec Reges etiam nominandi. Idem etiam Ludouicus eodem præsumpto titulo non contentus administrationem iurium Regni, & Imperij prædictorum, in grauem Dei offensam & contemptum, ac manifestam iniuriam Romanæ Ecclesiæ matris suæ, ad quam eiusdem vocationis tempore Imperij regimen, sicut & in præsentiarum vacat, pertinere dignoscitur, nec non & plurimorum scandalum, & rei turbationem ac læsionem publicæ, ac suæ animæ detrimentum prosilire, seque illi immiscere irreuerenter ac indebite præsumpsit hactenus & præsumit, exigendo, & recipiendo sub præfato titulo Regio fidelitatis, in Alemanniæ, & nonnullis Italiæ partibus, tam à personis Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus vasallis Imperij per se, & alios iuramenta, ac de dignitatibus, & honorib. & officijs ad eiusdem Romani Regni seu Imperij dispositionem spectantibus pro suo libito disponere; sicut ijs proximis diebus præteritis de Marchionatu Brandenburgensi, quem primegenito suo de facto publice contulit, ordinauit: nec non alia plurima exercendo, quæ ad eiusdem Romani Regni, & Imperij regimen, non est

est dubium, pertinere. Eiusdem insuper Ecclesiæ Romanæ sicut Galeatio de Vicecomitibus, & eius fratribus, quamuis sint de crimine hæresis à suis competentibus iudicibus exigente iustitia per definitiuam sententiam condemnati, & nonnullis alijs Ecclesiæ præfatæ rebellibus se exhibere fautorem & defensorem, contra dictam Ecclesiam prosequentem aduersus eosdem rebelles iura ipsius Imperij, & negotium Fidei, in grauem Diuinæ maiestatis iniuriam, contemptum eiusdem Ecclesiæ, & animæ suæ perniciem non est veritus, nec veretur. Nos itaque tam temerarijs ausibus, ne mos tam perniciosus inualescat in posterum obuiare, ac prout ad Apostolatus nostri spectat officium, iustitiam sponsæ Christi in hac parte defendere dictumque Ludou. à tam periculoso erroris deuio ad veritatis callem reducere cupientes; ac considerantes, quod ad eius præsentiam, ad proponendum coram eo præsentialiter, per quæ posset & deberet retrahi à prædictis, nequaquam tutus patet accessus: quodque in præmissis formidatur, quod mora periculum, & dissimulatio damnum forent proculdubio allaturæ, ad prouidendum super præmissis excessibus, & obuiandum eijsdem subscriptum modum de Fratrum nostrorum consilio, ac ex certa scientia, & de Apost. potestatis plenitudine eligentes, præfatum Ludou. præsente fidelium multitudine copiosa, præsentium tenore monemus, eidem sub virtute Sanctæ Obedientiæ, ac excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu huiusmodi monitioni nostræ paruerit incurrere volumus ipso facto, auctoritate Apostol. nihilominus iniungentes vt infra trium mensium spatium, à data præsentium computandum, quos ei de eorundem Fratrum consilio pro peremptorio termino assignamus, ab administratione, fautoria, & defensione prædictis prorsus abstineat ac desistat; administrationem ipsam per se, vel alium seu alios non resumpturus vlterius, nisi tunc demum, cum, & si electionem suam huiusmodi, quæ de ipso dicitur, celebratam, ac personam eiusdem per Sedem Apostol. approbari contigerit, & admitti: quodque gesta per eum post præsumptum ab eo titulum memoratum circa præmissa, quatenus processere de facto, cum de iure non teneant, velut ab ipso, cui ius faciendi non competebat, nec competit, attentata, curet infra prædictum terminum, quantum patietur possibilitas realiter reuocare; aperte per præsentium seriem intimantes eidem, quod si in præmissis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens fuerit, vel remissus: nos contra ipsum ad publicationem pœnarum in quas propter præmissos excessus notorios incidisse noscitur, vel incidet in futurum, & alias quantum suadebit iustitia, eius non obstante absentia, procedemus. Vniuersis insuper Patriarchis, Archiep. et Episc. et alijs personis Ecclesiast. quibuscunq; sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere volumus ipso facto, nisi infra prædictum terminum, infrascriptæ inhibitioni nostræ efficaciter studuerint obedire; & tam ipsis, quàm omnibus, & singulis ciuitatibus, communitatibus, & vniuersitatibus nec non personis sæcularibus quibuscunque cuiuscunque conditionis aut status existant, etiam si Regali, aut alia quacunque dignitate præfulgeant, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non priuationis Priuilegiorum quorumcunque Apostolicorum, & Imperialium, ac feudorum quæ ab Ecclesia vel Imperij obtinent, districtius inhibemus, ne prædicto Ludou. in præmissis, vel alijs Regni seu Imperij tangentibus regimen, tanquam Regi, seu in Regem Roman. electo, nisi & quousque dictam electionem, & personam ipsius per sedem eandem approbari contigerit, vel admitti, in aliquo pareant, seu intendant; neue eidem in quibuscunque ad regimen prælibatum spectantibus; præbeant auxilium, consilium vel fauorem. Non obstante si ipsi, vel eorum aliqui ad hoc se dicto Ludou. vt Regi, seu in Regem electo adstrinxerint per fidelitatis, vel alterius cuiuslibet generis iuramenta, quæ quidem cum præstita fuerint ei, cui minime præstari debuerant, nec seruari sine æternæ salutis valeant detrimento, præstantes eadem non adstringunt: quæ nihilominus ad cautelam auctoritate Apostolica relaxamus, illaque cassa & irrita nunciantes decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus obseruanda: seu si præfato Ludouico, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim per literas Sedis eiusdem foret, sub quacunque verborum forma, vel expressione concessum, vel concederetur in posterum, quod excommunicari, suspendi, vel eorum terræ, seu loca interdici non possint, quas contra præsentem processum nostrum in nullo eis volumus suffragari: sed ipsas quoad hoc viribus volumus omnino carere. Ex præmissis

autem

autem nos nequaquam intendimus, nec volumus obligari, quin ad publicationem dictarum pœnarum, & alias contra dictum Ludouicum possimus pendente huiusmodi dilatione procedere, prout iustum fuerit, & nobis visum fuerit expedire. Vt autem huiusmodi processus noster, ad ipsius Ludouici notitiam, & aliorum quorum interest communem notitiam deducatur, chartas siue membranas processum continentes eundem, in Ecclesiæ Auinion. appendi vel affigi ostijs, seu super liminaribus eiusdem Ecclesiæ faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; vt idem Ludou. & alij, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non peruenerit, vel ignorarint eundem: cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem, & Apostolica auctoritate decernimus, quod huiusmodi processus eundem Ludou. & alios supradictos apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter publicatus, & insinuatus solemniter extitisset: Constitutione quacunq; per prædecessores nostros Rom. Pontif. in contrarium edita non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagin. nostræ monitionis, mandati inibitionis, relaxationis, & constitutionis infringere, &c. Dat. Auin. in Pal. Episc. 8. Id. Oct. Ann. 8.

Quocirca Fraternitati tuæ per Apost scripta districtius præcipiendo mandamus, quatenus præmissa in prædicto processu contenta facias, in decretatibi Prouincia firmiter & inuiolabiliter obseruari, ac in eius tatibus, & alijs eiusdem Prouinciæ locis, de quibus expedire videris per te, vel per alium, seu alios solenniter publicari, ad id loci cuiuslibet, vbi fiet huiusmodi publicatio, Clero & populo conuocatis specialiter, ac etiam congregatis faciens de publicatione huiusmodi fieri publica instrumenta, quæ nobis quantocius commode fieri poterit, mittere non postponas: nobis diem significaturus præstitutum, & quæcunq; super ijs duxeris facienda. an.1324 Dar. Auinioni 8. Id. Octob. An. 8. *ex Regestro anni 8. Ioan. secretorum fol. 105.*

Ea monitione perculsus Ludouicus, *Albertum Strasburgicum* magnum Præceptorem hospitalis S. Io: per Alemanniam, *Euestrurpium Sebechium* Archidiaconum Herbipolensem, & *Henricum Thorunium* Canonicum Pragensem, prid. Id. Nouemb. Norimberga cum mandatis Auenionem ire iussit, vel obiecta diluerent, vel comperendinationibus tempus protraherent. Anni sequentis initio negotium aggressi Legati, VII. Id. Ianuarij in Purpuratorum Senatu, responsum tulere querimoniarum plenum aduersus *Ludouicum*, cui vix bimestris concessa dilatio, vt obiecta dilueret. Pontificis verba in tabulas relata *Trisingensi Episcopo*, & alijs Ecclesiarum Prælatis transmissa sunt, vt ea vulgaret in publicum.

LXIV. *Legatio Ludou. Papa.*

LXV. *Dilatio duorum mensium datur Ludouico.*

VENERABILI FRATRI EPISCOPO FRISINGENSI.

Pridem super certis petitis, & supplicatis pro parte Magnifici Viri Ludouici Bauariæ Ducis, in discordia, in Regem Romanorum electi, per dilectos filios Albertum de Strasburch Magnum Præceptorem Ordinis Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani per Alemanniam, & Magistros Gruestrup de Sebech Archidiaconum Herbipolen. ac Henricum de Thoruno Canonicum Pragens. eiusdem Ducis Procuratores & Nuntios, in nostra & Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præsentia, videlicet VII. Idus præsentis mensis Ianuarij constitutos, certam responsionem fecimus, quam ne posset eidem addi, vel detrahi, seu quicquam fingi, veritati super his obuium nostris adnotandam prouidimus litteris, quarum tenor dignoscitur esse talis.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Dudam VIII. videlicet Idus mensis Octobris proxime præteriti, contra Magnificum virum Ludouicum Bauariæ Ducem, pro eo, quod post electiones tam de eo, quam Magnifico Viro Friderico Duce Austriæ, in Romanos Reges electis in discordia celebratas, graues, quinimo plurimum præiudiciales excessus contra Deum, & Sanctam Romanam Ecclesiam temere notoriè perpetrauit, & perpetrare continuo præsumebat, quendam processum, conuocata ad hoc, & præsente multitudine copiosa fidelium, de Fratrum nostrorum consilio duxi-

duximus faciendum: & vt ad eiusdem Ludouici, & aliorum quorum intererat, communem & certam notitiam deferretur, patentes literas bulla nostra munitas processum continentes eundem, fecimus in ostijs Ecclesiæ Auinionens. affigi; quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicarent, vt idem Ludouicus, & alij quos processus huiusmodi contingebat, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos non peruenisset, vel quod ignorassent eundem. Cuius processus tenor noscitur esse talis.

Ad perpetuam rei memoriam.

Attendentes, quod dum errori non resistitur, is ad quem resistere pertinet, illi vtcumque præsumitur consentire; & cætera sequuntur continue, prout superius in præcedentis anni processu vsque ad Datum Auinione in Palatio Episcopali VIII Idus Octobr. Anno 8. Deinde sequitur immediatè. Postmodum vero dilecti filij Albertus de Strasburgh Magnus Præceptor Ordinis Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani per Alemaniam, nec non Magister Gruesturp de Sebech Archidiaconus Herb pol. & Magister Henricus de Thoruno Canonicus Pragensis eiusdem Ducis Bauariæ Nuncij, & in discordia, vt prædicitur, in Regem Romanorum electi, ad Sedem Apostolicam venientes, ac coram nobis, & eisdem fratribus 4. Nonas præsentis mensis Ianuarij constituti, quandam literam patentem, seu apertam, quodam sigillo ceræ albæ sigillatam, in cuius sigilli circumferentijs erat scriptum;* Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus: *& in eodem sigillo erat quædam imago, Regio sedens in solio, Regiæ maiestatis tenens in manu dextera vnam virgam, seu baculum, in Summitate cuius erat vna Crux, & in manu sinistra vnum pomum, in quo erat desuper vna Crux, exhibere curarunt, ac subsequenter 11. Nonas mensis eiusdem, ijdem Nuncij coram nobis & eisdē Fratribus in Consistorio constituti, exhibuerunt quandam supplicationem in pergameno conscriptam; cuius quidem litteræ tenor de verbo ad verbum talis est. Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Ad vniuersorum quorum interest notitiam volumus peruenire, quod Religiosos & honorabiles viros Fratrem Albertum de Strasburgh Magnum Præceptorem Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani per Alemanniam, nec non Magistrum Gruesturp de Sebech Archidiaconum Herbipolens. & Magistrum Henricum de Thoruno Canonicum Pragen. familiares, & Secretarios nostros dilectos exhibitores præsentium, nostros veros, & insolidum Procuratores legitimos, & Nuncios speciales fecimus, & ordinauimus in his scriptis, ad requirendum & sciendum apud Romanam Curiam; An quidam processus, nos, causas, & iura nostra contingentes, per Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum nostrum, Dominum Ioannem diuina prouidentia Summum Pontificem, nuper in eadem Curia, vt refertur, habiti sint, & facti, quos nondum certa relatione, insinuatione vel renuntiatione constat in nostram notitiam deuenisse: & hoc comperto, ad repræsentandum se in eiusdem Domini Summi Pontificis præsentia, petendum & recipiendum nomine nostro ab eo cum reuerentia & deuotione, dilationem termini competentis, in quo per solemnes Procuratores, & Nuncios nostros sufficienter instructos, in tam arduo negotio, super expressis & contentis in ipsis processibus, vt dicitur, nos, causas, & iura nostra de iure possimus defendere, ac de iustitia adiuuare, nostramque innocentiam declarare; Maxime cum terminus qui dicitur in eisdem processibus constitutus ad tam arduum negotium, ex quo ad nos potuit peruenire, arctus nimium sit, & breuis. Dantes dictis Procuratoribus, & Nuncijs nostris, & cuilibet insolidum, in præmissis, & circa præmissa, & eorum quolibet, plenam & liberam tenore præsentium facultatem. In cuius rei testimonium præsentes conscribi, & sigillo maiestatis nostræ iussimus communiri.* Datum apud Nuremberg. II. Idus Nouembr. Anno Domini M.CCC.xxiii. Regni vero nostri anno nono.

Idem supplicationis præfatæ series, de verbo ad verbum talis est. Pater sanctissime. Ad mandatum Sanctitatis Vestræ in scriptis posuimus, ad quid venimus, & quid à Sanctitate Vestra petere debeamus. Dicimus igitur ex parte Domini nostri, filij vestri deuoti; quod licet paucis diebus elapsis ab aliquibus murmuraretur, & absque tamen vlla insinuatione certa, referretur, apud dictum Dominum nostrum, processus aliquos esse factos à sanctitate vestra, ipsum, & iura sua, ac statum suum grauiter contingentes; tamen Dominus noster prædictus, nullatenus credere poterat, nec credebat, imò æstimabat æmulo-

rum

rum suorum esse figmenta, nec etiam verisimile reputabat, quod Sancta Romana Ecclesia taliter processisset, cum nunquam antea super ijs fuerit monitus, vel citatus. Ad cautelam tamen nos misit ad inquirendum, ac inuestigandum, Vtrum contra ipsum, vt præmittitur, processus aliqui facti essent: & si inueniremus eos esse factos, quod supplicaremus Sanctitati Vestræ, vt saluo in omnibus iure suo, daret ei terminum aliquem competentem, & decentem, inspecta locorum distantia, & maxime negotij arduitate considerata, infra quem Domino nostro prædicto processus huiusmodi veritatem referre possemus, vt ipse sibi, ac iuribus suis ipsum tangentibus, de consilio suorum Principum, & Procerum valeat super ijs, prout tenetur, & debet, salubriter prouidere, & de informanda S. V. plenius circa dictum processum, & ipsum contingentia, & de ostendenda iustitia sua, & innocentia sua circa dictum processum, & ipsum contingentia, prout sibi ipsi videbitur expedire: nec non de reformando in statum debitum, si forsan in aliquibus excessisset. Igitur Pater sanctissime, cum inuenerimus processus huiusmodi esse factos, supplicamus S. V. ex parte Domini nostri præfati, humiliter & deuote, vt saluo in omnibus iure suo, terminum competentem, prout præmittitur, dare & concedere digneminis: cum dictus Dominus noster intendat, quantum in ipso est, tamquam deuotus filius S. V. Paternitatem & Sanctam Ecclesiam vt matrem reuereri, & ipsam filiali obedientia pro posse adiuuare, defendere, & tueri, terminum petimus sex mensibus longiorem.

Nos igitur super litera, & supplicatione prædictis, cum eisdem Fratribus deliberatione præhabita diligenti, eosdem Nuncios VII. Idus eiusdem mensis Ianuarij coram nobis fecimus euocari, ac eisdem in nostra, & dictorum Fratrum præsentia in Consistorio constitutis, taliter duximus proloquendum.

Vidimus literam patentem & supplicationem prædictas, quas in nostra, & Fratrum nostrorum præsentia exhibere curastis, & contenta in eis intelleximus diligenter, ac super illis, cum eisdem Fratribus deliberatione præhabita diligenti, attendentes, & ad memoriam reducentes deuotionem, quam præfatus Dux Bauariæ per alios Nuncios suos ad præsentiam nostram hactenus destinatos, eius literas de credentia deferentes ad nos, & præfatam Ecclesiam se gerere asserebat: & quod inter alia nonnumquam nobis obtulerat per nonnullos ex Nuncijs supradictis, se paratum in Ecclesiæ prædictæ, & nostrum obsequium contra rebelles Ecclesiæ ad partes accedere Lombardiæ: miramur quamplurimum, & tam nobis iustæ admirationis ingeritur, quomodo sic subito, nulla per nos data sibi occasione, vel causa, in virum alterum sit mutatus. Ipse namque in contemptum nostrum, & magnam iniuriam Sanctæ Matris Ecclesiæ, se Regem Romanorum intitulat, cum de electo in discordia in Romanorum Regem, sicut iste fuisse dicitur, à nullo sit in dubium reuocandum, quod ante approbationem, seu admissionem electionis suæ per Sedem Apostolicam habitam, non debet tali nomine vel titulo appellari. quod vtique dudum, cum de intitulatione duorum electorum in Reges Romanorum controuersia incidisset, per Sedem eandem auditis allegationibus partium, in casu simili decretum extitit, deliberatione cum similibus tunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præhabita diligenti: ac insuper Dux prædictus Galeatio de vicecomitibus, eiusque Fratribus de Mediolano, rebellibus eiusdem Ecclesiæ, & de hæresi per eorum competentes iudices condemnatis fauere hactenus, contra præfatam Ecclesiam non expauit: nec adhuc, sicut audiuimus, à fautoria destitit eorundem. A Ferrariensibus etiam, videlicet Raynaldo & Opixone natis dilecti filij viri Aldrebaudini Esten, de labe prauitatis hæreticæ similiter condemnatis, ac rebellibus Ecclesiæ memoratæ ratione Ciuitatis Ferrariens. fidelitatem, & homagium præsumpsit recipere, ipsisque fauorem, auxilium & consilium impendere, in nostrum, & eiusdem Ecclesiæ magnum contemptum, atque dispendium, & præiudicium manifestum cum dictam Ciuitatem Ferrariens. eiusque districtum, ad plenum ius atque dominium, & proprietatem eiusdem Roman. Ecclesiæ pertinere noscatur. Administrationi etiam Imperij se indebite, ac irreuerenter immiscuit, donando de bonis ipsius, homagia recipiendo, & alia indebite attentando cum tamen huiusmodi administratio, Imperio prædicto vacante, prout ad præsens vacare dignoscitur, ad Sedem pertineat memoratam sicut hoc iure patet, consuetudine declaratur, & Romani Pontifices prædecessores nostri, in casu vacationis Imperij

iure huiusmodi vsi sunt, velut ad eos pertinente indubiè, sicut etiam nonnullis exemplis euidentibus patet. Nam fel. record. Clemens Papa IV. prædecessor noster tempore suo existentibus duobus in Romanorum Reges electis, claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ in Tuscia Vicarium Generalem constituit, qui dictum officium exercuit diligenter. Similiter piæ memoriæ Clemens Papa Quintus prædecessor noster, in prouincijs Lombardiæ, & Tusciæ, charissimum in Christo filium nostrum Robertum Regem Siciliæ Illustrem Vicarium ordinauit, cuius iuris possessione, vel quasi, præfatus Dux Bauariæ, quantum in eo est nos, & dictam Ecclesiam indebitè, & præsumptuosè nimium spoliare conatur. Si igitur prædicta, necnon verba in dictis literis, & supplicatione per vos exhibitis posita, quæ magis sunt ad turbationem irritantia, quam ad mansuetudinem mentem intelligentis prouocantia, vellemus attendere diligenter, nullum vobis responsum dare vtique deberemus: tamen memores deuotionis præteritæ dicti Ducis vobis præfatis Nuncijs de dictorum Fratrum consilio breuiter respondemus: Quod cum processus noster prædictus, contra dictum Ducem Bauariæ, & electum, vt prædicatur, factus rite sit, & super notorio habitus, terminumque competentem contineat, infra quem ad eius deduci, nisi per ipsum steterit, notitiam potuerit, ac præsumptis per ipsum temere etiam resilire, ipsaque quantum erat sibi possibile reuocare, quorum neutrum ipsum constat fecisse, per exhibita, sed potius quod intendat illa vt dicta Scriptura asserit excusare, ac de iure quod vtique electo faciendi nequaquam competat, nec potest competere se velle dicere asserat, intendens per consequens excessus suos notorios minus prouide defensare: non intendimus aliquid innouare, ipsum tollendo, vel suspendendo, vel quo ad impediendum effectum sententiarum in eo latarum, terminum, dilationem, vel prorogationem aliquam concedendo: imo volumus eum quoad omnia contenta in ipso, & ipsorum effectum in suo pleno vigore, atque robore permanere. Verum quia in dicto processu eidem aperte duximus intimandum, quod in præmissis in dicto processu contentis per omnia infra præfixum ad hoc sibi terminum exequendum foret negligens, vel remissus, Nos contra ipsum ad publicationem pœnarum in quas propter præmissos excessus notorios inciderat, vel incideret in futurum, & alias quam suadetur iustitia procederemus, eius absentia non obstante intendimus vsque ad duos menses à data præsentium computandos, à publicatione pœnarum, & processibus huiusmodi, ac ab aggrauatione supersedere processus eiusdem, infra quos certificari possimus, quid pereundum circa præmissa extiterit reformatum. Per hoc tamen non volumus, nec intendimus nos aliquatenus obligare, quin etiam eorundem duorum mensium pendente termino, ad aggrauationem dicti processus, & alias possimus procedere contra ipsum, si & prout nobis pro conseruatione iurium, & honoris eiusdem Ecclesiæ videritis expedire. Hanc igitur responsionem nostram prouidimus præsentibus adnotandam, vt nullus eidem addere vel detrahere forte præsumat vel fingere, quod præmissorum obuiet veritati. Et vt eadem responsio non solum ad ipsius Ducis, sed ad communem omnium deducatur notitiam, literas nostras bulla nostra munitas, responsionem continentes eandem, in eiusdem Ecclesiæ Auinionen. appendi vel affigi ostijs faciemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ responsionis, voluntatis, & intentionis infringere, &c. Dat. Auinione VII. Idus Ian. Anno octauo.

Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in tuis Ciuitate, & Diœcesi, in locis de quibus expedire videris, dictam responsionem, & alia contenta in eisdem literis, per te, vel per alium, seu alios, solemniter publicare procures, Clero, & populo loci cuiuslibet in publicatione huiusmodi conuocatis: nos de die receptionis præsentium, & ijs quæ super præmissis facere te continget redditurus per instrumenta publica inde facienda nihilominus certiores. Datum vt supra. In eundem modum Dilectis filijs Capitulo Turicen. mutatis mutandis.

SECVNDA IO: XXII. IN EODEM NEGOTIO EPISTOLA SCRIPTA.

VEnerabilibus Fratr. Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs,

filijs, electis, Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis, & exemptis, & non exemptis, ad quos præsentes literæ peruenerint.

Nuper contra Magnificum virum Ludouicum Ducem Bauariæ, in discordia, in Regem Romanorum electum, super nonnullis grauibus, & enormibus excessibus, inobedientijs, & contemptibus, per eum, contra Deum, nos, & Romanam Ecclesiam, ac in præiudicium Reipublicæ, & multorum scandalum perpetratis, certos processus de fratrum nostrorum consilio, & præsente multitudine copiosa fidelium habuimus, per quos ipsum electum, qui processui nostro, alias contra eum ratione dictorum excessuum habito non paruerit, excommunicatum, & vitandum, præter casus exceptos, ab omnibus nunciauimus, ac Prælatos, & personas Ecclesiasticas, qui sibi tanquam Regi, seu in Regem Romanorum electo super ijs, quæ ad Regni, seu Imperij prædictorum regimen, & administrationem pertinent, contra monitiones, inhibitiones, & mandata nostra paruerant, in pœnam suspensionis ab officio & beneficio, contra ipsos alias promulgatam incidisse declarauimus, & ad alia nonnulla processimus, sicut in eisdem processibus plenius continetur; quorum tenor sequitur sub ijs verbis.

Ioannes, &c. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Vrget nos charitas sponsæ Christi, vt eius iura volentibus præsumptuosis ausibus & reprobis vsurpare conatibus, curemus opportunis remedijs obuiare. Angit insuper suscepti cura regimini, vt quos timor Dei, à molestijs & iniurijs sponsæ præfatæ non retrahit, salutaris disciplinæ vigore retrahere satagamus. Hæc profectò dudum, ad nostram, & fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium fama diuulgante deducta notitiam, quod nonnulli, potestatis & dignitatis fastigium illicite ambientes, Vicariatus, seu alterius cuiuscumq; nomen officij assumpserant, seu assumebant in imperio quod tunc vacabat, sicut adhuc vacare dignoscitur, illudq; absq; nostra, seu Apostolicæ Sedis petita licentia, vel obtenta sibi retinere, seu de nouo aßumere, temerarijs ausibus præsumpserant, & etiam præsumebant, multaque sub eius colore faciebant, & fecerant, quæ in nostram, & Ecclesiæ sponsæ Christi, ad quam regimen vacantis imperij pertinet, graue iniuriam, & enorme præiudicium redundabant, ob zelum eiusdē Ecclesiæ nos inquietos, & nimium anxios adeo reddiderunt, vt contra omnes & singulos cuiuscumq; status præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existerent, etiamsi Patriarchali, vel quauis alia superiori, aut Pontificali, seu quacunq; alia dignitate fulgerent, qui post dicti vacationem imperij, absq; licentia dictæ Sedis huiusmodi Vicariatus, seu cuiuscumque alterius officij nomen sibi vbilibet vsurparant, seu vsurparent, vel retinerent, siue tali denominatione abusi erant, seu abuterentur potestate, vel iurisdictione quacumque seu eius exercitio, publice, vel occulte, nisi infra duorum mensium spatium à data litterarum nostrarum super præmissis confectarum numerandum, à prædictis omnibus penitus desisterent, & cessarent, vt licentia Sedis eiusdem se super hoc munitos ostenderent, 11. Kal. mens. April. Pontif. nostri anno primo, processus publicos continentes monitiones, prohibitiones, ac excommunicationis, & interdicti sententias, de eorundem fratrum consilio faceremus: & vt ijdem processus ad communem omnium notitiam deuenirent, chartas, sine membranas, processus continentes eosdem, in maioris Ecclesiæ Auinion. ostijs, seu superliminaribus appendi fecimus, & affigi. Hæc insuper ijs proximis diebus præteritis, videlicet 8. Id. mens. Octob. proxime iam elapsi, specialiter contra Magnificum virum Ludouicum Ducem Bauariæ, in discordia in Regem Romanorum electum, promouendum in Imperatorem futurum, qui nullis priuilegijs, nullaq; licentia Sedis prædictæ, vel alijs munimentis legitimis, ex quibus sibi quomodolibet prædicta licerent, infra dictorum duorum mensium spatium, seu postea per eum exhibitis, vel ostensis, nec eius electione admissa, neque approbata persona, sibi nomen Regis Romanorum indebite vsurpauit, ac administrationem dictorum Regni, & Imperij, in eiusdem Ecclesiæ manifestam iniuriam, plurimorum scandalum, suæ, & aliorum multorum animarum periculum, præsumptuosè, ac periculosè ruinam se ingessit; nec non præfatæ Ecclesiæ rebellibus, sicut Galeatio de Vicecomitibus, & eius fratribus, quamuis essent de crimine hæresis per definitiuam sententiam à suis competentibus iudicibus exigente iustitia condemnati, & nonnullis alijs perfidis Dei, & Ecclesiæ prædictæ hostibus fauorem, & defensorem exhibuerat,

rat, contra dictam Ecclesiam, & adhuc exhibebat, procedere de eorundem fratrum consilio cõpulerunt, ipsumque propter præmissos excessus, per edictum publicum, præsente multitudine fidelium copiosa monuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu huiusmodi monitioni pareret, incurrere volumus ipso facto, auctoritate Apostolica districtius iniungentes, vt infra trium mensium spatium à data literarum nostrarum super hoc confectarum computandum, quos ei de ipsorum fratrum consilio pro peremptorio termino duximus assignandos, ab administratione, fautoria, & defensione huiusmodi penitus abstineret, administrationem ipsam per se, vel alium; vel per alios nullatenus resumpturus, nisi si, & quando electionem suam huiusmodi, quæ de ipso celebrata dicitur, ac personam ipsius per Sedem Apostolicam approbari contingeret, & admitti; quodque gesta per eum, post præsumptum ab eo memoratum titulum circa præmissa, quatenus processere de facto, cum de iure non teneant, nec tenerent, velut ab eo cui ius non competebat, nec competit eadem faciendi, attentata curaret infra dictum terminum, quantum sibi foret possibile, realiter reuocare; apertè sibi nihilominus intimantes, quod si in præmissis, per eum infra dictum terminum exequendis negligens existeret, vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmissos excessus notorios incidisse noscebatur, vel incideret in futurum, & alias quantum suaderet iustitia procederemus, eius absentia non obstante. Vniuersis insuper Patriarchis, Archiepisc. & Episc. aliisque personis Ecclesiasticis quibuscunque, sub pœna suspensionis ab officio, & beneficio, quam eos incurrere volumus ipso facto, nisi infra dictum terminum huiusmodi nostræ inhibitioni efficaciter obedirent; & tam ipsis quam omnibus, & singulis ciuitatibus communitatibus, & vniuersitatibus, nec non personis singularibus quibuscunque cuiuscunque conditionis aut status existerent, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non priuationis Priuilegiorum quorumcunque Apostolicorum, & Imperialium, ac feudorum quæ ab Ecclesia, vel Imperio quomodolibet obtinerent, districtius duximus inhibendum, ne prædicto Ludouico in præmissis, vel aliis Regni, seu Imperii tangentibus regimen tanquam Regi, seu in Romanorum Regem electo, nisi & quousque dictam electionem, & personam ipsius per Sedem eandem approbari contingeret, & admitti, parerent in aliquo, seu intenderent quouis modo; neque eidem in quibuscunque ad regimen prælibatum spectantibus præberent consilium, auxilium, vel fauorem: non obstante si ipsi, vel eorum aliqui, se ad hoc dicto Ludouico vt Regi, seu in Romanorum Regem electo adstrinxissent, per fidelitatis, vel alterius cuiuslibet generis iuramenta; quæ cum præstita fuissent ei, cui minimè præstari debuerant, nec præstantes ad eorum adstringebant obseruantiam nec adstringant; quæ nihilominus ad cautelam, auctoritate Apostolica duximus relaxanda. Seu si præfato electo, vel quibusuis aliis per literas Sedis eiusdem foret sub quacunque verborum forma, vel expressione verborum concessum, vel concederetur in posterum, quod excommunicari, suspendi, vel eorum terræ, seu loca interdici non possent, quas contra processum nostrum prædictum in nullo eis volumus suffragari. Voluimus insuper, & Apostolica authoritate decreuimus, quod dictus processus eundem electum, & alios supradictos apprehenderet, & arctaret, ac si eisdem personaliter publicatus, & insinuatus solenniter extitisset, constitutione quacunque per prædecessores nostros Rom. Pont. in contrarium edita non obstante. Et vt idem processus, ad eiusdem electi & aliorum quorum intererst communem deduceretur notitiam, chartas, siue membranas processum continentes eundem, in ostiis eiusdem Auin. Ecclesiæ appendi fecimus, seu affigi, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo iudicio publicarent; vt dictus electus, & alii quos idem contingebat processus, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos non peruenisset, vel quod ignorassent eundem: cum non esset verisimile, quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod esset tam patenter omnibus publicatum.

Post hæc autem dilecti filii Alber. de Strasburch Magnus Magister, Euerstorp de Sebech Archidiaconus Herbip. & Henric. de Thoruno Canon. Pragen. ad Sedem Apost. personaliter venientes, ac coram nobis, & eisdem fratribus infra dictum terminum, videlicet 4. Non. mens. Ian. proximè præteriti, eiusdem Ludou. Procuratorio nomine comparentes, super huiusmodi procuratione quandam patentē literam

ram eiusdem Ludouici, vt asserebant, sigillo ceræ albæ sigillatam, in cuius sigilli circunferentiis erat scriptum, Ludouicus Dei gratia Romanorũ Rex sẽper Augustus, ac in eodem sigillo erat sculpta quædam imago Regia sedens in solio Regio, tenens in manu dextra sceptrum Regale, in cuius summitate erat vna Crux, & in manu sinistra vnum pomum, in quo similiter erat desuper Crux; exhibere procurarunt; quæ quidẽ litera in prima linea sic incipit; Nos Ludouicus Dei gratia Romanorũ Rex semper Augustus, ad vniuersorum quorum interest, volumus peruenire. Et continuatur in secunda: Quod religiosos et honorabiles F. Alb. de Strasburch Magnum Præceptorem Ordinis Hospitalis S. Ioannis. Nona vero linea eiusdem literæ incipit, Summi; & 15. tantæ; & in 16. incipit Nurembarch; & finit, nostri; & in vltima linea finit, sunt duæ deuotiones; tantum, videlicet anno 9. subsequẽter vero, pridie videlicet Non. mens. eiusdem. Insuper dicti Procuratores corã nobis, & eisdem fratribus exhibuerunt in Consistorio quandam supplicationem in scriptis specialiter continentem, per nos, eorum Domino aliquem competentem & decentem terminum indulgeri. Qua supplicatione diligentius intellecta, de ipsorum fratrũ consilio duximus breuiter respondendũ; quod cum dictus processus noster contra dictum Ducem, ac electum, rite, & super notorio esset factus, competentemq; terminum contineret, infra quem ad eiusdem Ducis, seu electi, nisi per eum stetisset deduci notitiam potuisset, & ipse a temere præsumptis per eum resilire, ipsaq; quantum erat sibi possibile, poterat reuocare, non intendebamus dictum processum tollere vel suspendere, vel quoad impediendum effectum sententiarum in eo latarum, terminum prorogare: imo volebamus eum quoad omnia contenta in ipso, & ipsorum effectum in suo pleno vigore, atq; robore permanere: hoc tamen saluo, quod intendebamus vsq; ad duos mẽses, à data literarum nostrarum confectarum super hoc computandos, a publicatione pęnarũ, quas idem electus propter excessus prædictos incurrerat, & ab aggrauatione processus huiusmodi abstinere, prout in literis nostris inde confectis, quas vt processus contentus in eis, ad ipsius electi, ac omnium communem notitiam deueniret, in eiusdem Auin. Eccles. ostiis appendi similiter fecimus, & affigi, plenius continetur. Quam quidem dilationem dicti Procuratores, cũ gratiarum actionibus acceptarunt. Sane quamuis præfati electi, in nõ parẽdo prædictis nostris monitionibus, & mandatis inobedientia pertinax: nec infra secundum terminum sibi similiter huiusmodi dilatione concessum comparendo coram nobis per se, vel Procuratorem legitimum, nec etiam postea de benignitate Sedis Apostolicæ diebus plurib. expectati, contemptus eiusdẽ exigant, scandalum quoq; & pericula plurima; quæ profecto præmissorum dissimulatio, & impunitas vel dilata iustitiam, probabiliter comminatur desiderent super præmissis contradictum electum, de remedio celeri per opportunam, & rigorosam iustitiam prouideri: Nos tamen adhuc volentes cum eodem electo vti potius mansuetudine quam rigore, ac probare, vtrum mansuetudinis nostræ benignitas, ipsum à tam periculoso deuio valeat, quod desideriis intensis appetimus, reuocare, de dictorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica per infrascriptum modũ duximus ordinandum. Videlicet, quod ad publicationem sententiæ excommunicationis per nos, vt præmittitur promulgatæ, in quam idem electus propter suam in præmissis cõmissam inobedientiam & contemptum incidisse dignoscitur, procedentes, ab aliarum pęnarum publicatione, in quas similiter incidit, supersedeamus ad præsens, ideoque præfatum electum de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica, in prædictam excommunicationis sententiam incidisse, præsente hac multitudine copiosa fidelium declaramus, ipsumq; prædicta excommunicationis sententia innodatum, & velut excommunicatum, præter casus exceptos, euitandum ab omnibus nunciamus; eumq; nihilominus astante prædicta multitudine copiosa fidelium, per hoc præsens edictum publicum solemniter auctoritate prædicta monemus, sibi auctoritate Apost. sub pœna priuationis omnis iuris, si quod sibi ex sua electione prædicta, quæ de ipso dicitur celebrata, vel ad Regnum, & Imperium Rom. quoquo modo competit, & posset cõpetere, quam si Monitioni & mandato huiusmodi efficaciter non parebit eum incurrere volumus ipso facto. Districtius iniungentes, vt infra trium mensium spatium, à data præsentium in antea computandum, se Regem Rom. non intitulet, nõ denominet, nec describat, nec per alios faciat, quantum in eo fuerit, tali intitulari titulo, vel etiam nominari, ab intitulatione, et denominatione Regali huiusmodi per eum indebite vsurpata, ac administratione Regni, & Imperii prædictorũ, et rerum; & iurium eorundẽ denomi-

nominationem, intitulationem, & administrationem præfatas non resumpturus vlterius, nisi si, & quando personam ipsius, & electionem quæ de ipso celebrata fuisse dicitur, per sedem eandem approbari contigerit, & admitti. At fautoria quoque, & defensione tam dictorum hæreticorum Mediol. rebellium Dei & Ecclesiæ, quam Ferrariensium videlicet Raynaldi, & Opizonis filiorum dilecti filij nobilis viri Ildebrandini Marchionis Estensis, qui quidem filij sunt similiter de labe prauitatis hæreticæ condemnati, ac rebelles Ecclesiæ memoratæ, eorumq; futurorum, valitorum & sequaciũ prorsus abstinere procuret, fidelitati etiam, et homagio, quæ ratione ciuitatis Ferrariensis, quæ ipsius Rom. Eccl. pleni iuris, & proprietatis existit, præsumpsit recipere ab eisdem, in nostrum, & eiusdem Ecclesiæ magnum contemptum, atque dispendium & præiudicium manifestum, publice, & omnino renunciet, illaq; prorsus à se abijciat, quasi nunquam sibi præstita extitissent, nec ratione illarum aliquid penitus iuris vsurpet in ciuitate Ferrar. prædicta, eiusq; districtu, vel ciuibus, ac districtualibus eorundem, sed potius omnia prædicta vsurpata, præsumpta, et attentata per ipsum, sub denominatione, et intitulatione prædictis, seu colore, vel occasione ipsarum, curet effectualiter infra dictum terminũ, prout sibi possibile fuerit, solemniter, & publice reuocare, ac parere in omnib. prædictis nostris monitis, inhibitionibus, & mandatis: nec non & de eiusdem Ecclesiæ redire gremiũ studeat, satisfactionem debitam impẽsurus, de offensionibus, & iniurijs supradictis, ac nihilominus infra dictum terminum, quod prædicta omnia reuocauerit, ac paruerit in eisdem omnibus huiusmodi nostris monitionibus, inhibitionibus, & mandatis plenariè cum effectu, nos per authenticas personas, literas, vel instrumentum publicum certificare procuret. Ac insuper infra dictum terminum per se, vel Procuratorem, seu Procuratores idoneos compareat corã nobis super dictis excessibus, offensionibus et iniurijs, ac super pœna priuationis iuris si quod sibi competit, vel competijt ad Regnum, seu Imp. supradictos declaranda, vel inferenda, nec non & pœnis alijs, quibus excessus, ac inobedientia, & contemptus prædicti, eundem electum obnoxium reddiderunt, definitiuam sententiam, & nostrũ beneplacitum, quantum officium nostrum patitur, auditurus, & alia facturus, & recepturus, quæ iustitia suadebit. Huiusmodi verò terminũ eidem electo, de dictorum Fr. consilio ad præmissa & præmissorum singula peremptorium esse volumus, & pro peremptorio assignamus, apertius prædicẽtes eidem, quod nos ad præmissa coniunctim, vel diuisim, si neq; venerit, neq; miserit procedemus, prout expedire viderimus, eius absentia non obstante. Vniuersos quoq; Patriarchas, Archiep. & Episc. aliasque personas Eccles. qui parere forsitan neglexerint prædictis nostris monitionibus, inhibitionibus, et præceptis eidem Duci tanquam Regi, seu in Regem Rom. electo obediendo, vel intendendo, seu præstãdo quomodolibet per se, vel alium, seu alios, auxilium, consilium, vel fauorem, publicè vel occultè, auctoritate prædicta, de ipsorum Fr. cõsilio declaramus pœnam suspensionis ab officio, & beneficio contra eos promulgatam in dictum nostris processibus incurrisse. Rursus eosdẽ Patriarchas, Archiep. & Episc. aliasq; personas Eccles. præsentium auctoritate monemus, tam sub excommunicationis pęna quam ipsos, & eorum singulos contra inhibitionem, monitionem, ac mandata nostra huiusmodi temere venientes incurrere volumus ipso facto, quam sub priuationis dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum Eccl. pœnis & sententijs ad quarum etiam inflictionem contra nos parẽtes procedemus, sicut viderimus expedire, eisq; districtius iniungimus, & etiã inhibemus expressè, ne ipsi vel eorum aliqui præfato Duci tanquam Regi, seu in Regem Rom. electo, in quibuscunque Regni, seu Imperium prædictorum regimen, seu administrationem tangentibus pareant, & adhæreant quolibet, vel intendant, nec eidem per se, vel aliũ, seu alios directe, vel indirecte publice, vel occulte super prædictis præstent auxilium, consilium, vel fauorem; auctoritate Apost. decernẽtes eosdem perinde ligari prædictis pœnis, & sententijs, & adstringi ac si proprijs eorum nominib. nominati essent specialiter, et expresse, eis nihilominus prædicentes, quod contra eos ad priuationis dignitatum, personatuum, officiorum, et beneficiorum Eccl. quorumcunq; nec non priuilegiorum, & inhabilitationis, & pœnas alias procedemus, si contra monitionẽ, inhibitionem, & præcepta huiusmodi facere præsũpserint, vel venire. Et licet contra ciuitates, communitates, vniuersitates, ac singulares personas alias, quæ in prædictis, vel circa ea forsitan deliquerunt, contra monitionem & inhibitionẽ nostras prædictas temere veniendo ad debitam impositionem pœnarum propter hoc fuisset merito

rito

rito procedendum tamen de Sed. Apost. gratia adhuc amplius prouidimus expectandũ. Ideoq; omnib. et singulis ciuitatibus, communitatibus, vniuersitatibus & personis singularib. quibuscunq; cuiuscunq; præeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existant, etiamsi regali, aut alia dignitate quacunq; præfulgeant, in virtute obedientiæ, et sub excommunicationis in singulares personas, & interdicti in ciuitates, terras, & loca ipsarum, ac communitates, & vniuersitates prædictas, quas eas, si contrarium fecerint incurrere volumus ipso facto, nec non priuationis Priuilegiorum, quorumcunq; Apostolicorũ, & Imperialium, ac feudorum, quæ à Romana, vel alijs Eccl. vel imperio quomodolibet obtinent, pœnis & sententijs iniungimus, ac districtius inhibemus, ne præfato electo in prædictis, vel alijs dictorum Regni, seu Imp. regimen, vel administrationem quoquomodo tangentibus, Regi, seu in Regem Rom. electo, nisi si, & cũ dictam electionem ipsius admitti, eiusq; personam per dictam Sed. Apost. approbari contigerit, in aliquo pareant, vel intendant; nec in præmissis, vel ea quomodolibet tangentibus eidem adhæreant, aut præstent, per se, vel aliũ, seu alios, auxilium, consilium, vel fauorem. Alioquin contra eos, vel illos ex eis, qui contrarium attentare præsumpserint, ad illationẽ harum pœnarum, et alias procedemus, prout fuerit rationis opportunum. Non obstantib. fidelitatis, & quibusuis alijs iuramentis, per quæ ipsi, vel eorum aliqui se dicto electo quomodolibet adstrinxissẽt, ad quorum obseruantiam, cum præstita fuerint, et, cui minime præstari debuerant, præstantes eadem nullatenus adstringũtur; quæ nos etiam ad cautelam auctoritate Apost. duximus relaxãda: seu quibusuis priuilegijs, et indulgentijs, præfato electo, aut quibusuis alijs, communiter, vel diuisim, sub quacunq; forma, vel expressione verborum, ab eadem sede concessis, quæ sibi, vel eorum alicui, contra præsentem, & alium processum nostrum super his habitum, in nullo volumus suffragari. Confœderationes quoque, pactiones, & societates, si quæ inter ipsum electum, & quascunq; ciuitates, communitates, vniuersitates, aut singulares personas, cuiuscunq; sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel status, etiam si Patriarchali, aut alia superiori Pontificali vel Regali; seu quauis alia præfulgeant dignitate, super prædictis, vel ea tangentibus factæ, seu initæ fuerint, sub quacunq; forma vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adiectione, & iuramentorum præstatione, vel quacunq; fuerint alia firmitate vallatæ, vtpote in diuinæ maiestatis offensam, ac contra iura, & honorem S. Matris Eccl. ac in damnum, & præiudicium reipub. & periculum animarum præsumptas, decreuimus nullas, caßas, irritas, & inanes, ac nullius existere firmitatis; et eas quatenus processere de facto, reuocamus, cassamus, irritamus, dissoluimus, et omnino virib. vacuamus. Iuramenta insuper super hoc præstita, de Apost. potestatis plenitudine relaxamus: omnes & singulos, qui confœderationes, pactiones, et societates huiusmodi cum dicto electo, contra processus huiusmodi, post dictum terminũ præsumpserint obseruare, prædictas excõmunicationes, et alias pœnas, et sententias incurrere volumus ipso facto: contra eos grauius, spiritualiter & temporaliter processuri, prout viderimus expedire. Cæterum prædictas suspensionum, & excommunicationum, & interdicti sententias, sic firmiter sicq; immobiliter volumus obseruari, quod absoluendi ab eis, vel relaxandi easdẽ nisi tantũ in mortis articulo, tã omnib. pœnitentiarijs nostris, quã quibuscũq; alijs confessorib., generalib. vel specialibus, seu familiarib., quarumcũq; vel quantumcunq; sublimiũ personarum vbilibet consistentium, etiamsi eis à nobis, vel aliquo prædecessorum nostrorum, sub quacunq; verborum forma, absoluendi, a sententijs, hominis vel Canonis, seu eas relaxandi, generalis, vel specialis, sit vel fuerit concessa facultas, adimimus potestatem absolutionem huiusmodi soli Rom. Pont. reseruamus. Quod si forte eos, vel eorum aliquem in prædicto mortis articulo absolui contingeret, nisi sanitate recepta, Sedi Apost. quam primum commode poterunt, se præsentauerint, satisfacturi de præmissis iuxta mãdatum Rom. Pont. ipso facto in prædictam excommunicationis sententiã relabãtur. Et ut præsens processus, ad eiusdem electi, & aliorum quorum interest communem notitiam deducatur, chartas, siue membranas processum continentes eundem, in eiusdem Auinion. Ecclesiæ, appendi vel affigi ostijs faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: vt prædictus electus, & alij, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Cæterum volumus, & auctoritate Apost. decernimus,

quod dictus processus præfatum electum, et alios supradictos apprehendat, et arctet, ac si eisdem personaliter publicatus, & insinuatus solemniter extitisset: cõstitutione quacunq; per prædecessores nostros Rom. Pont. in contrarium edita nõ obstante; quum ad eiusdem electi præsentiam, pro eodem processu publicando, & insinuando, securus accessus non pateat, nec posset commode, singulorum quos tangit, auribus inculcari. Datum Auinione 10. Kal. April. Ann. 8.

Quocirca fraternitati vestræ per Apost. scripta mandamus, quatenus in ciuitatibus, & diœcesi, & locis alijs vestris, de quib. expedire videretis, per vos, vel per alium, seu alios, tam religiosos, quam sæculares, exemptos & non exẽptos, quos ad hoc per censuram Eccles. si necesse fuerit, compellatis; non obstante si eis, vel eorum aliquibus, communiter vel diuisim, quod interdici, suspẽdi, vel excommunicari non possint per literas Apost. non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem; seu si religiosis ipsis, vel eorũ ordinibus, quod de negotijs, quæ auctoritate literarum dictæ Sedis committerentur eisdem, se non teneantur intromittere, ab eadem Sede indultum existat, quod prædictum electum, excõmunicatum, prædictosq; Prælatos, & personas Eccl. quæ parendo, vel intendendo sibi tanquã Regi, seu in Rom. Regem electo, monitionum, & inhibitionum nostrarum prædictarum extiterint temerarij transgressores, dictam suspensionis pœnam, & sententiam incurrisse, & alia omnia contenta in eisdem processibus, dieb. dominicis & festiuis, de quibus vobis videbitur, astante fideli populo, cum conuenerit ad diuina, denunciare & publicare solemniter procuretis: facientes de publicatione huiusmodi fieri publica instrumenta, nobis fideliter transmittenda, per vestras literas continentes principium & finem præsentium: nihilominus rescripturi, quicquid in prædictis duxeritis faciendum.

In eundem modum scripsit Ioannes Pontifex Bertrando Cardinali Legato Lombardiæ, mutatis mutandis: & multis alijs Prælatis per vniuersum orbem.

TERTIA EPISTOLA IOAN. PAPÆ XXII. Seu processus priuationis aduersus Ludouicum Bauarum.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sicut ad curam periti medici pertinet adhibere fomenta fortia, cum lenia non prodesse cognoscit, sic profecto præsidentis officio congruit, cum ad correctionem peruersorum instictas pęnas non sufficere percipit, vt adijciat grauiores. Hinc per Psalmistam; in chamo, et fręno maxillas illius constringere Dn. præcipit, qui ad suum Præsidem eius non obediendo salutaribus monitis, appropinquare contemnit. Hæc vtique circa personam viri magnifici, Lud. Ducis Bauariæ, in discordiam Regẽ Rom. electi, nos seruasse declarant euidentius, quæ sequuntur. Dudum siquidẽ pro eo, quod dictus Dux Bauariæ, in discordia, in Regem Rom. promouendum in Imp. electus discordi electione huiusmodi per Eccl. Rom. ad cuius examẽ personæ electi in Regem Rom. in Imp. assumendi approbatio, & electionis admissio pertinet; discordi electione huiusmodi non admissa, nec eius approbata persona, nomen Regis Rom. indebite vsurpauerat, ac Regni Rom. et Imp. administrationi se in eiusdem Ecclesiæ manifestam iniuriam, plurimorum scãdalum, suæ, et aliarum multarum animarum periculum; ac etiam contra processus nostros aduersus talia præsumentes excommunicationis, & alias diuersas spirituales, & temporales pœnas, & sententias continentes factos antea, & solemniter publicatos, nimis præsumptuose & periculose ingesserat; exigendo videlicet, & recipiendo sub præfato titulo Regio fidelitatis, in Alamanniæ, et nonnullis, Italiæ partibus, tam à personis Eccl. quam sæcularibus vasallis Imperij, per se et alios iuramenta, ac de dignitatibus, honoribus, & officijs ad eiusdẽ Rom. Regni seu Imperij dispositionem spectantib. pro suo libito disponendo sicut diebus præteritis de Marchionatu Brandenburg. quem primogenito suo de facto publice contulit, ordinauit, & alia plurima exercendo, quæ ad eiusdem Rom. Regni & Imperij regimen, non est dubium pertinere. Nec non Ecclesiæ memoratæ rebellibus, sicut Galeatio de Vicecomitibus eiusque fratribus, de crimine hæresis, à suis competentibus iudicibus exigente iustitia, sententialiter & publice condemnatis, ac nonnullis alijs perfidis, Dei, & Eccl. prædictæ hostibus, se cõtra ipsam defensorem exhibuerat, & fautorem, et alia grauia commiserat, quæ nec non & alia plurima, quæ circa præmissa temere præsumpserat attentare, adeo erant notoria, quod nulla tergiuersatio-

ne celari poterant, nec dissimulatione neglectu irreprehensibiliter incorrecta relinqui, certos processus, per quos ipsorum à deuijs huiusmodi ad veritatis, & iustitiæ semitam reducere studebamus, de fratrum nostrorum consilio diuersis temporibus fecimus contra eum.

Primo namq; videlicet 8. Item mensis Octob. proxime iam elapsi, ipsum per edictum publicum, præsente fidelium multitudine copiosa monuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna, quam ipsum, nisi cum effectu huiusmodi monitioni pareret, incurrere voluimus ipso facto, auctoritate Apost. districtius duximus iniungendum, vt infra triú mẽsium spatium á die prædicta in antea computãdum, quos ei ad hoc de ipsorum fratrum consilio pro peremptorio termino duximus assignandos, ab administratione, fautoria, et defensione prædictis penitus abstineret, administratorem ipsã per se, vel alium, seu alios nullatenus resumpturus; nisi tũc demum, cum, & si electionem suam huiusmodi, ac personam ipsius per Sed. Apost. approbari contingeret, & admitti. Quodq; gesta per eum post præsumptum ab eo memoratum titulum circa præmissa, quatenus de facto processerant, cum de iure, velut ab eo cui ius non cõpetebat eadem faciendi, præsumpta nullo modo tenerent, infra dictum terminum, quantum foret sibi possibile, realiter reuocaret. Aperte sibi nihilominus intimantes, quod si in præmissis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens existeret, vel remissus, nos contra ipsum ad publicat. pœnarum, in quas propter notorios memoratos excessus inciderat, vel incideret in futurum, & alias quantum suaderet iustitia procederemus, eius absentia non obstante. Vniuersis insuper Patriarchis, Archiep. & Episc. alijsq; personis Eccl. quibuscunq; sub pena suspẽsionis ab officio, et beneficio, quam ipsos in incurrere voluimus ipso facto, nisi infra dictum terminum, huiusmodi nostræ inhibitioni efficaciter obedirent; & tam ipsis quam omnib. et singulis ciuitatib. & communitatib. et vniuersitatibus, nec non personis singularib. quibuscunq; cuiuscunq; conditionis aut status existerent, etiam si regali aut alia quacunq; dignitate fulgerent, in virtute S. obedientiæ, et sub pena excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec nõ priuationis priuilegiorum quorumcunq; Apostolicorum, & Imperialium, ac feudorum, quæ ab Ecclesia, vel imperio quomodolibet obtinerent; districtius duximus inhibendum, ne prædicto Ludou. in præmissis, vel alijs Regni & Imperij tangentibus regimen, tanquam Regi, seu in Regem Roman. electo, nisi & quousque dictam electionem & personam ipsius, per Sedem eandem approbari contingeret, & admitti, parerent in aliquo seu intenderent quouis modo; neque eidem circa præmissa præberent auxilium, consilium, vel fauorem. Qua dilatione pendente, dilecti filij, Albertus de Strasbarch Magnus Præceptor ordinis Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani per Alemanniam, nec non Magister Euerslurp de Sebech Archidiaconus Herbipolen. & Henr. de Thorono Canonicus Pragen. ad Sedem Apost. personaliter venientes, coram nobis & fratribus nostris, videlicet 4. Nonas mensis Ian. proxime præteriti, eiusdem Ludou. Procuratorio nomine comparere curarunt, fidem de suo procuratorio facientes per quasdam patentes literas ipsius electi, vt asserebant, & prima facie apparebat communitas sigillo; in cuius quidem sigilli circumferentia legebatur, Ludou. Dei gratia Rom. Rex semper Augustus, ipsæq; literæ incipiebant, Ludou. Dei gratia Rom. Rex semper Augustus. Ad vniuersorum, &c. & subsequenter 11. Nonas mensis eiusdem Procuratores ipsi in Consistorio supplicarunt, per nos dicto eorum Dn. aliquem super præmissis decentem terminum indulgeri. Nos v. super hoc cum eiusdem fratribus diligenti deliberatione præhabita, & de ipsorum consilio eisdem Procuratoribus duximus respondendum. Quod, quia dictus noster processus, ad omnia & singula in ipso contenta sufficientem terminum continebat, ipsum in aliquo tollere vel suspendere nolebamus, sed illo in suo totali effectu, ac robore permanente, non intendebamus, vsque ad duos menses tunc immediate sequentes, ad publicationem pœnarum, quas idem electus, propter excessus præfatos incurrerat procedere, seu nostrum contra ipsum processum quomodolibet aggrauare prout hæc in literis nostris inde confectis plenius continetur. Quam quidem dilationem dicti Procuratores, cum gratiarum actionibus acceptarunt; infra quos quidem duos menses præfatus electus, nec per se coram nobis comparuit, nec aliquis alius pro eodem.

Quamuis autem eiusdem electi in non parendo nostris monitionibus, et mandatis inobedientia pertinax, & ipsius infra prædictum secundum terminum, & postea etiam dieb. plurib. expectati, corã nobis per se, vel Procuratoré legitimũ minime cõparentis contemptus euidens, ac scandalum, & pericula plurima, quæ præmisso-

missorum dissimulatio, & impunitas, vel dilata iustitia probabiliter minabātur, omnino exigerent super præmissis contra eundem electum de remedio cleri mediante iustitia prouideri. Nos tamen experiri volentes, vtrum per viā mansuetudinis eum possemus à tam periculoso deuio reuocare, à publicatione, seu impositione pœnarū quibus se propterea obnoxiū reddiderat, præter excommunicationis sententiā per nos in eū, nisi nostris pareret monitionibus, vt præmittitur, promulgatam, quam ipsum de eorundē fratrum consilio 10. Kal. April. proxime præteriti, astante multitudine copiosa fidelium declarauimus incurrisse, pro tunc duximus abstinendum.

Sane adhuc per adiectionem pœnarum aliarum, eum prædictam excomm pœnam non sufficere videremus, ipsum à tam pernicioso deuio reuocare volentes, dicta die, de fratrum eorundem consilio ipsum per nostrum edictum publicum solemniter, auctoritate præfata monuimus, sibiq; sub pęna priuationis iuris, si quod ei ex sua electione prædicta, ad dictum Regnum & Imp. competebat, quam si monitioni & mandato huiusmodi efficaciter non pareret, eum incurrere voluimus ipso facto, districtius duximus iniūgendum, vt infra trium mensium spatiū, à data die in antea computandum; ab intitulatione, & denominatione regali huiusmodi, per eum indebite vsurpatis; et administratione Regni et Imperij prædictorum, ac rerum, et iuriū eorundem penitus abstineret, se Regem Rom. non intitulādo, nec denominando, nec describendo vlterius, nec se per alios, quantum in eo foret, tali intitulari vel describi titulo, seu nomine faciendo, denominationem, intitulationem, & administrationem præfatas non resumpturus vlterius, nisi si, & quando electionem prædictam, et personā ipsius per eandem sedē approbari contingeret, & admitti. A fautoria quoq; & defensione, tam dictorum hæreticorum Mediol. rebellium Dei et Eccl. quam Ferrar. videlicet Raynaldi & Opizonis, olim Marchion. Esten. de hæresi similiter condemnatorum, ac rebellium Eccl. supradictæ, ipsorumq; fautorum, valitorū, & sequacium omnino desisteret: nec non fidelitati et homagio, quæ ratione ciuitatis Ferrarien. ad plenum ius & proprietatem Rom. Eccl. pertinētis, præsumpsit de facto ab eisdem recipere, in nostrum, et Eccl. eiusdem magnum contemptum, atq; dispendium, & præiudicium manifestum, renunciaret omnino, et publice; ac à se illa prorsus abijceret, quasi sibi nunquam præstita extitissent; nec ratione illorum in ciuitate prædicta, eiusdemq; districtu, vel ciuibus, & districtualibus eorundem aliquid iuris præsumeret vsurpare: sed potius prædicta omnia vsurpata, præsumpta, & attentata per ipsum sub denominatione et intitulatione prædictis seu colore, vel occasione ipsorum curaret infra dictum terminum prout sibi foret possibile solenniter, et publice reuocare, ac parere in omnibus prædictis nostris monitionibus, et mandatis, et ad eiusdem Eccl. rediret gremiū, de offensionib & iniurijs supradictis satisfactionē debitam impensurus. Et insuper, postquā prædicta omnia reuocasset, et paruisset in illis effectualiter, & plenarie nostris monitionibus, inhibitionibus, et mandatis, nos de his omnib. infra præfatū terminū per literas autenticas, vel instrumēta publica certificare curaret; & nihilominus cōpareret infra eundē terminum, per se, vel Procuratorē, seu Procuratores idoneos coram nobis super dictis excessibus offensionibus, et iniurijs, ac super pęna priuationis iuris, si quod sibi cōpetebat, vel competierat ad Regnum seu Imp. supradicta, declaranda, seu inferenda, nec non et pœnis alijs, quibus excessibus, inobediētia et contemptus prædicti obnoxium eum reddiderant, definitiuam sententiam, & nostrum beneplacitum, quantum pateretur officium auditurus, & alias facturus, & recepturus quod iustitia suaderet. Quen quidē terminum eidem electo de dictorum fratrū consilio, ad præmißa, et præmissorum singula perēptorium esse voluimus, & pro peremptorio duximus assignandum, eidem apertius prædicentes, nos ad præmissa coniunctim, vel diuisim, si neq; veniret, neq; mitteret processuros, prout expedire videremus, eius absentia non obstante. Præterea vniuersos Patriarchas, Archiep. & Episc. cæterasq; personas Eccl. quæ parere forsitan neglexerant nostris monitionibus, inhibitionibus, & præceptis contentis in processibus supradictis, eidem Duci tanquā Regi, seu in Regē Rom electo parendo, vel obediendo, aut præstādo, per se, vel per aliū seu alios auxilium, consilium, vel fauorem, publice vel occulte incurrisse pęnam suspensionis ab officio, & beneficio in eisdem promulgatam processibus; de dictorum fratrum consilio declarantes, eosdem monuimus, eisq; tā sub excōmunicationis, quam ipsos dictis monitionibus, et inhibitionib. nō parentes incurrere volumus ipso facto, quam sub priuationis dignitatum, personatuū, officium & beneficiorū Ecclesiast. pęnis & sententijs, ad quarum inflictionē, cōtra nos parentes, nos infallibiliter processuros prediximus, prout nobis expediens videre-

dere-

deretur, districtius duximus iniungendum, ac etiam inhibēdum, ne ipsi, vel eorū aliqui præfato Duci tanquā Regi, vel in Regē Rom. electo, super ijs, quæ ad Regnum vel Imp. supradicta, aut eorum regimen & administr. pertinent, quouis modo parerent, adhærerent, vel intenderēt, seu præstarent per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte publice vel occulte, consiliū, auxilium, vel fauorē. Quib. pœnis & sententijs adeo ipsos ligari, & astringi volumus, & decreuimus, ac si proprijs eorū nominib. nominati fuissent specialiter, & expresse. Et licet contra ciuitates, cōmunitates, vniuersitates et singulares personas, quæ in prædictis, et circa, forsan deliquerant, ad debitā impositionē pœnarū fuisset merito procedendum, de benignitate tamen Sed. Apost. illas amplius expectantes omnibus & singulis ciuitatibus, cōmunitatibus, vniuersitatib. et personis singularibus, cuiuscunq; præeminentiæ, dignitatis, status, vel cōditionis existerent, etiamsi Regali, aut alia quacunq; dignitate fulgerēt, in virtute S. obedientiæ, et sub excommunicat. in singulares personas, et interdicti in ciuitates, terras et loca ipsarū, ac cōmunitates et vniuersitates præfatas, quas illas si contrafacerēt incurrere voluimus eo ipso: nec nō priuationis priuilegiorū quorumcunq; Apostolicor. & Imperial. ac feudorum, quæ à Romana vel alijs Eccles. seu Imperio quomodolibet obtinerent, pœnis et sententijs iniūximus, districtius inhibendo, ne prædicto electo in præmissis, vel circa ea, tāquam Regi, seu in Regem Rom. electo, nisi si, & cum electionem suam admitti, & personam suam per eandem sedē approbari contingeret et admitti, parerent, vel intenderent, aut adhærerent, seu præstarēt per se, vel aliū seu alios quoquomodo auxiliū, cōsiliū, vel fauorem: nos ad illationē pęnarū huiusmodi, & alias contra eos, vel illos ex eis, qui contrarium attentare præsumerēt processuros, sicut opportunum existeret, prædicentes. Non obstantib. fidelitatis, et quibusuis alijs iuramentis, per quæ ipsi, vel eorū aliqui dicto electo se quolibet astrinxissent; ad quorum obseruantiā, veluti præstitorum ei, cui minime præstari debuerant iuramētum huiusmodi nullatenus arctabātur; quæ nos etiam ad cautelam in præfatis nostris processib. auctoritate Apost. duximus relaxanda: seu quibusuis alijs priuilegijs, et indulgentijs Apost. sub quacunq; forma verborū eidem electo, vel quibusuis alijs concessis, quæ sibi vel eorū alicui contra processus nostros præfatos, seu eorū aliquem uolumus in aliquo suffragari. Confœderationes quoq; pactiones, & societates, si quæ inter ipsum electum, & quascunq; ciuitates, communitates et vniuersitates, et singulares personas cuiuscūque sint præeminētiæ, dignitatis conditionis vel status, etiam si Patriarchali, aut alia superiori, vel Regali, seu quauis alia dignitate fulgerēt super prædictis, vel ea tangentib. factæ, seu initæ fuerāt, sub quacunq; forma, vel expressione uerborum, etiā si pęnarū adiectione, iuramentorum præstatione, vel quacunq; fuerint alia firmitate vallatæ, vtpote in diuinæ maiestatis offensam, ac contra iura, & honorem S. Matris Eccl. ac in damnum et præiudiciū Reip. et periculū animarū præsumptas, decreuimus nullas, cassas, irritas, et inanes, ac nullius existere firmitatis, easq; quatenus de facto processerant reuocauimus, cassauimus, & irritauimus, dissoluimus, et omnino virib. duximus euacuandas. Iuramēta insuper super hoc præstita relaxauimus, de Apost. plenitudine potestatis: omnes etiam illos & singulos, qui confœderationes, pactiones, & societates huiusmodi dicto electo cōtra processus huiusmodi post dictū terminū præsumerēt obseruare, præfatas pęnas et sentētias, incurrere uoluimus ipso facto: contra eos grauius spiritualiter & tēporaliter processuri, prout iustitia exigente nobis expediens uideretur. Cæterū prædictas suspensionis, & excomm. ac interdicti sententias, sic volumus inuiolabiliter obseruari, quod absoluēdi ab eis, uel relaxandi easdem, nisi tantū in mortis articulo, tam omnib. pœnitentiarijs nostris, quam quibuscunq; alijs confessorib. generalibus, vel specialibus, seu familiarib. quorumcunq; uel quantumcunq; sublimium personarum vbilibet consistentium etiamsi eis à nobis uel aliquo prædecessorum nostrorum, sub quacunq; verborum forma absoluendi à sententijs hominis, uel canonis, seu eas relaxandi generalis, uel specialis facultas concessa fuisset, uel cōcederetur in posterū, ademimus potestatem, absolutionē et relaxationem huiusmodi soli Rom. Pont. reseruātes. Quod si forsan eos, uel eorū aliquem, in prædicto mortis articulo absolui contingeret, nisi sanitate recepta, Sedi Apost. quā primū possent cōmode, se repræsentare curarent, satisfacturi de præmissis iuxta mandatum Rom. Pont. in prædictam excōmun. sententiam reinciderent ipso facto, et ut præfati processus nostri ad eiusdem electi, et aliorū quorū intererat, cōmunem notitiā deuenirent, chartas, siue membranas processus continentes eosdē diuersis temporibus quib. facti fuerant in Auinion. Eccl. ostijs appendi fecimus, seu affigi, quæ ipsos processus suo quasi sonoro praeconio, et patulo indicio publicarent; vt præ[...]ctus el[...]ctus, et alij,

lij, quos processus ipsi tangebant, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos minime peruenissent, vel quod ignorassent eosdem; cum non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter esset omnib. publicatum. Eosdem quoq; faciendo processus, auctor. Apost. decreuimus, quod processus ipsi præfatū electum, et alios supradictos apprehenderent, & arctaret, ac si eisdem personaliter publicati, et insinuati solemniter extitissent: constitutione quacunq; Apost. in contrarium edita non obstante: cum ad eiusdem electi præsentiam pro ipsis processib. publicandis et insinuandis eidem, securus non pateret accessus, nec possent cōmode singulorum quos tāgebāt aurib. inculcari.

Verum quia insuper præfatum trium mensium spatium eidem Lud. ad deponendum titulum Regium, & ab administratione Regni, & fautoria hæreticorum, & rebellium prædictorum penitus abstinendum, nec non realiter, & cum effectu quæcunq; de facto, cum non potuisset de iure, tanquā Rex Rom. gesserat, quantum sibi foret possibile reuocandum, nobisq; & Eccl. satisfaciendum de iniurijs, & offensis, et grauaminibus per præmissa nobis, et eidem Eccles. temere irrogatis, ac de præmissis per autenticas literas, vel instrumentum publicum nos certiores reddendum, & hoc sub pœna priuationis omnis iuris, si quod ei ex sua electione prædicta ad dicta Regnum & Imp. competebat, seu cōpetierat, quam nisi præmissis pareret efficaciter, eum ipso facto incurrere uolumus, prout superius plenius continetur, nec non & super dictis excessibus, & iniurijs, ac sub pęna priuationis prædicta declarandum, seu inferendum, et pęnis alijs, quib. excessus, inobedientia, & contemptus prædicti obnoxium eum reddiderant; definitiuam sententiā, et nostrum beneplacitum, audiendum, quātum nostrum pateretur officium, per nos peremptorie assignatum. Idem Lud. nec per se comparuerit, nec alius pro eodem, nec quod prędicta impleuerit, insuper prædictum terminum, cum nec ea curauerit adimplere, sed illis potius peiora studuerit cumulare, nec nos per autenticas literas, vel instrumenta publica reddiderit certiores; licet tunc merito potuissemus contra ipsum procedere, eius proterua cōtumacia exigente, de benignitate tamen Sed. Apost. de Fr. prædictorum consilio, ipsum vsq; ad diem præsentem, hora Cōsistorij duximus expectandum. Cum itaq; nec interim cōparuerit, nec adhuc ipse cōpareat, nec aliquis alius pro eodem, de Fr. eorundem consilio, præfatum electum reputamus, et declaramus merito contumacem, eiusq; contumaciam tam in non comparendo, quàm in non acquiescendo nostris superius expressis salutarib. monitis, & mandatis auctam cōsiderantes attente, ne deinceps plures trahat in sui erroris deuium, ad quod sua tota ferri videtur intentio, et ne de tanta contumacia glorietur, si iustitia vlterius differatur omnino, nos tam temerarijs ausibus, tam periculosis excessibus, tamq; obstinatæ malitiæ electi præfati ocyus cupientes occurrere, ne sero medicina, ipsis procedentibus vlterius præparetur; attendentisq;, quod ad excessus huiusmodi perpetrandos, gloria tituli Regij, quem sibi temere vsurpauit, intentius sibi tribuit, ac in ipsis perseuerandi fomentum periculose nimium subministrat, hanc ad Dei honorem, & S. Rom. Eccl. ac totius Catholicæ populi quietem et pacē, eiusdemq; electi salutem, prout et iustitia exigit, amputare volentes, de fratrum ipsorum consilio memoratum electum, qui propter excessus notorios, contemptus quoq; ac super additas obstinatas contumacias, supradictos, tam in non cōparendo sibi præfixus terminis, quam in nō parendo nostris salutaribus præceptis & monitis supradictis, prædictis Regno & Imperio reddidit multipliciter se indignum, quiq; propter suam proteruam ambitionem, & superbam proteruiā a Deo ne regnet vel imperet est abiectus, ipsum Lud. Ducem Bauariæ omni iure, si quod sibi ex electione sua prædicta competere, seu competijsse poterat, ac dominio priuatum denunciamus, & ostendimus, nosq; ipsum iure præfato sententiando priuatum declaramus & priuamus: nihilominus ad cautelā, de benignitate Sed. Apost. & eorundem fratrum consilio supersedentes ad præsens à pęnis alijs, quibus excessus prædicti ipsum reddiderunt obnoxium, cum ad illas infligendas, vel declarandas inflictas possemus procedere, iuxta tenorem nostrorum prædictorum processuum iustitia mediante; reseruantes nobis procedendi ad pęnas ipsas infligendas, seu inflictas declarandas coniunctim, vel diuisim, prout negotij qualitas exiget, eiusdem Ludou. obedientia vel inobedientia suadebit, & expedire viderimus, plenariam potestatem.

Et quia, si deinceps præfatus Lud. se Regem Rom. seu electum intitulare præsumeret, seu administrationi Regni, vel Imperij ingerere attētaret, eius excessus & cōtumacia grauiores existerent, quam ante nostram præfatam sententiā extitissent; idcirco præsente hac fidelium multitudine copiosa, Lud. præfatum per hoc nostrum edictum publicū monemus, eidem nihilominus

aucto-

auctoritate præfata Apost. districtius iniungētes post sub pœnis excōmunicationis, et priuationis feudorū, quæ ab Eccl. Rom. uel alijs, seu Imperio obtinet, nec non et priuilegiorum quorumcumq; a Sede Apost. vel Rom. Imperio eidē vel suis prædecessoribus, quatenus eius cōmodum tangerent quomodolibet cōcessorum; ne deinceps se Regem Rom. vel electum intituler, nec administrationi Regni seu Imperij se immisceat, seu sugerat quoquo modo. A fautoria quoq; prædicta desistat realiter, nec illam ulterius reassumat; ac quæ gessit, vel fecit sub colore prædicti tituli Regij temere vsurpati reuocet, quantum erit sibi possibile, cū de iure non tenuerint, uelut attentata ab illo, cui ius non competit faciendi, quæ & nos in nostris processibus alijs reuocauimus, quatenus de facto processerant, ipsa cassa, nulla, & irrita nunciātes; eaq; præsentialiter cassamus, annullamus & irritamus, ac cassa nulla, et irrita declaramus: quas pœnas, et earū quamlibet incurrere volumus ipso facto, si præmissa contēpserit contumaciter adimplere. Ipsumq; nihilominus citamus per hoc edictū publicum, vt Kal. Octob. venturi proxime, vel sequenti die nō feriata, si dies Kal. ipsarum feriata fuerit, quam sibi peremptorie de eorundem fratrum cōsilio assignamus, per se, vel per Procuratorem idoneum compareat coram nobis super pœnis alijs, quibus excessus prædicti ipsum reddunt obnoxium, sententiam auditurus, & alias facturus, quod iustitia suadebit. Prædicentes eidem, quod siue venerit, siue miserit, siue non uenerit, neq; miserit, nos ad sentētiā prædictam, coniunctim vel diuisim, prout expedire uiderimus, absq; citatione alia procedemus.

Vniuersis præterea Christi fidelibus, cuiuscūque conditionis, præeminentiæ, siue status existant, etiamsi dignitate Patriarchali, Pontificali aut superiori, vel inferiori, seu etiam regali forsitan decorentur; necnon & alijs personis Eccl. sæcularibus vel regalibus cuiuscunq; religionis, aut Ordinis, Ducibus quoq; Marchionis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, vniuersitatib. ciuitatum, castrorum, cæterorumq; locorum, & specialiter vniuersis incolis & habitatorib. eorundem Regni & Imperij Romanorum inhibemus, et mandamus expresse, ne eidem Lud. superijs, quæ ad administrationem Regni vel Imperij præfatorū pertinent quoquomodo assistant, pareant, seu intendant, aut præstent eidem consilium, auxiliū, vel fauorem, per se, vel per aliū, publice vel occulte, quacunq; occasione quæsita, etiā prætextu alicuius homagij, vel cuiuscunq; colligationis, confœderationis, societatis, seu cuiusuis cōuentionis, aut ligæ contractæ antea, vel in posterum contrahendæ; etiamsi eolligationes, confœderationes, societates, & conuentiones huiusmodi, et alia supradicta pœnarum adiectione literarum, vel iuramenti, seu cuiuslibet alterius essent, vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confœderationes, societates, cōuētiones, cæteraq; huiusmodi præmissa quoad hoc, de plenitudine dissoluimus potestatis: iuramenta super illis præstita, pœnasq; propterea promissas penitus relaxantes, et vniuersos, ac singulos, qui eas contraxerant, sed ad obseruantiam eorundē quantumcunq; solenniter astringendo, ab ipsarū in præmissis obseruatione penitus absoluentes, specialiter autem incolis, et habitatorib. eorundē Regni & Imperij prohibemus expresse, ne dicto Lud. vel alij pro eo de redditibus, vel obuentionibus, siue iuribus regalibus, vel Imperialib. seu ratione Regni, seu Imperij prædictorum, aut dominij cuiusuis per eum vsurpati in illis respondeant, vel aliam impendere sub quocunq; velamine satisfactionem attentent. Alioquin omnes singulares personas cuiuscunq; sint præeminētiæ, conditionis, aut status, Ecclesi. vel mundani, excommunicationis, terras vero & loca ipsorum, nec non ciuitates, castra, villas, et loca quæcunq; alia vbilibet constituta, ac vniuersitates ipsorū, quæ prædictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire propria temeritate præsumerēt, interdicti sententijs, quas ex nunc proferimus, decernimus subiacere. Non obstantib. quibusuis priuilegijs, et indulgentijs Apostol. præfato Lud seu quibusuis personis religiosis & sæcularibus, ac alijs tam Eccles. quā mundanis, cuiuscunq; praeminentiæ, status, dignitatis, vel conditionis existant, etiamsi Patriarchali, uel maiori, seu regali, aut alia quacunq; præfulgeant dignitate: aut vniuersitatib. communitatibus, et locis alijs, cōmuniter uel diuisim, sub quacunq; forma, uel expressione verborum ab eadem sede concessis, uel in posterum concedendis, etiamsi de illis, totoq; tenore ipsorum de uerbo ad verbum specialiter & expresse oporteret fieri mentionem, quæ sibi, vel eorum alicui contra præsentem processū, uel aliqua contenta in ipso in nullo volumus suffragari. Quæ quidē priuilegia, et indulgentias omnino quoad hoc volumus et decernimus virib. uacuari. Apertius nihilominus prædicētes, quod aduersus huiusmodi præsūptores, & specialiter cōtra prælatos, religiosos, et alias personas Eccles. nec non Marchiones, Duces, Comites, Barones,

rones,

rones, Incolas, habitatores, ciuitates, castra, villas, loca et vniuersitates ipsorum, ad infligendū pęnas contra tales in præfatis nostris processibus contentas, et comminatas, seu declarandū inflictas, videlicet excommunicationis, priuationis dignitatū, personatuum, officiorum et beneficiorū Ecclesiasticorum, personarū ipsarum, ac priuilegiorum quorumcunq; Apostolicorum & Imperialium eorundem personarum secularium, & etiam ciuitatum, castrorum, villarum, et locorū, vniuersitatumq; ipsarum, ac feudorū, quæ à Romana, vel quibusuis alijs Ecclesijs, seu Imperio prædictis obtinent, & alias spiritualiter, & tēporaliter, quādo, et sicut facti qualitas suadebit, aut expediens putabimus, diuina gratia præeūte.

Porrò cum nostri Saluatoris exemplo cōuersionem peccātium, quorum non perditionem sed salutem quærimus, affectemus, vniuersas personas et singulas, Eccles. et mundanas, cuiuscūq; sint præeminentiæ, ordinis, dignitatis cōditionis aut status, nec non ciuitatū, castrorum, villarum et locorum quorumcunq; vniuersitates et cōmunitates, quæ forsā præfato Lud. tāquā Regi, seu in Regem Rom. electo adhærendo obediendo, & intendendo, seu consilium, auxilium, vel fauorē præstando, directe, vel indirecte, publice vel occulte, in ijs, quæ ad regimen, seu administrationē pertinent Regni seu Imperij prædictorum, aut alias quicquam contra tenorem dictorū processuū temere attentando, pęnas et sententias, contentas in eisdē processib. propterea incurrissent, per hoc edictum publicū monemus, et hortamur in Dom. vt infra dict. Kal Octob. à prædictis adhæsione, obedientia, consilio, auxilio, & fauore resilientes, et resipiscentes omnino, non parituri, uel adhæsuri eidē ulterius quomodolibet in præmissis, ad gremium & mandata S. Matris Eccl. cum effectu, & sine cuiusquam fictionis velamine redire procurent. Quo casu, per opportunæ absolutionis remedium, illorum cupiētes benigne prouidere saluti, Metropolitanis eorū absoluendi eosdem a memoratis pęnis, et sentētijs, recepta primitus ab ipsis resipiscentib. cautione iuratoria de ulterius non parendo contra dictos processus, et sententiā huiusmodi præfato Lud. nec præstando super dictis auxilium, consiliū, uel fauorem, plenam cōcedimus tenore præsentium potestatem. Volumus tamen, quod super absolutionibus, et cautionum receptionib. prædictarū, Metropolitani, præfati duo confici faciant publica uel authentica monumenta, quorum altero penes se retēto, reliquum nobis fideliter mittere, nosq; de illis per suas patentes literas certiores efficere non omittant. Si uero aliquem uel aliquos taliter absolutos, forsan, quod absit, contingeret in errores pristinos, uel aliquem eorundem relabi contra processus, & sententias memoratas, et contenta in eis, temerarijs ausibus ueniēdo, illos in easdem pęnas et sententias reincidere decernimus ipso facto: à quib. præterquam ut præmittitur, per alium quam per Rom. Pontif. nisi duntaxat in mortis articulo liberari nequeāt, uel absolui. Admētes, tam prædictis Metropolitanis, quam quibusuis alijs iuxta prohibitionē præcedentium nostrorum processuum, omnimodā super hoc potestatē. Licet autem ex præsumptuosis, & indebitis vsurpationib. iniurijsq; inobedientijs, culpis, & excessib. prædicti Lud. quadā necessitate compulsi fuerimus procedere total. cōtra eum; nequaquā tamē nostræ intentionis extitit, nec existit, iuri Principū Ecclesiast. et secularium, ad quos electio Rom. Regis in futurū Imper. promouendi spectare noscitur, per processus nostros seu aliqua cōtenta in eis in aliquo derogare: imo illud omnino illibatum eis volumus reseruare. an. 1324

Vt autem processus noster huiusmodi, et omnia, & singula in eo contenta, ad præfati Lud. et omnium aliorum quorum interest cōmunem notitiam deducantur, chartas siue mēbranas, processum continentes eundem in Eccles. Auinion. appendi vel affigi ostijs, seu superliminarib. faciemus, quæ processum ipsum sue quasi sonoro præconio, et patulo indicio publicabunt, vt idem Lud. et alij quos processus ipse contingit, nullam possint excusationē prætendere, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorarint eumdem, cū non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitū, vel occultum, quod tam patenter omnib. publicatur. Volumus autem et Apostolica authoritate decernimus, quod huiusmodi processus præfatū Ludouicum, & alios quos tangere dignoscitur apprehendat, & arctet, ac si eisdem personaliter & singulariter publicatus, & intimatus solenniter extitisset: constitutione quacunque per prædecessores nostros Rom. Pontifices in contrarium edita non obstante. Dat. Auinione 5. Idus Iulij, Pontificatus nostri anno 8.

LXVII. *Appellat Ludouicus cōtra Papā ad Concilium.*

Hæc antequam perferrentur, veritus *Ludouicus* minimè Papam placatum iri, Norimbergæ anno superiore, xv. Cal. Ian. in ædibus *Alberti Ebneri*, conferto senatu, missis iam in Galliam legatis, coràm *Nicolao* Episcopo Ratisbonensi, multisque Ecclesiarum Proceribus, in forma protestationis, & ap-

an.1324 & appellationis ad ipsum summum Pontificem informandum, scriptum publica au-ctoritate curauit Sanctæ sedi in tempore exhibendum. Exaratum dicitur à *VVilhelmo Ochamo*, natione Anglo, qui iram Pontificis fugiens, ob diras vulgatas in Fratres Minores, non cum Dominicanis, sed cum ipso Pontifice altercantes de Christi paupertate, ac discipulorum eius, ad *Ludouicum* confugerat. Ferunt, cum defensionem imploraret, dixisse. *O Imperator, tu me gladio à Papæ iniurijs defende, & ego te verbis & scriptis indissolubili ratione defendam.* Is à *Ludouico* siuè mercede conductus, siuè in tutelam receptus, plurimas in *Ioannem* sparsit calumnias, hæreticum, scismaticumque mentitus, eius censuras non esse metuendas

LXVIII. *Quid sentiendum.* finxit. Quid ego de *Ludouico* sentiam? iustitiam causæ supernis remitto iudicibus; an. 1324 Summa potestas cum soli Deo, eiusque Vicario debeat innocentiam, acta referam, non agenda. Excessisse modestiam, probra in Christi Vicarium iactando, & sine reuerentia insimulasse, quæ nec cognoscere poterat, nec iudicare, nemo dubitat. Licet scribat *Nauclerus processus istos à multis inualidos fuisse reputatos, & famam fuisse, eosdem examinatos à Doctoribus vtriusque iuris; qui iudicabant eos penitus non valere.* Nauclero subscribit Mutius, *Ludouicum habuisse quosdam Doctores vtriusque iuris, qui iudicabant Pontificis sententiam inualidam.* Similia habet *Marcus Guazzus* Italus. Addit Burgundus Academiam Parisiensem, totum illum litis progressum nullius momenti recensuisse. Inter doctores fuere *Ioannes*





Iandunus, & *Marsilius Patauinus*. Quàm impudenter causam suam ageret *Ludouicus* ex sequenti, videat lector.

LVDOVICI IV. EDICTVM.

Contra Ioannem XXII. Rom. Pontif.

CHRISTVS Seruator, Dominus, atque Deus noster, eius legati primarij, Petrus, Paulus, Iacobus, Ioannes, tempora periculosa, vbi ad cælum migrarint, nobis imminere cantarunt, & in primis admonuerunt, vt summoperè atque anguium in morē astuti, decreta Pharisæorum, Pseudochristos: Pseudoprophetas, Pseudoapostolos, à mendacio simulatæ religionis ita appellatos, vitaremus. Qui se Mystas Christi ferunt, cum sint nuncij Antichristi. Eos inexplebilis honoris, potentiæ, pecuniæ sitis, atque luxus, auaritia, fastus, quæ in prouerbium venere, produnt. Non imus inficias, ingenua fatemur, tempora nostra censuram non ferunt. Iampridē corruptis moribus simplicitas Christiana sordet, longinqua consuetudo potentior veritate vincit, tamen indignatio silentium rumpit. In altissima humanarum specula cœlitus positi tacere

tacere non possumus: ne canes muti, iuxta Vatem sacrum; qui latrare non possunt, simus. Et si lupos pelle ouina tectos abigere ob infelicitatem temporum non valemus, resistere tamen, huiuscemodique prodere, munus nostrum est. Quamuis tantundem, vt vellem, non possumus, tamen non assequutis voluisse, abunde pulchrum atque magnificum est.

2. Et vt rem in pauca conferam, nec diutius ambagibus immorer, circuitioneque vtar, remque apertè dicam, IOANNES ille, qui se Papam Vicesimum secundum nuncupat, qualis sit, ouiculis Christi nostro beneficio operæ precium est agnoscere, ne deceptæ pelle ouina à sæuissimo lupo deuorentur. Nempe sanguinem Christianum sitit, discordiæ, seditionum mala vbiq; gentium inter Christianos serit. In Germania & Italia, literis, pollicitationibus, auro, Principes, Tetrarchas, Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Ciues corrumpere nititur, inducit, sollicitat, ad arma vocat. Aduersus diuinam prouidentiam, supremam cœli maiestatem, vnde omnis potestas existit, contra charitatem Christianam pugnat, fratres in fratres armat, præcipit, vt Christiani mutuum affectum & amorem, quem solum Pater immortalis à nobis exigit, exuant, arma corripiant, atque in sua viscera vertant, fidem frangant, pacta dissoluant, inuicem fraudent, decipiant, imponant, à sacrosancto Imperio deficiant, rebellionem, conspirationem, cædes, incendia, stupra faciant. Nec licet per hunc Antichristum Christianis pacem à Deo datam seruare. Tanta est hominis, vel potius Sathanæ illius vecordia, publicè pro concione, scelera sua quasi benefacta prædicat: Cum Christiani, *inquit*, Principes inter se discordant, tum verè Romanus Sacerdos est. Pontifex Maximus demùm regnat, demū dominatur, vbi omnibus discordia, seditione, mutuo odio debilitatis formidolosa fit eius potestas, vniuersi eius nutui obsequuntur, & vel screatus obseruant. Seditio atq; discordia Germanorum, salus est Romanorum Pontificum. Proinde pro virili enitendum est Pontifici Maximo, si saluus esse velit, vt æneum serpentem, hoc est, Alemannorum Imperium conterat, in cineres atq; fauillas redigat. *Itidem iactitat, sua opera effectum esse, vt nullus neque Romæ, neq; Italia vltrà fiet, qui Imperij rebus vel faueat, vel studeat. Et profectò eius fraude duo rebus impositi sumus, quos vt vel vna quidē literula (cum tamen vndique aurisugæ atq; vultures sui circumuolitarent, templa, fana, sacras ædes compilarent) in gratiam redigeret, aut vt iure potiùs, vel apud se, quàm armis disceptare hortaretur: tantum abfuit, vt nos vltrò ad bellum ciuile concitaret. Nullam operam dedit, vt inter nos pacem componeret, imò magis discordiam aluit, modò mihi, modò Austriaco studebat: nunc FRIDERICO, nunc LUDOVICO fauere se simulabat, vt quisq; imbecillior erat, ita magis huic operam suam pollicebatur. Ad consecrationem vltrò inuitabat, per fallaciam vtrisq; verba dedit, & pronos ad concordiam rursus arma sumere persuasit. Astu hæc omnia egit, vt intereà dum domesticis armis, cognatisq; bellis atterimur, Imperium pessundaret, labefactaret; vrbes, castella, populos, Rempublicam inuaderet, in cuius perniciem conspirauit, populumq; Christi in seruitutem redigit, aduersus Sanctos depugnat.*

3. Sacerdotia maxima, infima, sordidissimis quibusque, modò hostes Reipublicæ sint, committit. Neminem publici boni studiosum, aut pacis amantem in curiam Sacerdotum allegat. De Pharisæorum supercilio nimium sibi assumit, nihil pensi habet, modò animo suo atque libidini per fas atque nefas morem gerat.

4. Diuina, humana decreta iuxtà contemnit, atque conturbat. Ius gentium violat, leges naturæ prophanat, sacra polluit, indicta causa, necdum reos condemnat. Sibi licere absque mora actutùm, vel in nos indemnatos sententiam ferre, iactitat. Cùm capitalis sit inimicus, publicusque hostis, tamen in propria causa actor, testis & iudex est; id quod nec apud Turcas, neque Iudæos, neque Saracenos, neque Sarmatas fieri solet. Eos, qui fidem Cæsari seruant, & Christo Seruatori nostro præcipienti obtemperant, nec vllam aliam ob causam hæreseos nota inurit. Quicquid libet, licitum iudicat; metitur opibus licentiam. Quid igitur cum illo agam? neque ius, neq; bonum, neq; æquum exequi, scire studet. Nihil videt, nihil facit, nisi quod lubet.

5. Sathanæ spiritum sibi sumit, se similem Altissimo facit, se adorari, (quod cœlitum quidam sibi à Ioanne fieri prohibuit) pedes sibi osculari, more Diocletiani atque Alexandri, crudelissimorum tyrannorum, permittit, cum Christus manceps diuinitatis, Dominus & Deus noster, pedes comitum suorum piscatorumque lauerit, vt nuncij sui vicissim illis, ad quos

quos missi sunt, faciant. Vna maiestas, atque diuina prouidentia, ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri, vbique præsens, vniuersis rebus incubat, rebus omnibus per se consulit: nec in manufactis templis habitat. Nos Dei genus in eodem viuimus, mouemur, & sumus. Ipse cœli, & terræ rector est, nisi forsitan artifex, natura effœta, supremusque rerum parens senio atque labore continuo fassus, Atlantis ritu, vt est in fabulis Poetarum) Herculis (qui respiranti interea loci cœlum humeris sustineat) vicaria opera, atque sempiternus mortalis auxilio indigeat. Sed nihil fortuitò, nihil humana temeritate aut fit, aut regitur. Imperatores quoque terris neque forte, neque casu, neque à mortalibus, neque occulta fatorum potestate dantur, sed à supremo nomine eliguntur, atque diuinitùs constituuntur, rebusque humanis à patre indulgentissimo imponuntur.

6. Porrò Romanus Sacerdos, cuius conuersatio in cœlis esse debet, vrbes, castella, vicos, regiones, opes, potentiam, tantum splendorem, ius gladij, aduentitia non iure suo, sed alieno beneficio occupat, possidet, nempe beneuolentia atque liberalitate, ne dicam socordia atque ignauia, Rectorum Germaniæ. At mortalium ingratissimi de optimè meritis pessimè merentur. Ensem, cuius manubrium nostra munificentia tenent, in nostra viscera, quorum beneficiarij sunt, stringere non verentur. Obscuri, versuti, versipelles, Celtarum Occidentalium freti viribus atque amicitia, gentisque gentilitia infirmitate, hoc est, leuitate atque superstitione confisi, libertati Germanæ plagas tendunt, simplicitati Christianæ captiosis aculeis sub magna superficie pietatis imponunt. Darios, Crœsos, Epicuros æmulantur; pauperiem, ignominiam, contumeliam, famem, sitim, æstum, frigus, mortes, vincula, carcerem, crucem pati (sicuti Paulus, & Petrus, et Christus, cui se operam vicariam præsidendo terræ dare gloriantur, fecerunt & docuerunt) non solùm non callent, sed & peius flagitio timent. Diuitias solas, Imperia, Regna, honorem spectant: anxius quàm vlli hominum ea conquirunt: quæ tamen non tantum CHRISTVS, & eius legati contempserunt, verùm etiam Philosophi, Poetæ, Oratores, Historici: alieni à Sacramento veræ religionis, aspernanda esse viro sapienti, præcipuè sacris destinato, constanter præcipiunt, vt quæ absque scelere, & aliorum damno, comparari nequeant; Et ferè malos, nunquam bonos (vt est apud Germanos prouerbium) efficiant. Nec sine causa Christus sentes & spinas: Paulus rete atque laqueos principis Stygij appellauit.

7. Et vt est dissociabile Regnum, omnisque potestas impatiens consortis, iam egregij illi Pastores, opibus & splendore à maioribus nostris aucti, ferre parem nequeunt; Cæsarem Italia, Roma, Christum terris extrusere. Illi cœlum quidem permittunt, inferos atque terras sibi asseruere: Deusque terrarum hominumque non solùm dici, sed etiam credi volunt, quasi perinde animis atque linguis (quod ne Deus immortalis quidem tentat) imperare possint, atque diuisum cum Ioue habeant Imperium. Repugnant & maximè diuersa sunt, Crucifixus & summa potest, miles & sacerdos, Imperator & pastor, Regnum & patibulum, corporalia & spiritualia, arma & sacra, bellum, & pax, Cæsar & nuncius, Princeps & minister, Dominus & seruus. Qui vult esse maximus inter vos. (ait supremus arbiter cœli legatis suis) infirmus omnium, atque vester seruus sit. Cęteris recumbentibus, quemadmodum ego feci, ad cyathum ministret. Vnus magister, & Dominus vester in cœlis; vos autem fratres estis. Bellua multorum capitum, monstrum biceps est, Augustus & Pontifex Maximus. Id quidem fuisse Decium atque Neronem, & huiusmodi Tyrannos, falsorum Deorum cultores in nummismat:, & epigrammat: legimus. Quod de animo & corpore afferunt, nugæ sunt & contortæ conclusiunculæ: ceu verò nesciamus carnem aduersus spiritum pugnare, & animam, nisi è corpore emicuerit, interituram. Ludibrium naturæ abominabile, ira Dei, socordia atque ignauia nostra est, Principem Principum seruo seruire seruorum. Si seruus seruorum Dei est, cur non seruit? cur non amat? cur non ministrat? cur non pascit? cur non docet? non nunciat? Si id, quod cupit, esse velit, cur non Christi, Petri & Pauli vestigia in carceribus, & periculis varijs æmulatur? Cur mentitur, tergiuersatur, fallit, regnat, dominatur? Auiditate potentiæ, pecunia ima summis miscet, omnia venalia, Deum & inferos habet. Cur vitam Christi paruipendit? qui de hæreditate à fratribus captus etiam arbiter iudicare noluit, sed competitores ad Prætorem Cæsaris reiecit, & tribunal relegauit. Cum populus eidem regnum Palæstinæ vltrò offerret, aufugit,

suum regnum in hoc mundo non esse confitetur. Quamobrem Vicesimus secundus non sine maxima sua atque Reipublicæ pernicie, libidine dominandi in præceps abit; aliena, quæ nihil ad eum attinent, curat, vsurpat; sua, hoc est, religionem, spiritualia, mores, vitam hominum negligit. Imperium terræ, mortalia, vetante Christo, arripit. Præsides, Proconsules, professus crucem atque paupertatem, in aliena ditione obtrudit. Vbi res ad interregnum redit, penes se summam potestatem esse comminiscitur. Munus Præfecti Prætorio Rheni, Reguli Boiorũ, intercipere, atque in se transferre conatur. Nec verum est, nulli, qui discordantibus inter se Principibus Reges consalutati fuerint, ius esse potestatis tantæ. Id ignaris annalium, & hisce qui quidnam sit mentiri nesciant, persuadere conetur. Conradus & Lotharius, Philippus & Otho, Richardus & Alphonsus, Adolphus & Albertus, & nuper EGO & Fridericus, licet à diuersis delecti Principibus, tamen Reges vterque vocabamur & eramus. Nos quidem ceremonia solenni, ex veteri priscæ religionis instituto, Francofordiæ celebri loco, Comitijs Cæsareis die præscripto habitis, frequenti Senatu, non solum à pluribus, sed à duabus classibus sacrorum & prophanorum, superis ritè salutatis atque consultis, creati atque renunciati sumus. Atque inde in vrbe, quam Aquas Graneas vocant, in penetralibus ac domicilio sacrosancti Imperij ritè sacra obiuimus, diadema, ensem, insignia auspicatò accepimus. Austriacus post Comitia dissoluta, contra decus Imperij, aduersus leges, auspicia, cõtra intercessionem, & institutum maiorum, non stata die, nec tempore constituto, obscuro vico, duobus duntaxat pecunia, & affinitate corruptis suffragantibus, demùm irrepsit, vltroque se ingessit. Et nostram sanè causam immortalis cæli imperator (á quo in summo rerum fastigio constituti sumus, & ensem ad inopes, vi oppressos vindicandos, & malos perterritandos accepimus) felicitate, faustis omnibus, & victoria approbauit. Idcircò rectè, benè ac sapienter, sicut legibus cautum est, ex consilij decreto, more maiorum Brandenburgensem Ducatum (quem ille homo, qui vulgò Papa dicitur, Mæderburgensẽ falsò vocat) filio nostro Lud in tutelam atque fidẽ cõmisimus.

8. Et cum nostri ciues, amici, populares, socij pientissimi in Italia à Flaminibus Romanis, quod Imperio & nobis fidem seruarent, nec vllum aliud propter facinus, armis præter æquum & bonum attererentur, nobis eos deserere non fuit consilium. Quemadmodum sacramento rogati, religione iuris iurandi promisimus, Regulos Germaniæ clarissimos, de Grayspach, Neyffen, Truhedingen, ad Vicesimum secundum inde ad Legatum eius in Italiam, vti pacem componerent, fœdus dicerent, proficisci nostro iure iussimus. Nihilominus illis reiectis, aduersus Maiestatem Imperij, populique victoris gentium, Legatus ille Ioannis, osor Christianæ charitatis, Mediolanum, Comum, Cremonam, Vercellas, Nouariam, Ticinum, Laudem, Mutinam, Veronam, Vicentiam, Felsinam, Placentiam, Parmam, Brixiam, Alexandriam, Terdonam, Lucam, Pisas, Aretium Cesenã, Genuæ exules, item alias vrbes Italiæ; insuper Mathæum Galeatium, Passerinum, Petræmalæ, Montisferati, Matinæ, Salutiarum limitum Præfectos, ciues, Præsides, Proprætores Imperij, Christianissimos atque grauissimos viros, hostili animo cum copijs vastat; agros, vicos incendit; stupra, cædes, sacrilegia, impunè committit. Illos, quòd bella ciuilia abhorrerent, à nobis & Imperio deficere nollent, crimen læsæ maiestatis, scelus perfidiæ admittere recusarent, hæreseos nota inussit. Romanus Princeps, à Deo ad arcenda huiuscemodi flagitia delectus, gladiumque ideò gestans, inopes, insontes ciues, clientes Reipublicæ deuotissimos (quibus etiam à propinquis opem ferre instituimus) potentia, vi, armis malignorum oppressos, sine summa infamia, absque summo scelere deserere non potuit, opem tulit fidissimis atque Christianissimis amicis. Accusetur illius perfidia, qui prior læsit. Vim vi repellere licet.

9. Pascat bonus Pastor ouiculas Christi, & amet, non armis oppugnet, vi opprimat. Argutas cauillationes missas faciat; veritatem, simplicitatem Christianam, Christumque, cui verba dare difficile est, amplectatur. Illius conuersatio sit in cælis; spiritualibus deditus, corporalibus se non contaminet: Nos nostro iure, maiorum instituto, sicut ius gentium est, sacra oracula docent, res nostras, nimirum terrena, caduca, fluxa, fragilia, agere sinat, & verbum inter nos non commutabimus. Et tandem desinat tam impudenter mentiri nisi forsitan omnes Germanos (vt Romanenses autumant) stultos, caudices, asinos, stipites plumbeos existimat.

10 *Me hæreticorum (vt eius verbis vtar) fautorem falsò vocat. Christianus sum; at ipse Hæresiarcha est. Non enim discipulus est Christi, cuius vitam irridet, paupertatem floccifacit, pietatem aspernatur, religionem polluit, sacra prophanat, mores spernit, instituta condemnat, dogmata vilipendit. Nam Diuum Franciscum, veritatis diuinæ præconem, paupertatis Christianæ antesignanum, consecrantos eius vniuersos, Auinione VI. Idus Decembris, anno ab orbe seruato MCCCXXII. impietatis condemnauit. Audite obsecro quam ob causam. Homo pecuniosus, auidusque Imperij, argentum Euangelio, (vbi opes scelera vocantur) aurum Christi inopiæ præfert; Franciscanos, Fraterculos ignominioso apud se cognomine, item stolidas pecudes, perniciosas vulpeculas, quæ simulata religione mundo imponant, populum fallant, nuncupat. Illorum religionem excindere, quòd Christum, comites eius nihil possedisse in terris doceant, asserant, prædicent, conatur. Sed contra cœtus Franciscanorum Perusiæ celebris, vniuersis suffragantibus Theologis, probè eius facta depinxere, veritatemque sacris literis, testimonio diuino tutati sunt, quamuis magis carcere & vinculis, quàm disputationibus, huiuscemodi genus hominum castigandum foret. Tamen eundem suis depinxere coloribus, atque insatiabile auaritiæ barathrum & simulachrorum cultorem declararunt. Nam & auri pondus ingens, quod ab orbe Christiano, præcipuè Alemannia, Arelatensi Regno, Italia, sub specie expeditionis Asiaticæ emunxit; Saracenis, vt Christianis Armeniæ, qui ab eo compilari, atq; venire detrectarant, arma inferrent, distribuit. Vt Antichristus non sit, tamen eius antecursorem atq; anteambulonem esse necesse est. A quo ad propugnandum templum Dei, (cuius cura nobis cœlitus à Deo optimo maximo data est) ad vniuersum totius orbis Senatum Christianum prouocamus, &c. Datum Reginoburgij, mense Augusto Anno Domini. MCCCXXIV.*

Cum *Ludouico* sentiebant *Treuerensis Archiepiscopus, is Petrum Bonuchium* execrationes Papales ferentem in vincula coniecerat, neque Pontificiæ auctoritati quicquam deferre voluerat. Bambergensis quoquè Episcopus præcepta Pontificis contempserat. Suspicabatur Treuerensis, & cum eo Bohemus specie religionis Pontificem electorali dignitati inhiare, vt in se absolutam, & independentem auctoritatem Cæsarem designandi transferret. *Christophorus* Rex Daniæ pertinax stabat in partibus *Ludouici*, pacis sequestrem se obtulerat, specie obsequij reuera perendinationis. LXX. LXXI.

an. 1324 *LEOPOLDVS TENTAT LIBERARE FRIDERICVM.*

LXXII. Interim *Leopoldus* nihil non egit, vt fratres liberaret captiuos, omnesque in *Ludouicum* Bauarum irritaret; sententiam anathematis, & priuationis, tam iuris electionis, quàm ducatus & dominiorum in *Ludouicum*, & filios eius à Pontifice pronunciatam, vbicumque potuit promulgari curauit. Habebat ille sacra quædam Rom. Imperij insignia, quæ vti *Ludouico* mitteret, ægrè à quibusdam persuaderi, se passus est, quod futurum erat, prædicens, fratrem ea de causa non liberatum iri. Ea restituta *Ludouico*, Norimbergæ exposita vt videret multitudo hominum confluxit, veluti in eis fata starent imperij. Monachium deportata, in æde sacra sunt asseruata: additi quatuor è Furstenfeldensi cœnobio sacerdotes, qui dietim sacram hostiam illic Deo offerrent. Non propterea placatus est *Ludouicus*, se, nisi absolutis à tutela Austriaca Imperij ciuitatibus, non passurum liberari *Fridericum* protestatus. Irritatus *Leopoldus*, vt fratrem liberaret, non dubitauit Acheronta mouere. Fabula sit an historia, *Albertus Argentin.* est auctor. Venit homo magus, qui *Leopoldo* de fratris salute anxio, operam suam in eripiendo illo è custodia pollicitus. Annuente *Leopoldo*, impio carmine, malus genius euocatur, qui emersit protinus, habitum viatoris mentitus, malè calceatus, vili galero, & lippientibus oculis deformis. Tali spectro salutem fratris commendauit *Leopoldus*. Promisit ille, & sub litteratoris in Ergouia olim nota persona, explicato in *Friderici* oculis linteo, quod de collo gestabat, fugam suasit. Se mox, si pannum ingrederetur, ipsum ad *Leopoldum* fratrem ducturum. Quærentem *quis nam esset, & vnde nouus iste paredrus?* iussit supersedere quæsitis, & baiulo confidere. *Fridericus* suspicatus, quod erat, inclamato Christi nomine, & crucis signo munitus, tenebrionem fuga-

Leopoldus insignia imperij Ludouico restituit.

LXXIII. *In Chron. pag. 650.*

Arte diabolica tentatur libertas Friderici.

an. 1324 fugauit, seq. sacris amuletis, & precibus iussit à socijs custodiri. Addit *Arenbekius*, voluisse eum clathris carceris cruces inseri ferreas ad Dæmones pellendos. Idem improbum hoc liberandi *Friderici* inuentum vxori adscribit, non *Leopoldo*. Liberatus postea *Fridericus*, Scholarem videns, dixit. *Hic fuit Dæmon, qui me voluit eduxisse.*

Frequentibus dehinc excursionibus Bur-
LXXIV. gouiana ex arce, nullo maleficij genere abstinuit. *Burghardus Ellerbachius* loco præerat, homo audax, miles impiger, spoliorum appetens. Is villarum incendijs, agrorum depopulatione, formidabile nomen adeptus, facinorosas ducebat cohortes. Populata Sueuia, erupit in Bauariam non sine damno, & *Ludouici* dedecore. Spoliatorum questus ad vindictam *Ludouicum* excitauit, vnde mense Nouembri cum quadringentis cataphractis coram arce consedit. Adduxere Augustani suppetias, VVirtenbergensis & Helfenstainij Reguli valida auxilia, & machinas ad obsidionem opportunas. Sed an. 1324 minimè territus *Ellerbachius* non modò obsidionem sustinere decreuit, sed nè expectato *Leopoldi* auxilio, in otiosas *Ludouici* Ludouici clades. stationes erumpens, cæde latè edita, quingentorum captiuitate superbus, se in arcem recepit. Grauis iactura, quæ à victo illata, contemptu victorem affecit. Hinc Augustani primi, eosque non pauci imitati, missionem flagitarunt. Quod cum rescivisset *Leopoldus*, Ludouicum intercipere festinauit. Sed Burgrauio Norimbergensi monente, se *Ludouicus* fuga surripuit, machinis in hostium potestate relictis. LXXV. Iudæi mulctantur. Opibus exilia obsidione afflictis, ad recreandum ærarium vocati quæstores, Iudæorum iniqua exhibuere, reuocare fenora, quæ veluti spógiæ Christianorum facultatibus ebriæ, si exprimerentur, possent fiscum remittere. Sententia pronis auribus accepta Iudęos expilauit, *Ludouicus* ferè expoliauit.

FRIDERICVS LIBERATVR.

LXXVI. IN eum locum deuenimus, vbi Scriptores digladiantur aduersi. *Fridericum* è custodia dimissum prò comperto habemus: quomodo? sub iudice adhuc. Arcem Burgouiæ obsidenti *Ludouico*, aduentasse asserunt *Leopoldum*, & *Albertum* fratres, & Regi diem dixisse, quo cum eo armis decernerent. Pugnam tamen intercedentibus duobus Henricis *Tirolensi*, & *Goricio*, dilatam: imò & de libertate *Friderici* hactenus ab alijs principibus tentatum, institutum sermonem. Videbat *Ludouicus* non quiescere *Leopoldum*, sed ad omnem occasionem intentum, insidias moliri. Accedebat ira Pontificis, contra quem non poterat se præmunire, nisi Principibus assiduè pro *Friderico* solicitantibus, aliquid daret. In Alsaria nonnullæ ciuitates, partim censura Ecclesiastica, partim Austriacorum ope inductæ, ab eo defecerant. Itaque Vlmæ conuentu indicto, *Fridericus* pactis dimittitur conditionibus. Sunt qui *Ludouicum* absque arbitris cum auunculo *Friderico* locutum, fide interposita transegisse. Leges fœderis sequentes numerant.
Pacta inter Lud. & Frid. *Fridericus iuri regio quatenus licunque, & vndecunque parto renunciato. Suffragiorum Septemuiralium tabellas reddito.*
LXXVII. *Regnum, viuo Ludouico, ne ambito: Vltro vocatus abnuito: quæ ab ipso, maioribus, fratribusue eius, de corpore imperij auulsa sunt in pristinum locum restituuntor: Fœdus illi, fratribusque cum Ludouico, liberisque eius æternum esto: Communes hostes, & amicos habento. Extra hostium ordines Pontifex, donec Ludouico infestus erit, ne censetor. Dux Carinthiæ vna cum primarijs familiaribus quatuor, Rudolphus item Hochenbergicus, Hugo Brigantinus, Albertus de Sancto monte, Schebbetingus, Rudolphus, & Hesso Badenses, Furstenbergius, Ochsenstainus, Regi suppetias aduersus fœderis violatores iurati spondento. Austrij fratres, quæ beneficiario iure possident, a Ludouico recognoscunto, inque eius clientelam cum omnibus sibi obnoxijs concedunto: Obsequij detractores communibus iuribus impugnanto: Fridericus filiam suam Stephano Ludouici filio despondeto: Dotis pecuniam, quantum arbitri dixerint, constituito: Burgouia interim, & Riseburgum pro pignore sunto: Parentibus fato functis, liberi nihilo secius fœdus sanctè colunto. Si Fridericum Ludouico superstitem, & successorem Deus volet, liberorum eius dignitatem comiter seruato. Quæ priorum Regum beneficio Austrijs honorifica obtigerunt, rata sunto: Captiui vtrinque redduntor:* In has conditiones *Fridericus* Sacra-

An. 1324 *Sacramento dicito: Pactis stato, vel in custodiam reddito.* His refragantur *Io: Cuspinianus, & VVolfgangus Lazius*, qui publicorum diplomatum fide partitum dicunt imperium inter *Ludouicum*, & *Fridericum*. Cuspinianus duo diplomata in medium profert, quorum alterum Monachij, Anno 1325. alterum Vlmæ, proximè sequenti confectum est, ex quibus constat, vtrunquè Regem paribus auspicijs, quoad *Fridericus*, in viuis fuit, simul imperasse. Prioris summa hæc est: Testantur vterquè se ad Dei honorem, Ecclesiæ obsequium, & Reip. ac subditorum tranquillitatem, pacem inter se perpetuam, & fœdus fecisse, ex bonorum vtriusque ordinis virorum consilio, in has conditiones. *Vti Rom. Imperium, cui vterq; inauguratus esset, ambo simul summo studio fide, industriaque administrent, alter alterum prò virili iuuet, fratris loco habeat. Vterque Rom. Regis titulum vsurpet, eodem in honore sit. Quicquid alteruter seorsum agit, id suo & alterius nomine actum esse declaret. Duo sigilla fiant, in suo quisque alterius nomen priore loco poni iubeat. In rebus maioris momenti, & Imperij beneficijs conferendis, vter prior illa tribuerit, is ab accipiente fidem suo, & collegæ nomine recipiat. Neuter verò sine alterius consensu oppida, arces, dominia, aut quæuis alia ab imperio ad alienos deuolui patiatur. Quod si alterutrum in Italiam ire contigerit, is, collegæ nomine, agendi potestatem accipiat, eandem in Germania manenti relinquat. Quæ Ludouicus Rex filio suo Marchioni Brandemburgico, & Marchioni Morauiæ genero concessit. Fridericus approbet, si qua ab vtroque pluribus concessa sunt, ea qui in possessione sunt, retineant. Quidquid alter statuit, alter idratum habeat, & quicunque alterum lædit, utrunque uti unum eundem læsisse uideatur, alterque iniuriam alterius uti suam persequatur. Hæc ad ultimum uitæ habitum, uterque se bona fide seruaturum, iuret.* His adscripti sunt Berchtoldus Comes Hennebergicus, Fridericus Burgrauius Norimbergensis, & alij plurimi. In altero *Ludouicus* Rom. Regis dignitatem, & titulum *Friderico* se concedere testatur, eo iure vsurpandum, ac si à summo Pontifice confirmatum haberet. *Lazius* præterea in annalibus exépla recenseri dicit, ab vtroque Principe data. Has porrò conditiones Pontifex respuit; eiusque mandato etiam electores præcipuè Ecclesiastici admittere renuerunt. Viennam reuersum *Fridericum*, summa lætitia populus excepit; persolutisque D. Augustino votis, barbam detruncatam ille Hungariæ Regi mittit. *Leopoldus* verò, quoad vixit, offensum in *Ludouicum* animum non deposuit, sed Pontificis anathemate fretus, omnia in ipsum hostilia molitus. Anno 1326. S. Hippolyti oppidum, vt Alsatiæ Landgrauio *Ludouici* amicorum longè fidissimo ægrè faceret, in suam potestatem redactum mœnibus nudauerat. Indè, quamuis aduersa valetudine teneretur, Spiræ obsidionem admouere constituit. Medici cum quietem rebus interponendam, neque corporis constitutionem tot laboribus ferendis esse, contenderent, Argentoratum profectus, nobilium fœminarum commercio animum oblectare studet, mox acri febre correptus, in ædibus Ochsenstainiorum ex hac vita emigrauit, pridie Cal. Mar. *Henricus* item *Pacificus* Domum ex Bohemia dimissus, altero post *Leopoldum* fratrem anno, è viuis excessit. Vxorem habuit *Elizabetham*, *Ruperti* Comitis Virnenbergi filiam, ex quà prolem non suscepit. Corpus eius in Ergouiam deportatũ, in Cœnobio Campi regij sepelitur. An. 1322

Marginalia: *Imperiũ diuiditur inter Ludou. & Frider.* LXXVIII. — LXXIX. *Barbam mittit Hũgarorum Regi.* — *An. 1326* — LXXX *Leopoldi mors.* — LXXXI. *Henrici Pacifici mors.*

LVDOVICI EXPEDITIO ITALIA. An. 1326.

LXXXII. OB Leopoldi obitũ, cum respirare crederet *Ludouicus*, grauior ei procella à Septentrione ingruit. In eum Pontifex barbaros armauit, & medio *Vladislao* cognomento *Lottico* Polonorum Rege, Lituanos, Russosque nondum Christo addictos in Marchiam Brandenburgensem immisit. Francofurtum vsque grassatus est Sarmaticus furor, & duce Christiano cuncta subuertit. Templa, virgines, cesserunt in prædam. Vna virgo barbarum decepit, & suo volutata sanguine, virginitatem eripuit. Pudicitiam seruare manu impotens, ingeniosa fraude, vnguentum vulnerarium mentita, se donaturam pollicetur, si castam ille seruaret; & nè dolum subesse putaret, ceruicé obtulit, vt artis suæ ad salutem alienam daret experimentum. Annuit Lituanus, dumque promissi fidem experiri cogitat, caput virgini à ceruice reuellit. Ita seruauit,

an. 1326 uauit, dum perdidit: Retrocedentes barba-
LXXXIII. ros opima onustos præda, nè insequeretur
Ludouicus, Italica distulit expeditio. Sena-
tus, Populusque Rom. Pontificis pertæsus
absentiam, *Joannem* per Legatos rogarat, in
Vrbem remigraret, ac veterem D. Petri
splendorem restitueret. Solatus Oratores
Pontifex, Auenione non discessit. Roma-
ni moræ impatientes alienati à Pontifice,
Ludouicus à Gibellinis vocatur in Italiā. missa legatione *Ludouicum* acciuerunt. Ille
Oratores benignè auditos, donatosque mu-
neribus, sui aduentus promissa, ac famam
referre in vrbem iussit. Subindè conuoca-
LXXXIV. tis Spiram Germaniæ Principibus, explica-
uit, quantas in spes vocaretur: ac tanto mi-
nùs negligendas, quòd absente Pontifice,
iter foret habiturus. *Ostendit illis* (Mutius)
*literas Senatus, populiq; Romani, & aliarum
ciuitatum Italiæ insignium*, hinc arrepta oc-
casione suadet, *quanti debeant facere Romani
Pontificis execrationes, cum hoc Itali in omni
scientiarum genere, & in diuinis simul ac hu-
manis legibus doctissimi, contra Pontificis de-
creta audeant, quibus magis credendum de
Pontifice, vt apud quos quotidie viuit. Nec
paucis Germanis proceribus addidit animos,
vt auderent Ludouico excõmunicato adhære-
re. Putabant enim Italos præcipuè Romanos
melius certiusq; posse iudicare de Romano Pon-
tifice præsentes, & videntes, quàm se absentes,
& aliorum relatione audientes.* Is summo
assensu auditus, expeditionem Italicam in
annum indixit sequentem. Pontifex verò
LXXXV. Legatum à latere *Ioannem Caietanum Vrsi-*
Papa parat defensionem. *num* Cardinalem tit. S. Theodosij destina-
uit; *Stephanum Columnam*, vt se *Ludouico*
opponeret, admonuit. *Robertum* Regem
Siciliæ rogauit, vt prò libertate vigilaret Ec-
clesiæ, & pro tuitione iurium S. Petri.
Amicorum *Ludouicus* collecta cohorte,
LXXXVI. & centum capitum militari præsidio iter
aggreditur. Oeniponti cum *Friderico Au-*
Comitia Tridentina. *strio* collocutus, commotiore, quàm venerat
animo, ab eo discessit. Tridenti obuios ha-
buit Gibellinorum principes, à quibus ære,
& commeatu adiutus. *Azo* Galeacij filius, &
Marcus frater V. Comitis, ducentos equites
adduxere; *Passarinus Bonacossius* Mantuæ
Dominus cum *Scaligero* octingentos: *Gui-
do Tarlatus* trecentos. Inter auxiliares fue-
runt etiam *Ponzinus Ponzonus*, *Rainaldus
Estensis*, Legati *Carrariensis Castrucij*, &

Friderici Regis Siciliæ cum copijs. Prima an. 1327
concertatio fuit cum amicis, quorum quili-
bet adhærebat Cæsari non sine iniuria; nam
penès *Ludouicum* non nisi nomen permit-
tebant Imperatoris. *Scaliger* è vestigio ad LXXXVII.
Pontificem se transiturum minabatur, nisi *Canis Scaliger petit vicariatum in Patauinos.*
vicarium in Patauinos sibi concederetur
imperium. Miscebat minis promissa super-
ba, & præter operam militarem ducenta
aureorum millia protinùs soluenda Cæsari
offerebat, si voti compos fieret. Cæsar mo-
nuit, peteret, quæ sine aliorum iniuria ipse
concedere posset. Patauinos *Carinthio* da-
tos, iure sine causa reuocare non posse. *Canis*
ea repulsa irritatus, è comitio se proripuit,
itinere arrepto Veronam versus. Amico-
rum tamen precibus retractus, Cæsari se red-
didit. De ratione belli disceptantibus, à
Pontificis ruina duxere exordiendum. Ade-
rant cum *Ludouico* plurimi Episcopi, Præ- LXXXVIII.
lati, Regulares diuersorum ordinum, Apo-
statæ, Schismatici, hæretici à Pontifice ob
grauissima damnati piacula. Eorum ago-
nem ducebat Magnus Magister militum
Theutonicorum, furijs in Papam inuectus,
ob Pomeraniam Regi Poloniæ non restitu-
tam, fuerat iste anathemate percussus. *Mar-*
silius Patauinus, Ioannes Iandunus, auctores *Expostulationes in Ioannē XXII. Papam.*
non sequendi oleum camino affundebant.
Illos vrebant fulmina Pontificia, eoque ful-
minanti irascebantur. Indignabantur bel-
lum à Pontifice susceptum aduersus Impe-
rij clientes. Carpebant audaciam, quasi in
Cæsarem iam electum nil iuris haberet Pa-
pa: iactantes immediatè à Deo pendere,
nullo intermedio. Immeritò cœtu piorum
proscriptum *Ludouicum*; Principes ab eius
obsequio deterritos nonnisi ad Italiæ vsur-
pandum imperium. Propterea cruce signa-
ri armatos, quasi in Sarracenos pro redem-
ptione Terræ Sanctæ pugnandum foret, &
specie religionis bonis inhiari alienis. Pon-
tificem etiam malè de Christiana religione
sentientem accusabant, præsertim de Chri-
sti paupertate, quibus imposturis eum exau-
ctorarent tanquàm hæreticum notorium.
Imò in eodem comitio non esse Petri legiti-
mum successorem denunciarunt: nec am-
pliùs *Ioannem* sed *Iacobum è Caturco* contu-
meliosè appellarunt. Ingemuit tunc Orbis
Catholicus, cum videret à *Ludouico* idolum
abominationis suscitari. Vigintiquinque
dies

an. 1327 dies cum in consilio impiorum, ipse in cathedra pestilentiæ præsidens laborasset; iij. Id. Martij Tridento discessit. *Margarita* vxor diuerso itinere Italiam ingressa, Comensi in vrbe se marito iunxit. Superuenit
LXXXIX. Discordia V. Comitum. & *Galeacius Matthæi* filius & successor, primum facile apud Cæsarem amicitiæ locum obtenturus, nisi *Marci* fratris, & *Ludrisij* patruelis odia obstitissent. Erat *Marcus* inter *Matthæi* filios strenuus manu, consilio sagax, atque *Galeacio* fratri, periculorum omnium socius, & victoriarum præclarus adiutor; fratrem rerum dominum ferre non poterat, vel natu maximum, & prudentiæ authoritate priorem. Cumque regnum non caperet duos, quomodo fratrem deturbaret, uecors agitabat. Querimoniæ socium *Ludrisium* habebat patruelem suum, qui expeditionum & ipse comes nihilo feliciorem sibi virtutem, fidemque suam existimabat in aula esse, quæ omnia illi deberet. Ita patrueles duo natura queruli, & tumidi addente animos virtute, & gloria, cum ista quotidianis sermonibus agitando, accenderentur, cœpere denique ab ipsa desperatione consilium, vt ruina domus opprimerent angores, & ignominias, vt ipsi interpretabantur suas. Tridentum cum obuij *Ludouico* iuissent, *Galeacium* multis oneratum calumnijs, reum Maiestatis peregerant, conniuente *Cane Scaligero*, qui ex aliena discordia turbatis rebus commoda expectabat astutus. Accusabatur atrociter quòd clam inito fœdere cum Pontifice *Ioanne*, cum Guelphis transegisset in Cæsarem. Nihil poterat accusatione tali capitalius esse ad inflammandum ira Cæsaris animum; cætera namque Maiestatis crimina tanquàm inania transmittebantur. Dummodò in eo seruaretur fides, vt pro Imperio starent populi & contra Apostol. Sedem constâtes. Al-
XC. teras & tertias ab *Ludrisio*, & *Marco* super ea re literas Cæsar acceperat, temperauerat iræ tamen, suaseratque humanissimè vtrunque vt mutuæ concordiæ, fideique erga se memores esse vellent: ipsum fore quamprimùm in Italia, & digna omnibus præmia persoluturum. Non ea nesciuit *Galeacius*, quibus insectationibus peteretur, dictitabatque identidem, *Marcum fratrem confodere suo pugione sesesum*. Marcus aiebat vicissim. *Quid in fatis futurum sit, Galeacius viderit, qui ædepol fratrem non habet, quum solus regnet.* an. 1327 Fratres hæc inter se cauillabantur, altè exulceratis animis, alterius quidem inuidia ob maligne communicatam secum fortunam paternæ hæreditatis; alterius verò dolore, & metu, quod à fratre domui vniuersæ exitium quæreretur. Mediolani regio omni honore *Ludouicus* exceptus in D. Ambrosij domicilium introductus fuit à *Galeacio*: & pride Cal. Iunij, ipsis Pentecostes ferijs, in XCI. Ludouicus Mediolani coronatur. æde D. Ambrosij, *Guidone Tarlato* Aretino; *Friderico Madio* Brixiensi, & Tridentino Episcopis inaugurantibus *Ludouicus* coronatus est; *Cane Scaligero*, Marchionibus Estensibus, *Passerini* Mantuani filio, & insigni Gibellinæ factionis nobilitate, pompam nobilitantibus. Exegit deindè *Ludo-* XCII. Galeacij superbia. *uicus à Galeacio* pactum Tridenti *aurum coronarium*, aureos quinquaginta mille, sed nihil tetulit præter verba, & fastum, qui tantus in homine fuit, vt ferre se minorem Cæsare dedignaretur, eumque velut beneficiarium despiceret. Respondit igitur, *de auro cogitaturum se, & facturum quod & quantum suo cômodo facere posset; liberandæ fidei locum, tempusque fore in suo arbitrio.* Scaliger certus ea tergiuersatione læsam esse Principis patientiam, occasioni imminens Mediolanensem Præfecturam apertè ambijt, ratus inofficiosum Cæsaris clientem, posse facile deturbari. Bauarus verò secreta secum æstimatione pensans ea, quæ dicerentur, parcus verbis, compositus vultu, iam apud se quid facto opus esset, nemine suspicante destinarat. Vinculis, & aconitis statuit domum emendare rebellem. Vnus licet *Galeacius* accusaretur, ne *Marco* quidem ipsi, & *Ludrisio* delatoribus proditionem suspicabatur abesse. Et quia sanguinis proditores extiterant, credebantur & Principis. Offensione aliqua irritatos detulisse communis consilij indicium: vbi placati essent animi, fidem & caritatem inter ipsos, perfidiam & odia in alienos fore. Casus vel aliena perfidia familiam insimulauit innocuam. *Stephanus* Ex Ripamontio. V. Comitum frater natu minimus ministerio tractandi pocula regia præpositus, repentè crebris adspergitur aulæ susurris, quasi Principi venenum pararet; criminationi Stephanus V. Comes Mediol. vt proditor insimulatur. materiam præbebat vulgata iam in *Galeacium* accusatio. Cum iunior Vicecomes apertis iam quoque sermonibus reus pete-

an. 1327 retur, die quodam epulante in publico Cæsare, potionem quam ille oblaturus Principi erat, medicauere furtim qui negotij sibi id sumpserant. Cæsar vbi scyphum accepit, reddidit pincernæ, adhortans simul, vt malignantium rumores dilueret, queis ipse diffamaretur. Rapidum inerat virus, quo iuueniliter, & impigrè hausto Vicecomes cum vertigine oculorum, retrorsum cecidit. Ad eum aspectum conscij ignarique pariter inhorruere. Misericordia in Cæsarem, quasi diuinitus seruatum, probra in eum qui sternere super dapes exanimem voluisset Imperatorem. Quasi verisimile fieret, vt iuuenis inermis inter tot armatorum phalanges tantum facinus patrare cogitasset, quo detecto, ipse decederet. Cur non potius miscuisset venenator lentum aliquid, quod sensim irreperet, & morbo adsimilaretur fortuito? Calumniam cohonestauit morientis conficta confessio, qua participes authoresq; veneficij *Galeacius* Princeps vrbis, & templi maximi Canonicus *Ioannes*, & *Azo* vulgabantur, ne *Ludouicus* omnium oculis impostor, & Sycophanta simulque venenator, & parricida vilesceret familiaris sui. Repentè itaque comprehensi asportantur in arcem *Galea-* an. 1327

Galeacius accusatur vt proditor Cæsaris, & veneficus.









XCIII. *Galeacius ad carceres dánatus.*

cius, *Azo*, *Luchinus*, & *Ioannes*. Morsque eis denunciatur, nisi arcem Modoetianam intra triduum traderent. Id. Vicecomites Præfecto mandarunt per literas; sed cum is fraudem subesse putaret, morem non gessit. Eadem constantia *Beatricem* Galeacij vxorem, & *Richardam* filiam lacrymis deditionem vrgentes, reiecit: donec certis conuictus argumentis, arce tradita, Patronorum salutem redemit. *Luchinus*, & *Azo* vigintiquinque aureorum millibus multati, sexdecim præsentia numerarunt; vt in custodia futuri, donec reliquum penderent: cum verò remissè custodirentur, facile viam ad fugam inuenere. *Galeacius* in carcerem coniectus fuit, quem ab hinc triennio *Furni* nomine insignem condiderat: ominante plebe, fore, vt ipse primus in eo furno quereretur. Capta sic Vicecomitum domo, principatuque deleto in ius Imperij rem omnem Mediolanensem Bauarus vindicauit. Viginti quatuor legit ad vrbis tutelam,

vt

an. 1327 vt populos specie libertatis demulceret. His addidit *VVichelmum Montfortium*, qui præ- dæ cupidus rem Cæsaris potius perdidit, quàm seruauit. *Ludouicus* postea Cremonensibus, Comensibus, & Castellanis pseudo Episcopos dedit, seu ab Pontifice exauctoratos restituit. Tum lustrata Cremona, duobus equitum millibus stipatus, traiecto Pado, Apennini iuga superauit, Legato Pontificio, qui milite abundabat, spectante non prospiciente, ne angustias quidem præoccupante, vbi si non opprimere saltem prohibere Cæsarem poterat. Pisani primi Cæsarem morati, mœnibus exclusum aspernātes, Germanos milites eiecerunt ex vrbe equis spoliatos. Propterea iratus Cæsar iurauit, nōnisi victor vel victus se recessurum. Iam parabatur obsidio, cum malorum imminentium metu perterriti, sexaginta florenorum millia Cæsari obtulerunt, si vrbis abstineret ingressu. Irascitur magis *Ludouicus* ea conditione, quasi pestifera afflatum aura metuendum vrbs proscriberet. Mota continuò sunt castra ad obsidendam vrbem. Sed oppidanis incōmoda omnia superantibus, frustranea futura erat obsidio, nisi externa vi indomitos intestina domuisset discordia. In diuersa trahentes, penes quos summa rerum, vicere, qui populo plaudente prætulere pacem. Deditionis præscriptis tabulis, Cæsari vrbe ingressuro sexaginta aureorum millia sunt pacti, modò ne *Castrucius* vnà intrarent & exules. Vndecimo Octob. patentibus portis, Cæsar cum exercitu vrbem ingreditur, & morum comitate plebem sibi adeo deuincit, vt deditionis rescissis pactis, nouo Sacramento eiues se ei liberè subijcerent. Subinde cum *Castrucio* reuocantur exules, obliteratis iniurijs, quo integra foret concordia. Indè Cæsar commercia publica esse iussit, in promercalia verò vectigali imposito spretis eiuiū querelis, vlta supra iam addita sexaginta aureorum millia, centena altera ciuibus imperauit in militum stipendium. Tum quasi prodita libertate, auditæ graues querimoniæ, & molestior bello pax visa, quæ tanti constitisset. Tristius in his questibus fuit fulmen à *Ioanne* Pontifice xiii. Cal. Nouembris in *Ludouicum*, & fautores repetitum, *Marsilium Paduanum*, & *Ioannem de Ianduno*, quod ex *Bzouio* transcribere placet. an. 1327

XCIV. *Dat Episcopos Comensibus, Cremonensibus.*

XCV. *Pisas obsidet Ludouicus.*

XCVI. *Pisani dediti.*

XCVII.

Marsilius Patauinus, & Ianduinus excommunicantur.

IO: EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Ad perp. rei mem.

Licet iuxta doctrinam Apostoli, ob id esse hæreses sit necesse, vt fiant qui probati sunt apertius manifesti; quia tamen iuxta doctrinam Apostoli eiusdem, hæreticorum sermo ad maius paulatim tendere consueuit, necesse est vt talibus eorumque peruersis dogmatibus sic celeriter occurratur, quod perniciosus morbus neglectus, inter vitia vires sumere nequeat, sed potius suo profiteantur in actu. Sane dudum ad nostram audientiam proclamatione tam verbali, quàm literali plurium sublimium ac fidelium personarum, necnon fama publica notoriante producto, quod duo viri nequam, perditionis filij, & maledictionis alumni, quorum vnus Marsilius de Padua, & alter Ioannes de Ianduno se faciunt nominari, quemdam librum composuerunt, multa falsa, erronea & hæretica continentem: quodque ipsos errores, & hæreses in Ducatu & terris Bauariæ, Ludouico de Bauaria excommunicato, & Dei, & Ecclesiæ, & Fidei Catholicæ persecutore manifesto, & hoste creduli, suisque horrendis excessibus, & grauibus culpis, iure si quod ei ex electione discordi, quæ de ipso celebrata dicebatur ad Regnum Romanorum vel Imperium competebat iusto priuato iudicio, eiusdem Marsilio & Ioanni fau:nte super his ac etiam adhærente dogmatizare publicè præsumebant, quibus videlicet nonnulli viri Catholici se pro defensione fidei opponentes, cum dixissent apertè, quod illa doctrina erat erronea & hæretica, velut contraria Euangelicæ, & Apostolicæ veritati, & vt à tali doctrina desisterent suasissent eisdem: ipsique eorum noluerunt acquiescere monitis, sed in publicandis suis erroribus perducarent, tandem cum præfati quamplures Prælati, necnon alij viri Catholici, tam perniciosas hæreses inter Catholicos dogmatizare publicè, indecens, periculosumque nimium reputantes, nobis certos articulos exceptos de libro prædicto curauerunt mittere, & per seipsos præsentare, supplicantes attentius vt super præmissis curaremus sanctæ Dei Ecclesiæ de opportuno remedio prouidere. de quibus articulos subscriptos duximus præsentibus annotandos. Et licet tam cum Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, quam cum multis Archiepiscopis, Episcopis, alijsque Ecclesiarum Prælatis, nec-

non & cum pluribus sacræ Theologiæ Magistris, ac vtriusque iuris professoribus deliberationem super ipsis articulis præhabuimus diligentem: ex quorum deliberatione aperte conuincitur, quod errores articulorum ipsorum sunt adeo manifesti, quod quicquid ad eorum manifestationem adijcitur, frustra adijci videatur, & quasi sol facilius sit admirari. Tamen vt minus periti, pernicies illorum percipere valeant & vitare, quæ ad ipsos declarandos errores perfunctorie, sunt, de Fratrum eorumdem consilio præsentibus inserenda.

Imprimis itaque, isti viri reprobi dogmatizare præsumunt, quod id quod de Christo legitur in Euangelio Beati Matthæi, quod ipse soluit tributum Cæsari, quando staterам sumptam ex ore piscis, illis qui petebant didragma iussit dari: hoc fecit non liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. quod vtique doctrinæ contradicit Euangelicæ, nostrique Saluatoris sen-

XCIX. Clerici ab Imperatore immunes in temporalibus.

tentiæ. Cum enim, sicut in Euangelio legitur, Christus interrogasset Petrum: A quibus Reges terræ accipiunt tributum, vel censum: à filijs suis, an ab alienis? Et Petrus dixit: ab alienis. Ergo liberi sunt filij. Constat autem Christum secundum carnem fuiße Dauid filium, iuxta testimonium Angeli sic dicentis: Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, etc. Et per consequens à solutione tributi vel census erat immunis.

Hoc etiam ex hoc patet, quod statim subiunxit: Vt autem non scandalizentur, vade & da staterам pro me & pro te eis, per hoc euidenter patet, quod non vt astrictus, sed vt euitaret scandalum staterам tributi exactoribus iussit solui. Ex prædictis autem dicto suo nituntur concludere præfati viri reprobi: quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt Imperatori, & ea potest accipere velut sua. Videntur enim supponere, quod ex hoc quod Christus tributum soluit ex debito, res temporales eius Imperatori subessent: & per consequens, quod res Ecclesiæ temporales sint Imperatori subiectæ, & eas possit recipere velut suas. quod quia ex præmissis nullatenus sequitur, nec sequi potest, est aperiendum. Cum enim liqueat ex præmissis, Christum fuisse à solutione præmissi tributi, vel census liberum, & immunem, & staterам soluisse non ex debito, sed vt aliorum scandalum euitaret; nullatenus potest concludi, quod res Christi, quales sunt res Ecclesiæ subsint Imperatori. Præterea, etiam si Christus staterам soluisset ex debito impertinenter concluderetur ex eo, quod res Christi quales sunt res Ecclesiæ, subessent Imperatori: cum Christus non pro rebus, sed pro persona staterам soluit. quod patet ex eo, quod ille iussit solui pro se, & Petro modo prædicto, non pro rebus suis & bonis. Vnde non sequitur, quod ex eo quod persona est tributaria, tributaria sint bona. Imo qui pro persona tributum debet soluere, habere potest bona libera & exempta. Et quia hoc patet etiam per iura imperialia manifeste, supersedimus super hoc plenius allegare. Secundo, isti filij Belial dogmatizare præsumunt, quod Beatus Petrus Apostolus, non plus auctoritatis habuit quam alij Apostoli habuerunt, nec aliquis Apostolorum. Item, quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem Vicarium suum fecit. C. Papa est caput Ecclesiæ. *quod est contrarium Euangelicæ, & Apostolicæ veritati. Quod enim Vicarium suum Beatum Petrum constituit: patet. Constat enim, quod Christus officium Pastoris gessit in terris. Hinc est, quod in Ioanne se vocat Pastorem dicens: Ego sum Pastor bonus. Liquet etiam, quod curam gregis sui ante ascensionem Beato Petro generalem commisit, quando sibi in eodem Ioanne dixit: Simon, pasce agnos meos, pasce oues meas. Vnde cum Pastor gregis Dominici scilicet Christus, curam eiusdem gregis Beato Petro commisit; quoniam eum quo ad curam gregis suum Vicarium fecit, nullus debet in dubium reuocare. Hoc ille Imperator Christianissimus sc. Constan. aliquando testatus est dicens: Beatus Petrus dicitur, in terris Vicarius Dei filij constitutus. Ex hoc etiam sequitur euidenter, quod caput vniuersalis Ecclesiæ potest dici, iuxta morem illum sacræ scripturæ, quo Rector alicuius multitudinis esse caput. Vnde legitur in Io. Congregabuntur filij Iudæ, & Israel, & ponent isti caput vnum, io est, Rectorem. Constat autem quod Beatrus Petrus, ex ipso quod Christus sibi commisit curam gregis Dominici, ipsum eiusdem gregis videtur constituiße Rectorem. & per consequens, caput. Fatemur tamen cum Apostolo, quod Christus est verum caput & principale sub quo Petrus Caput dicitur secundum modum prædictum; secundum quem modum sub Christo capite, & Petro multa capita possunt dici particularia, sicut Patriarcha fidelium Patriarchatus sui, & Archiepisc. Archiepiscopat. & Episc. Episcopat. sui. Sic videmus, quod licet Christus sit Eccles. principale, & primarium fundamentum, iuxta*

illud

illud Apost. Fundam. nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Et alibi loquens Gentilibus conuersis, dixit; vos estis ciues sanct. & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostol. & Prophetarum, ipso lapide angulari Christo Iesu, id est, quod fundamentum est Christus Iesus. Itaque etiam Apostoli dicuntur fundamentum, iuxta illud Psalmi, Fundamenta eius, id est, Ecclesia; in montibus sanctis. Et secundum istum modum Christus videtur Petrum prædixisse futurum esse fundamentum, cum dixit: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vnde sicut Christus dicitur sanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus Dominantium: Sic similitudinarie Pastor Pastorum, Caput Capitum, & fundamentum fundamentorum Ecclesiæ potest dici. Sic ergo ex prædictis patet, quod Petrus secundum prædictum modum Caput est Ecclesiæ, & vocatur. Et hoc videtur Christus, ex impositione nominis designasse.

Dixit enim sibi, sicut legitur in Ioanne: Tu vocaberis Cephas. Cephas autem Græce, caput Latine interpretatur. Vnde Constantinus de Romana Ecclesia loquens dixit: quod Principatus Sacerdotum & Christianæ Religionis Caput, ab Imperatore Cælesti constitutus est Romæ. Iustinianus quoque in quadam Epistola Ioanni Papæ missa testatur hoc dicens: Non parui quicquam ad Ecclesiam Romanam pertineat, quod euacuare ius manifestum, & indubitatum sit quod innouetur, nec hoc nunc sanctitati, quæ caput est Ecclesiarum omnium. Summi Pontificatus apicem apud Romanam Ecclesiam esse, ipsamq; fore sacerdotij fontem, nemo est qui dubitet, id est, qui valeat dubitare. Ludouicus autem Imperator, Beatum Petrum Principem Apostolorum vocat.

Quod autem Beatus Petrus plusquam alij Apostoli auctoritatis habuit, ex prædictis concluditur euidenter. Certum est enim, quod maior est auctoritas Pastoris, quam gregis. Petrus autem totius gregis Dominici generalis constitutus est pastor, vt probatum est superius. quod de nullo alio Apostolo potest dici. Præterea constat, quod maior est potentia vel auctoritas non limitata, quam limitata. Omnes autem alij Apostoli receperunt auctoritatem limitatam, quæ est super verum corpus Christi conficiendum, sumendum & alijs ministrandum: quæ quidem auctoritas seu potestas, fuit in cœna Domini omnibus Apostolis tributa. Et etiam quam illa, quam post resurrectionem Deus super corpus mysticum dedit illis dicens: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt. Siue etiam in ascensione quando dixit eis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes, in nomine patris, &c. Petro autem sine limitatione aliqua commisit curam Dominici gregis, cum sibi dixit: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Item sibi soli, sic, quod nulli alteri singulariter dixit: Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram, &c. Et quodcunque solueris, &c. Hoc etiam in sancti Lucæ Euangelio Iesus videtur satis congrue designasse, vbi loquens Petro, dixit, & nulli alteri: Duc in altum. Significans, quod ad ipsum solum pertineat, in altum, id est, in profundum disputationum fidei dubia discernere. Quod autem & alijs dixit, quod sequitur: laxate retia in capturam: quia omnes Apostolos constituit huiusmodi Piscatores, iuxta illud quod in sancto Euangelio Matthæi legitur dixisse Christus: Venite post me, faciam vos hominum piscatores. Hoc quoque quod Petrus plus cæteris Apostolis receperit auctoritatis, patet ex multis, quæ ipsum post ascensionem Domini dixisse, & fecisse sacra scriptura testatur.

Ex prædictis itaque patet, quod Petrus à Christo fuit Vicarius constitutus, quando sibi totius gregis Dominici curam commisit: & per consequens Rector, & caput gregis ipsius institutus est, & vocatus. Ex quibus sequitur, quod sibi à Christo amplior quam alijs Apostolis attributa est auctoritas & potestas. Hinc est, quod Clemens eiusdem Petri successor, & discipulus dixit: Non ipsorum Apostolorum par fuit instituto, sed omnibus præfuit vnus, scilicet Petrus.

Tertio, isti filij Belial asserere non verentur, quod ad Imperatorem spectat, Papam instituere & destituere, ac punire. Quæ vtique omni iuri obuiant, & repugnant. De primo quidem post Christum scilicet, Noui testamenti summo Pontifice, scilicet Petro, patet, quod non ab Imperatore temporali seu terreno constitutus Papa fuerit: sed à Christo dicente sibi soli in eodem Ioanne: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Per quæ verba eum suum Vicarium generalem constituit, vt patet ex prædictis. Adhæc, de illis summis Pontificibus, qui fuerunt ante

Imperator nequit puni re vel eitate Papam. CL.

an.1327 ante Constantinum Magnum Imperatorem quod ipsorum institutio ad Imperatorem non pertinuerit satis liquet, volenti acquiescere veritati. Cum enim fere omnes Imperatores illius primis fuerint idololatræ, & fidei Catholicæ, & Orthodoxorum Pontificum persecutores atrocissimi, adeo quod omnes fere à Beato Petro inclusiue vsque ad Beatum Syluestrum effecerunt martyres, quod ad eos Papæ institutio potuerit pertinere nullo modo vtique credi debet. Nec de ipso Constantino vsque ad suam conuersionem ad fidem Catholicam, quod ad eum institutio pertinuerit, dici non potest: nec per conuersionem ad fidem hoc assequi potuit, cum per hoc Papæ filius ac discipulus effectus fuerit & subiectus. Præterea cum Imperator ipse post susceptum Baptismum inconueniens reputauerit & iniustum, quod vbi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis caput ab Imperatore cælesti institutum fuerat, videlicet Romæ, ille Imper. terrenus potestatem haberet: ideoque sedem Imperialem Syluestro Papæ concessit, & ad partes Orientales sui Imperij, & Regni sustulit potestatem: multo fortius est iniustum, & inconueniens est censendum, quod ad ipsum Imperatorem Papæ potuerit institutio pertinere. Et idem patet dicendum de Græcis Imperatoribus, qui sibi in Imperio successerunt. Quod autem ad Imperatores Latinos non pertinuerit, nec pertineat institutio supradicta, patet: Imperium enim per Papam à Græcis est translatum in Latinos, nec plus iuris in ipsos, quàm apud Græcos existeret Papam ipsum transferentem legimus transtulisse. Græcis autem Imperatoribus, vt ex prædictis patet, talis non pertinebat institutio: quare nec pertinere poterit ad Latinos. Et si dicatur, quod Papæ institutio ad Latinos Imperatores pertinet, ex concessione postea ipsis facta per summum Pontificem, vel summos Pontifices: est dicendum quod nulla cessio facta per Papam aliquem Imperatori seu Imperatoribus debet intelligi, quod ipsi Imperatores possent instituere soli seu eligere: Sed quod possunt electioni summi Pontificis interesse.

Et quod sic concessiones illæ intelligi debeant, satis patet ex eo quod in quodam Capitulo legitur vbi sic dicitur, vt patet. LXIII. distinct. §. verum. Verum quia Imperatores modum suum consuetum ignorantes, non in minimo consenserunt, sed potius distribuentium, imo exterminantium esse voluerunt, &c.

Item querimonia nunciorum Ludouici Imperatoris, quibus in vrbe præsentibus electio de Papa Adriano II. ipsis non vocatis extitit celebrata, hoc similiter probat.

Conquerebantur enim dicentes, quod cum præsentes essent, non fuerunt inuitati: nec meruerunt electioni futuri Præsulis interesse, ob hoc quia nonnulli Imperatores illo priuilegio abusi fuerunt, ac frequenter in hæreticorum prolapsi perfidiam, & Catholicæ matris Ecclesiæ vnitatem fuerunt impugnare conati.

Ideo statuta sanctorum Patrum contra eos, vt se electioni Papæ non ingererent prodierunt: ac vt anathematis innodarentur vinculo quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret. Nonnulli quoque Imperatores prædicti religiosæ mentis affectu ex abundanti supradicto renunciauerunt priuilegio; vt patet ex tenore canonum super hoc conditorum, per quos & non alius probatur concessio antedicta.

Præterea legant homines isti pestiferi historias approbatas, & ostendant per quas vnquam Papa Catholicus, ab Imperatore institutus fuit. Profecto credimus, quod nullas poterunt reperire. nec dubium, si ad eos alias pertinuisset instituere, quin potestate huiusmodi fuissent vsi & quando in historijs de institutione tali mentio haberetur.

Dicere autem, quod Papæ destitutio seu punitio, ad Imperatorem pertineat, est erroneum & insanum. Quomodo enim Papæ destitutio pertinebit, cum eius institutio ad eum non pertineat vt ex prædictis patet. Sanè cum etiam secundum iura imperialia, priuatio debet procedere, vnde datio noscitur processisse.

Præterea, quomodo Imperator Principem Clericorum destituere poterit, vel punire, cum etiam secundum leges Imperiales, id in simplici Clerico nequeat exercere. Audiant insuper isti homines perfidi, quod contra hoc nonnulli Catholici Principes senserint, & quid duxerint sanciendum.

Theodosius quidem & Archadius Imperatores Catholici senserunt expresse, quod nullus ipsorum, siue eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad Ordinariorum siue extra Ordinariorum iudicium protraherentur. Habent enim illi suos iudices, nec quicquam eis cum legibus est commune.

Item Imperator Constantinus, cum querelam Clericorum quorumdam coram se deferendam

dam conspiceret, dixit: Vos a nemine laicorum potestis iudicari, quoniam Dei solius estis in Deo. Ergo à Iudicibus Ecclesiasticis poterunt iudicari. Dicendum est, quod imò ipsi quidem Petri Vicarij licet differenter sunt Christi. quia Papa solus vocatus est in potestatis plenitudinem. Alij vero particulares velut illi qui partem sollicitudinis sunt vocati. Vnde à Deo videntur iudicari. quia ab eo iudicantur potius, quam ab ipsis; cum ille cuius auctoritate fit, illud facere videatur. Et propter hoc Imperator prædictus signanter dixit; à nemine laicorum.

Item Theodosius Imperator, cum Romæ Concilium conuocasset, vt sanctum Concilium iudicaret, de his quæ Papæ Symmacho ab aduersarijs dicebantur impingere, certi Episcopi qui conuenerant Imperatori dixerunt, quod ad illum quem petebant, scilicet Papam pertinebat: quia eius sedi primum Petri Apostoli mandatum, deinde secuta iussione Domini consilium venerandum auctoritate, singularem in Ecclesijs tradidit potestatem, nec ante minorum subiacuisse iudicio Antistitem dictæ sedis. Quo audito Imperator prædictus, Deo inspirante respondit: Synodalis Ecclesiæ arbitria in tanto negotio sequenda, ac ad se nihil præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs asseruit pertinere. Episc. & enim Princ. Christianos solitum est capita subdere, non de eorum capitibus iudicare.

Hinc est quod Innocentius Papa Arcadium Imperatorem excommunicauit, quia consensit, vt à sua sede Sanctus Ioannes Chrysostomus expelleretur. Plures quoque summos Pontifices legimus, Imperatores pro suis excessibus, Imperiali dignitate priuasse. Beatus quoque Ambrosius licet Ecclesiæ vniuersalis non esset Pontifex, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicauit, & eidem ingressum Ecclesiæ interdixit.

Ad huiusmodi erroris sui fulcimentum, scilicet quod ad Imperatorem pertineat Papam destituere, illud quod in sanctis Euangelijs legitur de Pilato, scilicet quod Christum crucifixerit, præsumunt inducere; asserentes ipsum Pilatum tamquam Christi ordinarium ipsum Crucifixisse, tamquam sibi subiectum. quod habet duplicem intellectum. Aut enim intelligunt Pilatum Christum crucifixisse de iure, aut de facto. Si de iure; hoc obuiat veritati. De iure enim quis puniri non potest, nisi qui delinquit vere, vel interpretatiue, vel qui conuictus fuerit deliquisse. Christus autem secundum veritatem non deliquit: quia innocens fuit manibus, & mundo corde. qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in lingua eius. Et hoc Pilatus ipse fuit expresse confessus.

Cum enim ipsum Iudæis tradidit crucifigendum, dixit: Mundus sum à sanguine iusti huius. Item non fuit deliquisse conuictus: quod idem pluries est testatus. Cum enim Iudæi instarent, quod crucifigeret eum, in vno loco dixit: Quid enim mali fecit? quasi dicat, nihil inuenio eum male fecisse. Et alibi pluries eisdem Iudæis instantibus, quod crucifigerent eum dixit: Ego nullam in eo inuenio causam mortis. Quare ipsum de iure non potuit punire.

Si autem intelligant quod de facto, & iniuste puniuit eum innocentem, sicut & veritas se habet: tunc ex hoc non possunt concludere aliquid: nisi quod Imperator Papam de facto potest interficere & iniuste. quod vtique non solum de Imperatore concedimus, verum etiam de priuato. Sicut & plures Imperatores à priuatis personis, & summos Pontifices à non suis iudicibus. Sicut omnes Martyres legimus interemptos.

Quarto dicunt isti vaniloqui, imo falsiloqui, quod omnes sacerdotes, siue sit Papa, siue Archiepiscopus, siue sacerdos simplex, sunt ex institutione CHRISTI, auctoritatis & iurisdictionis æqualis. Quod autem vnus plus alio habeat, hoc est secundum quod Imperator concedit vni vel alij plus vel minus. Et sicut concessit alicui, sic potest etiam reuocare. Quæ vtique doctrinæ sacræ obuiant, & hæreticam sapiunt prauitatem. Quod enim sacerdotum simplicium, & non simplicium ex ipsa institutione CHRISTI non existat æqualis auctoritas, patet tam in his quæ fiunt, vel fuerunt in veteri testamento, quam in ijs qui fuerunt in nouo.

In veteri siquidem testam. per Moysem ex præcepto Domini Aaron in summum Pontificem, filij vero eius vncti fuerunt in simplices sacerdotes: quorum potestas, vt patet, inæqualis existit: quia ex simplicibus sacerdotibus, velut ad superioris auctoritatis, & potestatis honorem, ad Pontificatum sunt assumpti. Tunc quia licebant quædam Pontifici, vt sancta sanctorum ingredi, quæ non licebant simplici sacerdoti. Discrimē inter sacerdotes. CII.

In nouo testamento Pontificum, & simplicium sacerdotum ex eo assumpsisse videtur exor-

exordium, quod duodecim Apostolos, quorum typum gerunt Pontifices, ac septuaginta duos discipulos instituit, quorum typum gerunt simplices sacerdotes. Constat autem ex multis quod de ipsis in sanctis legitur Euangelijs, quod Apostolorum, & discipulorum auctoritas dispar fuit. Adhuc quod potestas quorumcumque aliorum sacerdotum proprie par non sit, nec æqualis, patet euidentius ex prædictis, quod aliorum Episcoporum scilicet Patriarcharum, Archiepiscoporum par potestas non fuerit, nec sit, patet. Inferiorum siquidem potestas, superiorum non est par potestati. Constat autem Patriarchas esse superiores respectu Archiepiscoporum & Episcopos respectu simplicium sacerdotum.

Et si dicant isti homines, reprobi, quod istorum Episcoporum distinctio, ab Imperatore processit non à Christo; dicimus quod imò processit ab ipso. Ille enim cuius auctoritate fit aliquid, illud fecisse videtur. Beatus autem Petrus Christi Vicarius, & gregis Dominici Caput, attendens quod aucto grege sine ipsius mutatione custodire gregem non poterat, salubriter prouidit, auctum gregem post ascensionem Domini considerans & aucturum amplius præuidens in futurum, gradus prædictarum potestatum instituit & distinxit. Quare cum auctoritate Christi dicta distinctio facta fuerit, Christo debet ascribi. Hanc autem potestatem datam Ecclesiæ, Psalmista diu ante prædixit, dicens: quod pro patribus nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram. Vbi Patres Ecclesiæ vocat Apostolos, & filios Ecclesiæ fideles, per Apostolos ipsos conuersos. Vbi satis aperte, Ecclesiæ, id est, eius Pastori, attributa potestas videtur instituendi diuersos gradus Principum, cum hoc proficeret Ecclesiæ sanctæ Dei. Audiant insuper isti peruersi homines, quod cum instituisset auctoritatem, & subiectionem constituisset, subiunxit dicens: Nam secundum sacrarum scripturarum explanationem, Apostolicamque traditionem constituimus. Ex quibus colligitur euidenter, non ab Imperatore distinctionem, & auctoritatem Pontificij originaliter & principaliter, sed ab auctoritate Apostolica processisse. Imperatoremque vt illa seruarentur melius, iuxta statuta Apostolica eadem statuisse.

Considerent etiam, quæ & quanta ex his, si vera essent inconuenientia sequerentur. Sequeretur vtique quod ante tempora Constantini nulla potestas esse potuerit, in Ecclesia sancta Dei: cum illo tempore Imperatores fere omnes Gentiles fuerint, & persecutores Ecclesiæ, ac Prælatorum eiusdem, de quibus dici non potest, quod Prælatis Ecclesiæ potestatem aliquam concesserint, vt ex prædictis patet. Ex prædictis insuper sequeretur, quod vniuersalis Ecclesia quæ spiritu sancto regitur, erret, & errauerit ipsos honorando pro scientia. quod est vtique contra id quod Christus discipulis in ascensione sua, vt in sancto Euangelio Matthæi legitur, promisit dicens: Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi. Secundum enim istos diaboli filios, pro illo tempore vera Christi promissio non fuisset, nec aliquis illorum Pontificum, quia à Paganis fuerunt eo tempore interfecti, sancti fuerunt, nec pro sanctis honorari deberent. Hoc quoque est expresse contra illum articulum; Vnam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: quia secundum eos, nec sancta fuit pro illo tempore, nec potuit dici sancta.

Vtrum autem in omnibus Apostolis, ac in simplicibus sacerdotibus fuerit Ordinis potestas æqualis, dicimus: quod quantum ad Ordinis dignitatem, pares sunt: & fuerunt æquales: cum sacerdos quilibet sacerdotalem characterem recte & secundum formam Ecclesiæ ordinatus est. Potestas autem Ordinis par quoad Sacramenta altaris omnino non existit, nec extitit, simplicis & non simplicis sacerdotis, quod patet quia cum illorum potestas ligabilis & suspensibilis sit, illi quæ ligari & suspendi nequit, nequaquam par potest dici. Constat autem quod Papa ligare potest aliorum sacerdotum, & suspendere potestatem, sic quod licite vti dicta potestate non potuerit, licet effectus subsequantur, si vsi fuerint, & ipsi sint ex hoc merito puniendi. Nullus autem aliorum sacerdotum, potestatem Papæ, ligare vel suspendere potest. Quod etiam de alijs superioribus & inferioribus patet. Ex quo sequitur euidenter, quod potestas Ordinis superiorum & inferiorum sacerdotum omnino par iudicari non potest. Concedimus tamen, quod si sine prohibitione aliqui minores vsi fuerint huiusmodi Ordinis potestate, puta hostiam consecrando, par sequitur effectus. Æque enim prolatis illis verbis, hoc est corpus meum, &c. à simplici sacerdote transubstantiatio panis & corporis Christi fit. sicut si aliquis superiorum protulisset. quod ex eo contingere noscitur, quod vnus & idem sacerdos inte-

Ecclesia habet potestatem coactiuam.

CIII.

interior, videlicet Christus, qui prolatis verbis prædictis à sacerdote quolibet animo consecrandi, transubstantiationem huiusmodi facit. Et ideo non est mirum, si par effectus sequi debeat, verbis prædictis à quocumque sacerdote prolatis, cum vnus & idem auctor huiusmodi esse noscatur effectus.

Quinto adhuc isti blasphemi dicunt; quod tota Eccl. simul iuncta, nullum hominem punire potest punitione coactiua, nisi concedat hoc Imperator quod vtiq; doctrinæ Euangelicæ noscitur obuiare. Constat enim, quod à Christo, Petro, & in persona Petri Ecclesiæ potestas coactiua concessa, vel saltem permissa extit: quæ quidem permissio fuit postea adimpleta, cum sibi Christus dixit. Quodcunque ligaueris super terram, &c. ligantur enim non solum voluntarij sed inuiti. Adhuc constat, sicut ibi legitur in Matthæo, quod si aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Ecclesiæ noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem à Christo sibi concessam, ipsum ab hoc per excommunicationis sententiam compellere potest, quæ quidem potestas vtique coactiua est. Circa quod est aduertendum, quod cum excommunicatio maior nedum excommunicatum a perceptione sacramentorum remouet, sed etiam à communione fidelium ipsum excommunicatum excludat, per quod corporalis à Christo coactio Ecclesiæ est permissa. Quia secundum leges Imperiales, grauius reputatur inter homines conuersari, ipsorumque priuari suffragijs, quam ab hominibus separari. Ex quo sequitur potestatem coactiuam, non ab Imperat. terreno, sed ab ipso Christo fuisse originaliter Ecclesiam cōsecutam.

Præterea B. Petrus post ascensionem Domini, in personam Ananiæ, & Saphiræ vxoris suæ, sine imperiali concessione aliqua, hac vsus est potestate. In quos, quia de pretio agri Deo abbatiam fundauerant, mortis sententiam promulgauit. quæ quidem sententia non processit de coniugum voluntate. Item Beatus Paulus Elimam Magum, Sergium Paulum à fide quærentem abducere, ad tempus luce corporali priuauit. Illum quoque fornicatorem Corinthium, in carnis interitum tradidit Sathanæ, vt eius spiritus saluus esset. Item ad Corinthum scribens idem Apostolus dixit; quid vultis, in virga ad vos veniam, an in charitate, & spiritu mansuetudinis. in quo satis expresse coactiuam potestatem suppoſuit se habere. Item scribens eisdem alibi dixit: Arma, inquit, militiæ nostræ, non carnalia pro Deo, id est, à Deo concessa, ad destructionem munitionum, consilia destruens, & omnem multitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. Et sequitur. In promptu habentes vlcisci omnem malitiam. Ex quibus patet, Paulum non ab Imperatore, sed à Deo habuisse potestatem etiam coactiuam, quamuis dicti blasphemi præsumunt dicere supradicta. Rursum aduertant isti nequam homines, quomodo audent dicere, quod ab Imperatore terreno Ecclesiarum prælati coactiuam, vel aliam receperunt originaliter potestatem. Cum, vt supradictum est, Imperatores vsq; ad Constantinum Magnum fere omnes pagani fuerunt, idolatræ, & persecutores, imò exterminatores, quãtum fuit in eis, Ecclesiæ sanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactiuã vel aliã potestatẽ concederent, nullus sapiẽs credere debet.

Et quia tantorum actores, & doctores errorum, ne plures in ipsorum errorum pertrahãtur pertinaciam, ipsiq; propter impunitam audaciã fierent nequiores, licet nos cum eorum excessus forent notorij, quod nulla poterant tergiuersatione celari, tunc potuimus procedere ad sententiam contra eos; de benignitate tamen Apostolica, quæ conuersionem desiderat peruersorum, nos ipsos Marsilium & Ioannem, & quemlibet eorum, de Fratrum eorumdem consilio, Quinto Idus Aprilis proxime præteriti, die videlicet cœnæ, per edictum citauimus publicum, præsente fidelium multitudine copiosa, vt infra quatuor mensium tunc proxime subsequentium spatium, quod eis & eorum cuilibet de eorundem Fratrum consilio pro peremptorio termino præfiximus, & assignauimus, vt Apostolico conspectui se personaliter præsentarent, super prædictis excessibus & delictis, vt præfertur, notorijs, iustam Deo dante sententiam audituri, ac responsuri & facturi quod iustitia suaderet: eisdem apertius prædicentes, quod siue infra prædictum terminum comparerent, coram nobis, siue non comparerent; Nos ad prædicta absque comminatione, vel citatione contra eos procederemus, prout videremus expediens, eorum absentia non obstante. Volentes tunc nihilominus, ac etiam decernentes citationem prædictam etiamsi termini supradicti præfixio in tempore cadat forsan feriato, perinde valere, suumque effectum sortiri debere, ac si tempus feriatum non extiterit, vel existeret, qua-

quacunque Constitutione super hoc in contrarium edita non obstante. Et vt ad ipsorum, & horum quos tangebant notitiam communem deducerentur, prædictas chartas siue membranas processum continentes eundem in maioris Ecclesiæ Auinionen. appendi vel affigi ostijs fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicarent; vt ipsi & alij, quos processus ipse tangebat, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos non peruenisset, vel ignorassent eumdem, cum non est verisimile, quod ad ipsos remaneret incognitum vel occultum, quod publicatur omnibus tam patenter. Volumus etiam, de auctoritate Apostolica decernentes, quod idem processus, prædictos citatos apprehenderet & arctaret: quia ad eos, moram trahentes cum dicto Ludouico, tutus non patebat accessus, ac si eis insinuatus personaliter, & publicatus solemniter extitisset. Constitutione quacumque per Romanos Pontifices, prædictis in contrarium edita non obstante.

Cum autem prædicti Marsilius, & Ioannes citati vt prædicitur, nec aliquis eorum in præfixo sibi termino comparere non curauerint, nec aliquis pro eisdem comparuerit: Nos ipsos, & eorum quemlibet, de Frat. prædictorum consilio, reputauimus & decreuimus merito contumaces. Et licet tunc eorum contumacia exigente, potuissemus procedere, cum eorum etiam excessus vt præfertur adeo notorij, quod non poterant aliqua tergiuersatione cælari, ad sententiam, & alias contra ipsos procedere, & quemlibet eorumdem, de benignitate tamen, auctoritate Apostolica, quæ conuersionem peccatorum desiderat, ipsos decremus vsque ad nostrum beneplacitum expectandos. Quocirca contra ipsos procedere, vsque ad diem præsentem, de eorundem Fratrum consilio duximus differendum.

Sane considerantes attente, quod præmissi Marsilius, & Ioannes, ad redeundum ad sinum Ecclesiæ se non præparant, sed potius secundum sui errorem pertrahantur; nec non ad memoriam reducentes, quod dudum, cum hostes humani generis ad impugnandum sinceritatem fidei hæreticorum fallaciam subinducerent fraudulentam, sancti presbyteri prædecessores nostri eorum praua dogmata cum suis auctoribus condemnauerunt, sicut patet de Arrio, & Manichæo, Nestorio, & Dioscoro, eiusque complicibus, & pluribus alijs, quos cum suis hæresibus iustissima sententia condemnarunt. Ac volentes eorundem Patrum vestigijs inhærere, & insuper attendentes, quod probabiliter in præmissis mora plurimum periculum, damnum, dissimulatio forent proculdubio allaturæ, non intendentes eos vlterius expectare, sed reputantes ac decernentes potius contumaces, ad laudem & gloriam sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, consolationem fidelium, & fidei Catholicæ firmamentum, de Fratrum nostrorum consilio, Dei nomine inuocato, articulos prædictos, videlicet, quod id quod de Christo legitur in Euangelio Beati Matthæi, quod ipse soluit tributum Cæsari, quando staterам sumptam ex ore piscis, qui petebant didragma iussit dari, hoc fecit non condensiue & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. Idem quod Beatus Petrus Apostolus non fuit plus caput Ecclesiæ, quam quilibet aliorum Apostolorum: nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alij Apostoli. Et quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem fecit Vicarium suum. Rursus, quod ad Imperatorem spectat corrigere Papam, & punire, ac instituere, & destituere. Adhuc quod omnes sacerdotes, siue sit Papa, siue Archiepiscopus, siue sacerdos simplex quicunque sunt æqualis auctoritatis & iurisdictionis ex institutione Christi.

Sed quod vnus habet plus alio, hoc est secundum quod Imperator concessit plus vel minus: & sicut concessit, reuocare potest.

Vltimo, quia Papa, vel tota Ecclesia, simul sumpta, nullum hominem quantumcumque delinquentem potest punire punitione coactiua, nisi Imperator daret eis auctoritatem: velut sacræ scripturæ contrarios, & Fidei Catholicæ inimicos, hæreticos seu hæreticales, & erroneos.

Nec non, & prædictos Marsilium, & Ioannem hæreticos, imò hæresiaschas fore manifestos, & notorios finaliter declaramus, articulos, & libros prædictos, necnon & quamcumque aliam scripturam continentem eosdem. Prædictosque Marsilium, & Ioannem vt hæreticos manifestos, & notorios, imò etiam heresiarchas potius reprobamus, & finaliter condemnamus. Siquis enim doctrinam prædictam defendere vel approbare præsumperit, cuiuscumque sit dignitatis, Ordinis, conditionis aut status tamquam hæreticus ab omnibus computatur. Præterea vniuersis, & singulis Christi fidelibus districtius inhi-

an.1327 *inhibemus, ne dictos Marsilium, & Ioannem hæreticos, & de hæresi vt præmittitur finaliter condemnatos, aut alterum eorum receptare, defendere, fouere, aut eis quomodolibet adhærere, seu præstare per se vel per alium seu alios, publice vel occulte, directè vel indirectè auxilium, consilium, vel fauorem, præsumant, sed eos euitent potius vt hæreticos manifestos; ipsosque capiendos fidelibus exponimus, zeloque prosequantur fidei, & capiant vbicumque eos reperire potuerint, ac Ecclesiæ captos assignent & restituant, animaduersione debita puniendos.*

Nos aduersus quoscumque dictorum hæreticorum receptatores, defensores, fautores, credentes, adhærentes aut eis præstantes quomodolibet auxilium, consilium vel fauorem processuros, prout rationis fuerit, & expedire videbimus apertius prædicentes. Vt autem sententia & processus huiusmodi, ad Marsilij & Ioannis, & aliorum omnium quorum interest communem notitiam deducatur, chartas siue membranas sententiam, & processum continentes eosdem, in maioris Ecclesiæ Auinionens. appendi & affigi ostijs, seu superliminaribus faciemus, ipsosque processus suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt. Itaquod ipsi & alij quos contingere dignoscitur, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non peruenerint, vel ignorauerint eosdem; cum non sit verisimile, quod ad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuit publicatum. Dat. Auinioni x. Cal. Nouemb. Pontificatus nostri anno XII.

CIV. Nihil tamen motus *Ludouicus*, quippe in ludos triumphales, & perpetuam hilaritatem esset effusus, quibus apparandis vt *Castrucius* nullis sumptibus, pepercit *Ludouicus* vicissim in eo ornando, nullum finem fecit. Vicarij Imperij titulum Francofurti ante triennium collatum, augustiore Ducis appellatione permutauit, & veteribus *Intermellæ* gentis (vnde *Castrucio* origo) insignibus abolitis, gentile Scutum Rhombis exornauit Bauaricis. Demum iter Romanum xviii. Cal. Ian. profectus cum tribus equitum millibus (præmissi fuerant 600. equites, duo millia

Castrucius Dux creatur.

Roman ingreditur Ludouicus.

peditum, vt hospitia metarentur oportuna) an. 1328 vii. Id. Ian. Romam ingreditur, quæ læta eum accepit, nihil morata Pontificis execrationes, quas Cardinalis *Vrsinus* Hetruriæ legatus vbique vulgandas curarat. Legatus *Ioann.* Cardinalis, *Stephanus Columna, Neapoleo Vrsinus*, Guelpharum partium Duces nonnihil vrbem turbauerant; sed turbas *Sarra Columnius, Iacobus Sabellus, & Theobaldus Sant-Eustachianus* Romanæ vrbis Principes, exactis æmulis, fidelem Romanum seruarunt populum. Cæsar quatriduum in Vaticano moratus, ad D. Mariæ Maioris palatium successit. In Capitolium ascendenti Senatus populusque Rom. præsto fuit, & Elleranum Episcopum apostatam ex Augustana familia pro *Ludouico* verba facientem pronis auribus audiuit. Indè effusus in vota ter salutauit, & Senatorem, Ducemque cum imperio annuo (quæ dignitatum nomina neque prisci Reges fastidierant) plausit. Popularis lætitia principi, clero persuadere haud potuit, vt sacra Bauaro præsente peragerent. Vi compellere mandauit Bauarus *Sarræ Columnio*, sed frustra sacerdotes tentauit, vt sacramenta darent, vel sacra celebrarent. Quin etiam Sanctas diuorum reliquias, & imaginem Saluatoris non manu factam, cui nomen *Vultus Sanctus*, seu *Veronicæ*: occultarunt. Soli hæretici, schismatici, Deo, & Pontifici inuisi sacrilega manu mysteria temerabant. Pompam regiam duxerè vrbis signiferi sublimes in equis ostro instratis. Viæ à D. Mariæ Maioris ad Vaticanam Basilicam perpetuo aulæorum textu exornatæ. Inaugurandi Cæsaris partes *Sarræ Columnio, Buccio Processo, Vrsino Vrsino, & Petro Montenigro* datæ, qui auro fulgentes cum Præfecto Vrbis, & quinquaginta duobus Rom. libertatis custodibus, longè inter proceres eminebant. Et quia Comitis Palatij Lateranensis præsentia inaugurationi necessaria antiquis legibus, moribusque haberetur, Cæsar *Castrucium* ea dignitate auxit, cum baltheo manu sua præcinctum aurea prius bulla donasset; vt ex sequenti.

CV. Romanorum tumultus.

Sarra Columna effigiem vide supra n. 39.

CVI. Romanus Clerus Ludouico non plaudit.

CVII. Castrucius fit Comes Palatij Lateran.

DE OFFICIO COMITIS PALATII LATERAN. ROMANI.

LVDOVICVS *Dei gratia Roman. Imper. semper Augustus, illustri Castrucio Duci Lucano, Sacri Lateranensis palatij Comiti, & Romani Imperij Vexillifero, suo & Imperij fideli dilecto, gratiam suam, & omne bonum.*

1 *Dignum est & Maiestati Imperiali proprium, vt, sicut quotidie fidelium augetur substantia et deuotio, ita eis Imperiale culmen augeat dignitatis priuilegia & honores. Sanè experientia docente nouit Imperialis Maiestas maximam fidem, deuotionem & constantiam tuam, & ante post à nobis collatos honores, vltra cæteros fideles Impij de bono in melius quotidie profecisse. Vt igitur præmissorum contemplatione ad ampliores dignitatum apices per Imperiale culmen tua deuotio attollatur, de consilio & assensu procerum nostræ Imperialis Aulæ, tibi & successoribus tuis ex te natis, & nascituris, per lineam masculinam in perpetuum, Comitatum sacri Lateranensis Palatij (quem ad fiscum nostrum, et sacrum Romanum Imperium iustis & legitimis causis deuolutum & applicatum pronunciamus & declaramus, & ad omnem dubietatem tollendam deuoluimus, & applicamus) damus, concedimus, & donamus, & ex certa scientia, & plenitudine potestatis; & te & prædictos successores tuos in perpetuum eligimus, constituimus, præficimus & creamus Comitem, & Comites ipsius sacri Palatij Lateranensis, vosque de Comitatu prædicto inuestimus, & infeudamus, tanquam veros fideles Imperij & vasallos: dantes et concedentes, & tribuentes tibi & eis, omnes & singulos honores, & omnia & singula priuilegia, & emolumenta, quos & quæ Comites prædicti sacri Palatij habent & habuerunt quoquo tempore, de consuetudine vel de iure.*

2 *Declarantes & nunc per hoc nostræ serenitatis indultum, tibi et prædictis successoribus tuis, ex prædicta Comitatus dignitate competere ius assistendi perpetuò benedictioni, sacræ vnctioni, & coronationi successorum nostrorum Principum Romanorum, & omnibus & singulis ipsius coronationis solennitatibus: & præcipuè sociandi & deducēdi ipsos Romanos Principes, tempore coronationis fiendæ de eis, ad sacram vnctionem de ipsis faciendam, & eosdem Romanos Imperatores successores nostros tenendi & iuuandi in ipsa sacra vnctione & actu ipsius, & eadem vnctione perfecta, eos reducendi & sociandi ad altare, et thalamum, prout & quoties principes expediunt redire.*

3 *Item ius leuandi, & tenendi Imperiale diadema, de nostro & successorum nostrorum Romanorum Principum capite, tempore quo Imperialis coronationis solennia celebrantur, et etiam quocunque alio tempore, quoties publicè ipsum diadema expedierit eleuare de capite nostro, & successorum nostrorum Romanorum Principum reponi.*

4 *Quæ omnia & singula supra scripta valere & tenere volumus, & iubemus ex certa scientia, de plenitudine potestatis, iure aliquo non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram paginam in aliquo violare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis verò hoc attentare præsumpserit, grauem indignationem nostram se nouerit incurrisse. In cuius rei testimonium præsentes conscribi, & sigilli Maiestatis nostræ robore, cum annotatione testium subscriptorum iussimus communiri:*

Rudolphi Ducis Bauariæ Principis, & patrui nostri Carissimi.
Henrici Ducis Brunsuicensis,
Ludouici Ducis de Teck,
Hermāni de Linthelberg Cancellarii nostri,
Alberti dicti Symiel de Linthelberg Mareschalli nostri,
Meinhardi Comitis de Hortenburg,
Othonis Comitis de Corlamende,
Ioannis Comitis de Claramonte,
Conradi Comitis de Truchendingen,
Conradi de Zolufelberg:
nec non nobilium Virorum Iacobi de Columna, Sciaræ & Iacobi de Sabellis Senatorum Vrbis.

Datum Romæ, 14. die mensis Martij, Indictione 11. Anno Domini 1328. Regni nostri Anno XIV. Imperij verò primo.

Hisce peractis, *Iacobus* Venetus Episcopus, Nepos Cardinalis *Pratensis*, adiutus ab Episcopo Ellerano, *Ludouicum* cum Regina coniuge consuetis aliàs ritibus inaugurauit: *Sarra Columnius* vtrique diadema imposuit; quorum benemeritus, insigni *Coronatæ Columnæ* nobilitatus fuit. Vnde post hoc infandum facinus omnes *Columnij*, columnam diademate regio superimposito eminentem in vmbonibus, & in scutis præferrent. Præsumptionis inauditæ cum hoc dicant testimonium *Bzouius*, & alij; Columnenses auidam spem pristinæ declamant libertatis. Sic itaque à pseudo episcopis, & prophanis Bauarus inauguratus, ternas confestim leges tulit, quibus religionis integritati, sacri ordinis honori, viduarum, & pupillorum saluti consultum velle protestabatur. Patratis sacris, epulum præbuit in *Ara Cœli*, pernoctauit in Capitolio. Postridie CVIII. *Columnensium insigne.*

in

an. 1328 in vrbe moderanda vices suas *Castrucio* tradidit. Iste porrò tumidus cum beneficia meritis suis imparia duceret, & quidquam negari sibi nefas crederet; indignissimè tulit, quod sibi pro libertate Vicecomitum supplicanti Cæsar non annuisset. Quamobrem cum vbi primùm à Florentinis captum esse Pistorium agnouit, à Cæsare discessit. *Ludouicus* ex abitu de offensa coniectans, hoc quoque dedit irato, vt Vicecomitibus se
CIX. *Galeacius liberatur.* gratum redderet. *Galeacius* 8. Cal. April. solutus vinculis, ad *Castrucium* in castra contendit, & libertatis suæ auctori vltimos vitæ periodos impendit, nam eo anno æstu sublatus est.
obit. Interim ad populandos Vrbeuetanorum agros immissis copijs, actum erat de vrbe, nisi propiùs *Ludouici* periculum reuocasset cohortes. Ob cibariorum pretia, Germani milites & institores rixantes, ad arma ciues euocarant, & militem. *Ludouicus* nè latiùs vagaretur popularis furor, suos manipulatim tendentes, sparsosque per contubernia, ad castellum S. Angeli iussit castra metari; reuocatis etiam missarijs cohortibus, quæ sibi auxilio forent, tumultuantibus terrori. Sic paucorum pœna, timor omnes
CX. incessit. *Gattus Viterbiensis.* Eodem tempore insimulatus *Syluester Gattus* Viterbiensis Regulus, quòd Regi *Roberto* vrbem prodere voluisset; & expilata Republica opes cumulasset, vnà cum filio in quæstionem abripitur. Pecunia facilè est extorta, & triginta aureorum millia, quæ in ædibus PP. Franciscanorum asseruabat, sublata. Non desunt qui *Gatto* opes dicant, exitio fuisse; & quod *Ludouicus* occasionem quæreret diuites depilandi.
CXI. *Richardus Vrsinus* Romanæ vrbis cancellarius paria sibi imminere suspicatus, maritimo *Seueri* oppido præsidiarios *Roberti* Regis imposuerat, vt agrum Romanum populantibus, arx illa securitatem præberet. Facti indignitate commoti Romani dirutis illius ædibus, vnà & turrim solo æquarunt. an. 1328 Sed cito pœnitentia ducti Bauarum fastidire, probris incessere cœperunt, quum triginta aureorum millia, ad sumptus militiæ tolerandos exegit. Cum enim congiarium expectaret, iniquum visum est, sibi tributum indici. CXII. *Tributũ Romanis imponit Cæsar.* Hanc contumaciam vt frenaret Cæsar, Aprili mense legem in perfidos, tumultuantes, agentes, consentientes, non reuelantes promulgauit; & quia populum futurum credebat, *Ioanne* Pontifice instigante, aduersùs eum vltima tentare decreuit.

CXIII. Augustalibus itaque exornatus insignibus, super gradus Vaticanæ Basilicæ, in throno superius eleuato resplendens, imposito silenrio omnibus Fratri *Nicolao Fabrianensi* Ordinem D. Augustini Eremitarum professo, trina vociferatione inquirere, & percontari iussit; Num aliquis, in tanto numero esset, qui *Iacobum Cadurcensem* (ita væsanus Christi appellabat Vicarium) Summi Pontificatus vsurpatorem defendere vellet? Nullo vnquàm respondente: *Damnat Ludouicus Ioannem Papam.* Abbas quidam ex Germanis, omnibus cæteris procacior, propositis illis sacræ scripturæ verbis, *Hæc est dies boni nuncij* ctius à *Ludouici* laudibus, *suscepti ab eo rationes itineris explicauit: venisse videlicet, vt Romanæ Vrbi decora sua restitueret, populum in libertatem, Ecclesiam in sanctitatem reuocaret. Plurima post ea in Pontificem Sanctum, & Venerabilem dicteria euomuit: denique conclusit, nihil ab Imperatore posse vtilius præstari, in cuius sinum Respublica confugerat, quàm si alius terrarum Orbi Pater Pontifexque diceretur.* Recitatis improbi consilij caussis, lata atrox in *Ioannem* Pontificem sententia, quam sine trepidatione legere ipsi non sustinent inferi.

LVDOVICI BAVARI SENTENTIA IN IOANN. XXII. PONTIF.

Imperator Ludouicus IV. Cæsar Augustus, gentis humanæ, orbis Christiani custos, à Deo electus, germanis & veris Christianis salutem. Cuius parandæ atque constituendæ gratia, relictis focis, aris, patria, genitali solo, pignoribus nondum adultis, in Italiam transiui, ad caput mundi Romam, sacrosancti Imperij domicilium, sedem nostram, pacificè summa omnium quiete atque fauore veni, ibique more maiorum, veteri instituto consecrati Imperatoris *pronomen*, Cæsaris Augusti *cognomen ritè suscepimus, atque vrbi & orbi Dei ope & armis, nostra potentia, victrici & insuperabili dextra præsidemus, excisuri nostro iure diuinæ Maiestati resistentes, pacis Christianæ violatores ense, quem ob id à supremo Imperatore acceptum gestamus. Huiusmodi autem tumultus atque turbæ discordiarum, perniciosissimaque mala inter Christianos, à malignis Pontificatus Maximi occupatoribus, alioqui*

fame

fame & media morituris, firi & excitari solent. Dum alienis inhiant, alia vsurpant, falcem proteruam in messem non suam temere porrigunt, & quod ab altero postulant, in se recusant. Equidem hactenus, vt iusticia atq; æquitate superarem, conniui. Et quemadmodum pientissimum Dauida (cum filius eius Adonias regnum ambiret, aduersus Solomonem sapientissimum fratrem suum à Deo electum conspiraret) factitasse legimus, scelera patienter tulimus atque dissimulauimus. Verùm ne tenuis & infirmi animi, ignoscendo malis, bonos omnes perditum eamus, lethalem ambitum, crimina perditissimorum (qui requiescere, donec animi libidinem expleant, non solent) ad viuum ferro, amore Reipublicæ, cuius cura nobis à cælesti numine tradita est, resecabimus: lupo pellem ouinam iure nostro detrahemus, & vt paucis, missis ambagibus, rem aperiam, aures arrigite, fauete, omnium res agitur.

2 *Vniuersi, vulgus sine authoritate, sine gratia, domi atq; fores venales sumus: maiestas & authoritas religionis, libertas, Imperiumq; populi Christiani, leges, diuina, humana, prodita sunt hosti acerrimo. Quietes in seditionibus, in pace turbæ sunt. Homines sceleratissimi, cruentis manibus immani auaritia nocentissimi, & ijdem superbissimi: itidem luxu effœminati, atque ambitione perditi, quibus fides, decus, pietas, postremò vitia, virtutes, honesta atque inhonesta omnia, quæstui sunt, arcem Reipublicæ Christianæ occupant, tumultum ex tumultu, bellum ex bello ferunt. Caput factionis* Iacobus *ille* de Baburco, *qui se Papam nominat, ingentem vim pecuniæ, quam vndique à Christiana plebe fraudulenter corrasit, aduersus sanctos Dei, Imperio Christiano deuotos, pugnantibus suasu Ruperti Reguli, boni publici hostis, aque Diuo HAINRICO Septimo Cæsare Augusto proscripti, expendit. Sicuti Abiathar Sacerdos, ense Cæsareo, nobis à cæli numine commisso, abutitur; temporalibus huius seculi curis contra diuinum præceptum incubat; Regno mundano inhiat; sicuti Pastor est personatus, ita mysticus est Antichristus; canis pellicula tectus, in gregem CHRISTI lupina rabie grassatur; vendit scelera; inferos, superos, beneficia cælestia cauponatur; cum Saracenis Armenios Christianos, quinque annis continenter eius opem implorantes, infestantibus fœdus societatemque init. Borussorum primarium Præsidem, diras inferiasque comminatus, cum Lituanis hostibus pietatis Christianæ acerrimis, atrocissimis latronibus, inducias facere coegit, hosti regionem prodidit, fenestram inuadendi Brandenburgenses Christianos aperuit. Lituani coniurati* Baburci, *vltro citrò impunè per fines Brandenburgensium commearunt; Christianos ferro, cæde extinxerunt; vagientes incunis, in sinu parentum crudelissimè contrucidati sunt. Templa, Cœnobia, Collegia Sacerdotum, Monachorum compilata, incensa, euersa; Virgines sanctæ per vim stupratæ; hostia sacra (quod referens horresco) hasta transfixa, insultante hoste, hoc conuicio sublata:* En hic est Deus Christianorum. *Liberi à complexu parentum, vxores maritorum ad ludibrium hostium abstractæ; captiuorum greges velut pecudum abstracti sunt. Adhuc Brandenburgensis populus vulnus acceptum luget. Atque hæc omnia scelere Vicesimi secundi acta sunt. Quin etiam classem à Franciæ Occidentalis Rege, ad opem Christianis Armeniæ incolis aduersus Saracenos ferendam, comparatam astu intercepit. Eadem in Genuensium, qui deuotissimi sunt Christiano Imperio, cæde abusus est.*

3 *Imperij Maiestatem, authoritatem Reipublicæ, temerè contra placita Christi vsurpandolabefactat, polluit. Monstrum biceps, mundanus & spiritalis esse contendit. Christus Seruator noster, cui omnis potestas in cælo atque in terra data est, tamen Imperium atq; Regnum terrarum, a populo sibi oblatum, suscipere detrectauit.* Regnum meum, *inquit*, non est in hoc mundo. *Atque satis constat inter omnes diuinæ Philosophiæ, legum, & Pontificij iuris scientissimos, penes Pontificem Romanum nequaquam esse vtramque dignitatem, sacram atque prophanam. Omnis potestas ab immortali Deo atque suprema est Maiestate; cælestè beneficium, quòd imperamus, non humanum est. Comitiali Conuentu delecti, suffragijs Principalibus comprobati, mortalis cuiuspiam astipulatione, alioue hominis authoramento nullo pacto indigemus. Sacrosanctum Romanum Imperium, cui Christus, comites eius, obtemperarunt, & vectigales fuerunt, Sacrificuli fastuosi beneficium esse pernegamus. Caput orbis terrarum à suprema cæli maiestate constituti, nulli mortalium, quatenus ad huius seculi Imperium attinet, rationem reddere debemus.*

4 *Alia illius* Iacobi *pestilentissimi pessima facinora reticeo. Sacrificulos, qui canes muti latrare*

trare non audeant, pœnarum metu, ne veritatem dicant perterritat. Crimen ambitus, sacrilegium, nouumq; aucupium, æs receptitium, & quod Auenione habitat, sæpius vocatus Romam migrare recusat, quòd omnibus bonis cordi non sit, velut leuissima, missa facio; id, quod ad nos spectat, agamus. Ius gladij diuinitùs nobis traditum ad eradicanda scelera exerceamus; obuiam ire factionis potentiæ, vtilitas Reipublicæ, amor religionis atq; pietas subigit.

5 Iacobum *igitur antea à Sacrarum litterarum Antistitibus Hæresiarchen declaratum, ex consilij decreto, more maiorum, Pontificatu submorum, atque à Christo repudiatum renunciamus. Habemus bonorum exempla, quibus nobis licere id facere, quod illi fecerunt, putamus. OTTO primus cum populo Romano, Sacerdotum eius tribus, Ioannem duodecimum ex albo Pontificum Romanorum ob scelera (quæ si ad flagitia Vicesimi Secundi comparaueris, ludus est) erasit, alium Pastorem vrbi, & orbi imposuit. Idem alios complures Imperatores, optimosque Principes fecisse, in Annales, & Fastos relatum est. Proinde* Iacobum *illum crimine veræ irreligiositatis, nota hæreseos antea à Franciscanis cæterisque Theologis inustum, contemptorem paupertatis Christianæ, Imperij Antechristiani authorem, curæ nostri, consilio, Sententia, consensu communi Principum, Pontificum, Germaniæ, Galliæ, Italiæ, efflagitantibus Sacerdotibus Populoque Romano, exauguratum, abdicatum, hæreseos condemnatum declaramus, proscribimus; acta eiusdem rescindimus; vniuersi Christiani eundem in numero impiorum atque sceleratorum habeant; ab eo omnes decedant; aditum, sermonem defugiant; velut contagionem, ne quid incommodi accipiant, deuitent. Eidem nullus honor communicetur; & ab his, quorum interest, opera detur, vt deprehensus more maiorum puniatur. Quisquis aduersus hæc fecerit, hostis Reipublicæ esto. Nos confestim cum Sacerdotum Curia populoque Romano, vrbi atque orbi pastorem, communi consilio atque veterum instituto, iuxta Sacra Historia Leges, allegemus.*

6 Hoc etiam ab Imperatore, item Sacerdotum Senatu Populoque Romano signatum est, publicatumque in celeberrimo Mystarum, Populi Romani, Regulorum, Dynastarum, Tetrarcharum, Flaminum Pontificum Maximorum, Minorum, Antistitum conuentu. Datum & factum ex ora templum augustissimum, Diuis Petro atque Paulo legatis Christi dedicatum, octauo decimo die Aprilis, in Vrbe Romana, cunctis Sacrificis, vniuerso Populo Romano in Regione pro concione publicè eius rei gratia coacto; Christianæ libertatis anno MCCCXXVIII. Inuictissimi Imperatoris Ludouici IV. Cæsaris Augusti, Principis optimis, Regni XIV. Imperij verò primo. an. 1328

Nec finis; aggressus *Ludouicus* Deum, & hominem ludere, grauiora audere impulerunt impij doctores, qui Pharisæorum more in speciem sancti in Christum Domini linguas exacuentes, Dei Vicarium gladio linguæ occiderunt; Circumuentum fuisse *Ludouicum* à consultoribus sceleratis, vt in alienam messem falcem poneret pius nemo negat. Stabilitæ religionis præmia sibi pollicebatur, quam funditus crassa subuerterat inpudentia. Eaque iniuria in *Ioannem XXII.* legitimum Ecclesiæ pastorem, Petri successorem, ac Christi sanctum vicarium pronunciasse, qua in Christum Redemptorem Pilatus, omnia prius Scribis, & Sacerdotibus plaudentibus, & cogentibus, ita *Ludouicum* pseudo doctores fabulas, canentes, ad fidei impulere tragœdiam, vt viuenti legitimo Christi Vicario, pseudo Pontificem superim poneret neque post naufragium videret se perisse. Ad XII. Itaq; diem CXIV.
Maij), quo Ascensionis Dominicæ securrit memoria, conuocato in area Vaticana vniuerso populo, medius inter Apostatas, & schismaticos, in throno eminentiore conspicuus, aureo indutus paludamento, diademate redimitus, sceptrum in manu gestans, gladio accinctus, nefas, quo nullum grauius, modo sequenti authorauit.

Frattem *Petrum* vico *Corbario* natum, gente *Aprutinum*, professione *Minoritanum*, *Antipapã creat.* qui iam vxoratus absque vllo Ecclesiæ permittentis diuortio, coniuge viuente & reclamante, contra ecclesiasticas sanctiones; Religioni S. Francisci se obstrinxerat, magna pompa adductum, è solio assurgens veneratus, aliquantulum infra se collocauit. Deinde fratrem *Nicolaum Fabricanensem Eremitanum Augustinianum* verba ad populum habere iussit. *Act. 12.* Is verbis illis abusus Apostolicis, *Nunc scio verè; quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum* Bauarum nomine Angeli dignatus

est

an. 1328 est, *Ioannem* Pontificem vocabulo Herodis; Cardinales, Patriarchas, ac reliquos Prælatos titulo plebis irrisit Iudaicæ. Concione finita, iussit denuò recitari decretum depositionis *Io: XXII.* & cum clausula illa legeretur, *ab vtriusque ordinis Oratoribus Cæsarem esse interpellatum, vt Pontificem loco moueret*, in concilio malignantium repertus est vnus *Iacobus Columnius*, qui zelum æmulatus Iosephi ab Arimathæa, coram omni populo audacter ausus est quiritari, *Ludouici* consultores falsò in tabulas retulisse, *ab vtriusque ordinis oratoribus exortum* fuisse *Ludouicum*, vt Pontificem loco moueret: satis enim constare primaria sacerdotum collegia, & ex Religiosis familijs optimum quemque, consultò vrbe abijsse, ne tantæ fœditati præsentia suum viderentur cōciliare testimonium. Fęcem reliquam, quæ in vrbe superetat, vna & schismaticos, à templo pariter, & foro submotos incapaces esse, & prohibitos omni iure diuino, & humano standi in iudicio. Id se etiam duello arbitto, si quis velit experiri se ostensurum. His publicè prolatis, & ad D. Marcelli affixa protestatione, citatis equis vrbe profugit, lentum insequentium agmen, notis viarum diuerticulis facilè frustratus. *Ludouicus* verò specie insaniæ, prudentis ac viri fortis spreto consilio, gesta prosequi iussit. Tunc Episcopus Venetus è loco eminentiore tertiùm *Quirites* appellauit: *an quem præsentem aspicerent Petrum Corbarium, Pontificem vellent?* Plebs autem prò nouitate rei consternata, cum omnia à circumstante milite, ac primaria nobilitate priùs agerentur, confusis vocibus affirmauit. Tunc profanus *Ludouicus* acclamationem illam in libellum publicum redactam, ex scripto recitari mandauit, dumque ab Episcopo Veneto recitaretur, ipse erectus stetit. Publicato proclamationis Plebiscito, *Petrum Corbariensem* nomine *Nicolai V.* salutauit, annulum digito illius ipse imposuit, mox purpuram ei proprijs manibus iniecit, & ad dexteram in solio collocatum, postea in Basilicam D. Petri introduxit. Vbi Pseudopontifex temeratis sacris munera vsurpauit Pontificia, tum Bauaro, ac populo est imprecatus erranti. Tanti sacrilegij non tantùm Romanorum, sed & Belgarum præcipuè visa est indignatio manifesta, quòd certò sciret *Ludouicum* contra Fidei

CXV. *Iacobi Columnij zelus erga Pontificem.*

an. 1327 vnitatem idolum abominationis statuisse in loco Sancto: eoque vehementiùs offendebantur, quia paupertatem & perfectionem, quam profitebatur, neque in eo nec in sectarijs aspicerent. Tertiò à profana inauguratione die, spurius Pontifex, ne incomitatus prodiret, nonnullos creauit Cardinales. Inter quos *Iacobus Pratensis* Episcopus Venetus, Abbas S. Ambrosij Mediol. Abbas Germanus, Nicolaus Fabrian. *Ioannes* etiam *Galeacij* frater numeratus Canonicus Mediol. qui eo ordine non contentus, maius aliud frustra appetiuerat. Verùm, quia nondùm assequi recta via ordinem eum potuetat, qua posset, assequi statuit. Iam Bauaro reconciliatus, tenuit eius commendatione, vt Cardinalis fieret à pseudo Pontifice, pretio soluto tot millium florenorum, quot paulò ante reditum in patriam ipse, fratresque emerant. Ipsi autem Bauaro rei pecuniariæ difficultate laboranti datam volunt pecuniam. Additur huic *Ioanni* summa per Insubriam potestas, Legatusque Pontificis appellatus, clero tamen minimè plaudente, neque obuiam eunte cum Mediolano appropinquaret, quia vt auctorem ita & sequacem profanum putarent.

CXVI. *Ioannes frater Galeacij pseudo Card. ex Rippamō tio. decad. 3. lib. 2.*

Tanto scelere perpetrato, Tibur secessit *Ludouicus*, vt suæ inaugurationis pompam solemnem instauraret, & de manu Pontificis insignia acciperet. In peruigilio solemnitatis Pentecostes, Romam reuersus, apud S. Laurentium in agro Verrano diuertit. Die sequenti vsque ad Lateranam Basilicam Antipapa sacerdotalibus indutus vestibus, obuiam procedens, ad D. Petri deduxit. Vbi *Ludouicus* primùm purpureum pileum Antipapæ imposuit; Is verò aureo diademate *Ludouici* caput insigniuit, & Imperatorem renunciauit. Paulò post vrbis præfectura *Reinerio Fagiolano* commendata, Velitras concessit, elapsis iam per noxias curas occasionibus rei fortiter gerendæ, prouocataque Numinis ira. Fames cum afflixisset exercitum, efferatum militem in amicos primùm, inde in socios accenderat. Belgæ à superioribus Germanis desciverant; Stabant signa signis, & pila minantia pilis. Euocatus *Ludouicus* cum superueniret, Maiestas fuerit vel necessitas, tumultum corripuit. Nam infra dignitatem se demittens, blandicijs potiùs, quàm terrore arma excussit furenti-

CXVII. *Ludouicus ab Antipapa coronatur.*

CXVIII. *Fames in exercitu Ludouici*

an.1328 rentibus. Et nè malum inter vicinos recrudesceret, opportuno consuluit diuortio militem subducendo, & diuidendo. Vrgebat etiam rei pecuniariæ egestas, sine qua arma in Apuliam aduersus *Robertum*, vt cogitabat
CXIX. *Fugit ab Vrbe.* ducere non poterat. Rex Siculus spondebat auxilia, vt & reliqui fœderati, sed pecuniam seruabant, verba erogabant. Iam non erat, cur se Romanis manibus, vel manibus crederet. Hinc pridie Non. Aug. inter improba populi vota, & volantia saxa Viterbium adijt. Quid aliud sperare poterat, qui Romam venerat, vt in templo idolum erigeret impietatis? Grassatores etiam fuere nocturni, qui more castrensi, data tessera vicos obirent, vt omnes Gibellinos iugularent, vel in Tybetim iactarent. Desertam vrbē *Bertholdus Vrsinus, et Stephanus Colūnius* mox occuparūt, quibus cum etiā *Neapoleo* Cardinalis se iunxisset, nihil ad infamandam *Ludouici* memoriam omiserunt, eius etiam abraso
CXX. *Vrbē veterem occupare tētat.* nomine, vbicumque inuenirent. Bauarus ne otiosus Viterbij desideret, in agrum Vrbeuetanum excurrit, & ciuibus nonnullis pecunia corruptis oppidum ingressus fuisset, ni tempestiuè fuisset detecta proditio. *Ludouicus* ea spe falsus, Tudertum abijt: & altera copiarum parte Oetingensi Comiti, altera Magistro Equitum attributa, Guel-
CXXI. phorum opes, agro vastato, attriuit. Constituerat etiam Florentinos *Roberti* Regis socios euertere, sed mora *Petri* Regis Siculi cum classe Cornetum aduentantis consilium discussit. Bauarus obuiam profectus, dum querelis cunctatorem obtudit inutilibus, feria perdit. Tantis incomodis Castrucianа accessit defectio. Eiecto Oetingensi Co-
CXXII. *Castrucij mors.* mite Pisanos in sua verba *Castrucius* adegerat, vel eum auro corruperat. Florentinis associatus, iam *Ludouico* metuendus erat, nisi fato præoccupatus fuisset. Pistorium in suam redegerat potestatem, sed exustus æstu, victor victoriam non vidit. Vltimis mandatis supprimi famam mortis suæ, imò & luctum voluit, donec Pisanum *Henricus*
Pisas recuperat Ludou. filius stabilisset imperium. Morienti omnia ex voto successere. Iratus Cæsar, Pisas properat, omnia post habuit, vt vrbem no-
CXXIII. bilissimam recuperaret. Eo dum properat,
Marsilius Patauinus obit. *Marsilius Patauinus* scelerum incentor, furijs correptus infernalibus, apud *Montem Altum*, in itinere, medio Septembri, in peruicaci obstinatione, infamem spiritum in an.1328 tartara euomuit. Eius scripta impietatem spirantia fuge lector.

XV. Septemb. castra *Ludouico* ad Grassetam tenente, eò etiam *Petrus Siculus*, occupato Telamonis portu, accessit. Virtute tamen ciuitatem ciues seruarunt. Fama aduenientis cum exercitu *Ludouici* Henricum *Castrucij* filium expulerat, vndè in morem triumphantis vrbem ingressus Bauarus, *Tarlatino Tarlato* vrbem moderandam commisit. Munus mundi muliebris *Ludouico* tempestiuè exhibitum vitam seruauit *Pina* Castrucij viduæ, ac liberis: vnde in suam tutelam receptos Lucensibus conciliauit. Interim Belgarum denuò seditione gliscente, octingenti equites occupandæ spem ciuitatis Lucensis conceperant, nec frustra si arcanum sanctè seruassent. Admoniti ciues clauserant portas; propterea facta est in agros irruptio. Cum sibi receptum, & seruandis prædis spoliarium quærerent, locus à *Castrucio* olim munitus in Cæruleo monte placuit. Ibi rapto viuentes, operam suam Florentinis venditarunt, à quibus spreti iterum ad *Ludouicum* facilè se contulerunt, cum timeret, ne virorum fortium defectione vires augerentur hostiles. Otium agere cū videtetur, Florentinis parabat insidias, quos ope *Vgolini* subiugasset, ni prò eis Deus vigilasset. Proditione namque detecta, perduelles meritis sunt mactati supplicijs. Pecunia porrò deficiente, Burgrauium *Ludouicus* misit ad exigendum aurum ab *Azone* *Galeacij* filio promissum prò gratitudine restituti Principatus. Verùm Burggrauius ex prima pensione, viginti quinque aureorum millibus collectis, in Germaniam maximo *Ludouici* secessit incomodo, cui Cœlum videbatur inimicum. Spurius enim Pontifex cum anathema Pontifici, à quo percussus fuerat, rependere vellet, diem XII. ante Cal. Martius delegerat. Iam diri carminis recitandi Pisis fiebat initium; cum venti in aere excitati, ruptæque nubes, mixtam grandine pluuiam tanta violentia effuderunt, vt territi Pisani, Cœlos monere interpretarentur, vt à sacrilego Antipapa discederent, nè in se Dei iram conuerterent. Propterea domibus inclusi, nec violentia Mareschalli, mandante *Ludouico* per vicos furentis, extrahi potuerunt, vt insanienti assiste-

Right-column margin notes: CXXIV. *Castrucios in tutelam recipit.* — CXXV. *Belgarū noua seditio.* — an.1329 — CXXVI. — *Cœlum Antipapæ irascitur.*

An. 1329 sisterent Antipapæ. Mareschallus verò per
compita obequitans, ex intemperie ae-
ris frigore immoderato obrigescens, sub no-
ctem in balneum fouendo corpori ingres-
sus, fortuito correptus incendio perijt solus,
cæteris saluis; talibus forsam indicijs Deus
vecordes ad veritatem reuocabat.

CXXVII. Noua interim apud Lucenses seditio de-
tonuit. Cum *Castrucijs* digladiabantur *Po-
ginghi* (pro euertenda iactantes tyrannide)
sed ijsdem artibus licet minori inuidia, pari
Reipublicæ damno. Simultati Bauarus ar-
biter intercessit, ferocioribus actis in exi-
lium patriam seruauit. *Francisco* autem
Castracano summâ Lucensis imperij viginti
duobus aureorum millibus vendidit. Non
CXXVIII. minor Pistorium tumultus vexauerat; Ca-
struciani pari cum ciuibus iure viuere ne-
scientes, plebe plaudente, fasces arripuerant,
Gibellinis contradicentibus. Concurritur
strenuè donec à *Ludouici* vicario validæ sub-
missæ cohortes, fugantur reguli. Rebus
compositis, Modoetiæ præfecturam Baua-
rus *Ludouico Techensi* concessit; sed *Azone*
Mediolan. Vicecomite perfide instigante,
Senatores Modoetiæ *Ludouico* iuramentum
renouare recusant. Non latuit *Ludouicum*
Azo rebellis. Azonis consilium, placuit tamen nouum
capere experimentum. *Marcariam* agri,
Mantuani oppidum profectus, *Canem Sca-
ligerum* Verona, *Franciscum Ruscam* Co-
mo, cæterosque suæ factionis Principes euo-
cat, & Christi patientis serijs adhibet in col-
CXXIX. *Ludou. in Mediol. mouet.* loquium. In eo aduersus Mediolanenses
bellum decretum. Modoetiam profectus,
ex horruit illico non ob clausas tantummo-
dò portas, sed etiam quia intumescente re-
pentè *Lambro* flumine, ob immodicos im-
bres, & extra ripas difluente, nullo modo
succedere potuit ad arcem. Tentatis inde
Ludouicus aliquandiù per colloquia oppi-
danis, postquàm modesti nil retulisset, tran-
sigere decreuit, si honestè posset. Ea animi
inclinatione per transfugas cognita, *Ioannes*
& Azo, tributum annuum, & præsentis pe-
cuniæ modicum quid obtulere ei, si quod
antea concessisset Vicarij munus, & potesta-
tem nouo firmare diplomate, & abire vel-
let: extatque diploma amplum, & magni-
CXXX. *Vicecomites Papæ reconciliātur.* ficum. Cæterum ea res, quod Bauarus ab
vrbe reiectus fuisset, Ioannem Pontificem
Mediolano, & Vicecomitibus reconciliare
cæperat. Hinc initum, anathema soluendi, An. 1329
quo ad eum diem adstricta ciuitas teneba-
tur. Inchoata reconciliatione, *Ioannes* pseu-
do Cardinalis abdicauit se ea vltro falsa di-
gnitate, riteq; ac iustè nominis eiusdem ho-
norem à vero Pontifice impetrauit, & cum
ea Nouariensem Episcopatum, quem po- CXXXI.
stea permutauit cum *Aicardo* Episcopo Me-
diol. qui propter factionum certamina exu-
lare coactus, nunquàm in sua sede considere
potuerat. Permutatio hæc locum habuit.
An. 1334.

Interim cum in eo detestabili rerum sta- CXXXII.
tu religio ad studia partium accomodare- *Antipapa abiurat errores.*
tur, bifariam Ecclesia scissa, Guelsi *Ioannem*
Pontificem sequerentur; Gibellini *Nicolaum*
Antipapam, qui ab Imperatore Pisis relictus
religiosa suada indutus vt agnosceret erro-
rem suum (sunt qui dicant proditum) abso-
lutionem à *Ioanne* Pontifice petijt, Pontifi-
catum abiurauit, errores confessus, an car-
ceri mancipatus, videbimus in *historia Pon-
tificum*. Actum erat de Gibellinis, vulgata
Corbarij pœnitentia ni Legatus Pontificius, CXXXIII.
qui Bononiæ degebat, Parmenses, Mutinen- *Mutina, Parma, Regiū ad Ludou. deficiunt.*
ses, Regienses ad perfidiam prouocasset.
Cum nihil per ea tempora fide rarius esset,
& *Rolandum Rubeum* Parmæ Dominum ad
se publica fide pellectum in vinculis attine-
ret Legatus, irritati Parmenses ad Bauarum
defecerunt; quorum exemplo Mutina, Re-
gium ad Cæsarem rediere. Nutabat quoque CXXXIV.
Bononia, sed conspiratione detecta, Cæsar *Germaniam repetit.*
eam occupandi opinione deceptus, Parma,
Mutina, Regio munitis, vltimo Anni men-
se, Gibellinis comitantibus, Tridentum
abijt, vt exercitum nouo milite suppleret,
ignominia plenus quod Idolum ab eo ere-
ctum truncum coram Arca Domini lubens
cecidisset.

Moritur hoc anno *Sarra Columnius* fato CXXXV.
æquidem præmaturo, hostis iuratus Ponti-
ficum. *Canem Scaligerum* omnium tyran-
norum Italiæ magis trucem, postquàm Tar-
uisio recepto, epulum populo triumpha-
lem exhibuisset, inopina mors sustulit. IV.
Iul. *Marcus* Vice Comes impius in Papam,
& cognatos insidijs suorum interceptus in-
terijt.

Ioannes Pontifex vt erga Christianam CXXXVI.
Ecclesiam testaretur animi studium, con- *Bellum in Sarracenos.*
gregato Concilio, bellum in Sarracenos de-
creuit,

An. 1329 creuit, ad expeditionem *Philippo* Gallorum Rege consentiente, quem belli ducem declarauit. Ad belli impensas decimæ fructuum Ecclesiasticorum per totam Ecclesiam vt exigerentur *Ioannes* mandauit. Sed *Ludouico* prohibente, Germania nil contulit, asserens illud Papæ non licere, inconsulto Imperatore.

Dubium colligendi decimas.

Fundat Ludou. Monasterium Etalense.

C. XXXVII. Memorabile illud (fides sit penes historicos) refert *Andreas presbyter Ratisbonensis*. Cum *Ludouico* militum stipendia deessent, Monachum quendam, vel certè sub specie Monachi latentem Angelum, valdè sollicito spem fecisse, ex tanta rerum emersurum difficultate, si redux in Germaniam monasterium in honorem Deiparæ in *Ampherang* (Bauariæ est locus) dedicaret: attulisse simul monachum illum Virginis imaginem ex Alabastrite. Spe promissorum concepta, in Bauariam regressus, Aprili mense, magnæ molis iecit fundamenta: & subitò Cæsari inauguranti faciliora omnia, & prona fuere, affluentibus ex insperato opibus, & mortalibus etiam, post placatos superos, longè quàm ante æquioribus. Post biennium ibi geminam locauit familiam, sacram vnam, alteram religiosam. Illa viginti virorum D. Benedicti legibus adstricta; hæc tredecim torquatorum equitum, qui emeritis stipendijs, vni Deo cum conjugibus seruirent. Suisque ad vitam necessaria prouida liberalitate *Ludouicus* elargitus, impius sibi pietatis monimentum erexit.

GERMANIAM REPETIT LVDOVICVS. An. 1330.

C. XXXVIII *Friderici Pulchri mors.* ANtequàm ex Italia reuerteretur *Ludouicus*, ob perpessas in captiuitate ærumnas *Fridericus*, lento quodam morbo paulatim tabescens, superueniente dysenteria, piè extinctus est; Eius vltimum verbum *Pax* fuit. Mors eius veneni suspicione non caruit, quod nonnulli à fœmina quadam exhibitum tradunt: alij à milite medicatam potionem propinatam fuisse. Obijt in arce Gutenstain. Corpus eius Maurbachij propria fundatione à Monachis conditum. Inscriptio sepulchralis non vna legitur.

CXXXIX. *Corpore pulcher eram, sed diuitis indole mentis*
Pulchrior: imperij luxq; decusq; sacri:
Pro quo Boiorum gessi cum Principe bellum,
Laudis amor, belli causa probanda fuit.
Dicere difficile est, quid Mars meus egerit illic
Quotq; neci dederit, quoq; quibusue modis.
Ense meo fractos calcaria victor aceruos:
Proq; mea frater sumpserat arma fide.
Dumq; diu medijs dubius, Mars erat in annis
Me capto, Boius splendida sceptra tulit.
Cætera sat felix: virtute, fideq; probatus
Gaudeo regalis Cæsar honore pius.

CXL. Symbolum Friderici.

Numisma Friderici Pulchri. Fuit, *Morte beata nil beatius.*

Corpus truncum, & claudum sub lemate *adhuc stat*, vel *Hercules claudus* sub eodem lemate, quod vide pag. 80.

CXLI. Mortuo *Friderico*, Austriacarum ditionum gubernacula ad *Othonem* cognomine *hilarem*, siue *iocosum*; *& Albertum II.* siue *Contractum* germanos fratres sunt deuoluta, quorum *Otho*, instinctu *Joannis XXII.* Papæ (qui eum stipendio quinquaginta millium florenorum excitauerat) pactus præterea nullum se Germaniæ Episcopum, nisi ex voluntate *Othonis* daturum sub reditum *Ludouici* Bauari ex Italia, Columbariam valido exercitu obsederat. Ad eam liberandam cum *Ludouicus* aduolaret, obuium in itinere habuit *Ioannem* Bohemiæ Regem, qui eo tempore ad *Henricum* Carinthiæ Ducem, vti matrimonium inter filium suum *Ioannem*, & *Margaretam* illius filiam conciliaret, proficiscebatur. Is pacis sequestrem agens, *Ludouicum*, & *Austrios* ad concordiam reduxit, & Bauarus *Othoni* pro belli sumptibus viginti aureorum numum millia pactus, quatuor imperij ciuitates pignori tradidit; Schofhusium, Rheinfeldam, Neoburgum, & Tigurum. Reclamantes autem Tigurini, nè contra priuilegia maiorum, ab imperio distraherentur; Brisacum *Othoni* pro Tiguro datum, qui paulò post in verba Imperatoris Augustæ iurauit. Exinde firma pax inter eos non est temerata. Imò de placando Pontificis animo enixè rogarunt, datis literis ad *Ioannem* Regem Bohemiæ, vt honorabilem legationem instrueret, & Christianæ Reipublicæ capita ad concordiam reuocaret. Quomodò se habuerit legatio hæc, & quid Pontifex responderit, ex sequentibus habes. CXLII.

Rebdorf. Alber. Argent. in vita Berthol. Argent.

Pax inter Ludouicum et Austrios

Tentat placare Papam.

IO: PONTIFEX, IO: REGI BOEMIÆ ILLVSTRI.

Regiæ Serenitatis pridem recepimus litteras, continentes, quod tu fili charissime, & Venerabilis Frater noster Archiepiscopus Treuerensis tuus patruus, diebus istis cum Bauaro, de voluntate, & conscientia Magnifici Principis Othonis Ducis Austriæ, & per eũ super hoc informati plenius, tractatus aliquot personaliter habuistis. qui quidem tractatus S. R. Eccl. ac personæ nostræ, secũdum tuũ fili charissime ac dictorum Principum iudiciũ, vtilitatẽ respiciunt in omnibus & honorem, prout tu & ipsi per Ambasciatores vestros solẽnes in proximo destinandos ad Curiam, nos intẽdebatis plenius informare. Subsequẽter vero alias Regias recepimus litteras, continentes quod ad nostrã præsentiam dilectos filios nobiles viros Godofredum Comitem de Linanges, Simonẽ Philippi militem, Guillelmum Pinchon Archidiaconum Abrincensem, Consiliarios, ac Nicolaũ de Mestorf Clericum, Regios destinabat, quibus quidẽ nũcijs, tu et præfatus Archiepiscopus, in his, quæ nobis pro parte vestra exponerent viua voce, tanquã vobis, adhiberi fidem plenam petijstis. Quos vtiq; (excepto dicto Simone, qui dicebatur propter ægritudinẽ impeditus) vna cũ præfati Ducis Othonis Nuncijs, consideratione mittentium benigne admisimus, et audiuimus diligẽter. Quibus auditis, & quæ proposuerunt oretenus, plenius intellectis, Nuncij ipsi sub commissa sibi præfata credentia, quamdam nobis exhibuerunt schedulam tenoris sequentis.

Ista est intentio Dominorum, sc. Regis Boemiæ, Archiep. Treuerensis, & Ducis Austriæ, quod per eos tractetur & ordinetur concordia et compositio, inter Dominum nostrum Papam, Sanctamq; Rom. Eccl. ex parte vna, & Bauarum ex altera, & si huiusmodi tractatus & ordinatio commode fuerint accepti Domino nostro Papæ, ipsiq; Romanæ Ecclesiæ; virtute potestatis eis à dicto Bauaro concessæ, inter alia facient ista fieri per Bauarum.

Primo, quod cum effectu deponet suum hæreticum antipapam.

Secũdo, quod penitus ab appellatione recedet.

Tertio, quod omnia quæ fecit seu attentauit, contra Sanctam personam Domini nostri Papæ, Ecclesiamq; Romanam, reuocabit cũ effectu.

Quarto, quod recognoscet se excessiße, et sententias excommunicationis ipsum ligasse.

Etsi Bauarus dicta, facta, sic tractata & ordinata facere nõ vellet, sciat Sedes Apostolica, quod dictus Bauarus antedictos Dominos non modicum commouebit, et à consilijs eorum recedet, ac potestatem eis concessam infringet, in tãtũ quod huiusmodi factũ præordinatũ, per Bauarum tamen non adimpletũ, poßit resultare in magnũ honorem et vtilitatẽ Eccl. Romanæ. Hæc omnia sic intelligantur, quod Bauarus & in honore & in statu suo remaneat. Sc. in Regno & Imperio Profecto fili, quin intentio tua aliorũq; Principum circa præmissa recta fuerit, nequaquam in dubium reuocamus; sed fuisset admodũ nobis gratum, quod tu fili charissime & præfati Principes conditionẽ præfati Bauari, et ingressum eius ad Imperium, & in eodem progressum examinaßetis attentius in consistorio rationis, profecto ipsum reperissetis priuatũ iure, si quod sibi ex electione illa in discordia celebrata quæsitũ fuerat, iustitia exigẽte. Et quia his non erat cõtentus, M. de Paterna, & Ioannẽ de Ianduno, qui quẽdam librũ composuerant plures hæreses continentẽ, & adeũ velut hæreticorum patronũ fugerant, prõptu recepit: & vt illos errores prædicarent, publice nõ erubuit impartiri fauorem. Hinc fuit declaratus hæreticorum fautor publicus & notorius, te vt hæreticorũ fautor (exigente iustitia) condemnatus. Sane quia diutius expectatus ab his non resipuit, sed velut venundatus vt faciat malum, nedũ fauorem impendere curauit hæreticis, sed ipsis hæresib. facto, et verbo non est veritus se immiscere: fuit merito pronũciatus hæreticus: et vt hæreticus, exigente iustitia condemnatus: prout hæc in processibus Apostolicis plenius continentur. Ex prædictis satis potest eius inhabilis conditio ad Imperiale fastigium apparere.

Qualis a. ingressus eius ad Imperium fuerit, ex sequentibus patet, quod Deo odibilis, iniuriosus Sanctæ Dei Ecclesiæ, et de facto dũtaxat nimiũ temerarie attentatus, Sicut n. ex prædictis iam liquet, electus fuerat in discordia, priuatusq; (exigẽt iustitia) iure si quod sibi ex electione eadem fuerat acquisitum: & nihilominus fautor hæreticorum declaratus, et hæreticus, et vt fautor et hæreticus condẽnatus. Quibus non obstãtibus, vt ad ea quæ requirit Imperialis dignitas, videlicet, inunctionem, consecrationẽ et coronationẽ posset saltẽ peruenire de facto, cũ de iure nõ posset, Petrum de Corbario in Christi opprobriũ, submersionem Catholicæ fidei, & iniuriã totius

cætus

cœtus Catholici , in Antipapam assumere non expauit. In quo quidem facto confessus ipso facto illam damnatam hæresim quam incurrerat antea, sc. quod ad Imperatorem Papam pertineat ordinare: à quo quidem Petro se pati inungi, seu fedari potius non erubuit, ac etiam coronari, Ex quibus patet, qualis ingressus fuerit, ad Imperialis fastigium dignitatis.

Progressus a. eius qualis fuerit, est lippis & tonsoribus satis notũ quia vbicumq; fuerit Eccles. Cathol. & fideles est manifeste, & immanissime vt membrum Satanæ persecutus: Ecclesias ipsas vasis & ornamentis spoliando Ecclesiasticis, ac fideles compellendo violare interdictũ Ecclesiasticũ, et prophanare diuina: spoliando insuper viros Catholicos suis prælationibus, & beneficijs, ac eis de facto hæreticos & schismaticos subrogãdo, ipsisq; hæreticis & schismaticis contra Catholicos impartiendo fauorem, & consiliũ, ac fideles ipsos immaniter persequẽdo. Profecto fili probabiliter arbitramur, & credimus, quod si ad memoriam tu et dicti Principes reuocassetis prædicta, nullatenus dixissetis, ipsũ remanere in regno, et imperio ad vtilitatẽ, et honorẽ nostros & Ecclesiæ vestro iudicio pertinere. Quomodo .n. posset ad vtilitatẽ et honorẽ Eccles. pertinere quod vir tã reprobus de fautoria hæreticorum, et hæresi iusto condemnatus iudicio; regno et imperio præsideret: qui etiã hæreticos in suo habet consortio, et quantũ ad clericos hæreticorũ, et schismaticorũ cõsilio gubernatur. Tenet .n. in suo consortio Iacobũ Episc. dudum Castellanensẽ, Episcopatu Castellanẽsi priuatũ. Item Michaelem de Cæsenna olim Ord. Fratrũ Min. Generalem Ministrum, qui suis exigentibus demeritis est pronunciatus hæreticus et de hæresi condemnatus. Guillelmũ quoque Okam Anglicus Ord. Fr. Minorum hæresiarcham, qui hæreses varias dogmatizabat publice, & scripta fecerat hæresibus, et erroribus plena: propter quæ fuerat vocatus ad Curiã, eiusq; scripta fuerant pluribus Doct. assignata, vt ea deberẽt examinare cum diligentia: & quæ inuenirent hæretica seu erronea declarare: qui iam multos articulos declarauerunt hæreticales. qui quidem male sibi conscius, fugæ præsidio vitare voluit canonicam vltionem. Bonamgratiam insuper de Bergamo Ord. Fratrum Minorum, qui suis demeritis exigentibus in Curia fuerat arrestatus, & iuramento præstito quod de Curia non recederet absq; licentia Sedis Apostolicæ obligatur; qui male similiter sibi conscius de Curia ad ipsũ Bauarum, & Petrum de Corbario, vna cũ Michaele & Guillelmo prædictis gressus suos infelices dirigere procurauit. Marsilium quoq; de Paduæ condemnatum de hæresi in sua familiaritate detinere præsumpsit. Talibus est stipatus consiliarijs, talium consilio ne dicamus dolo decipitur, gubernatur. Qualem itaq; posset, de tali homine habere Ecclesia defensorem? Si enim in arido, id est sine statu, nisi vsurpato, tam crudelis sibi persecutor extiterit: qualis idem putas existeret, si in viridi, hoc est in statu solido se videret? Rursus, quomodo sub regimine talis hominis degere posset Christianus populus, quem sic afflixit immaniter? Profecto fili, talẽ hominẽ dimittere in regali & Imperiali regimine, non esset consulere populo sed nocere; nõ præstare regimen, sed augere discrimen. Si enim integritas præsidentiũ salus est subditorum; sequitur quod instabilitas & infidelitas ipsorum sic præsidentium, perditio sit eorum subditorum. Qualem putas, fili, ex Principatu huiusmodi (quem extorsit seditio, & ambitus occupauit) subsequi posse finem? Profecto sperari non potest probabiliter, quod bono peragi possint exitu, quæ tam malo & peruerso sunt principio inchoata. Audi quid de talibus Principibus Sapiens dicat; Regnãtibus, inquit, impijs, ruinæ hominum, sc. subsequuntur. Et alibi: Gemet, inquit populus, cum impij sumpserint Principatum. Attende fili, quã esset gregi Dominico sub tam infideli principe viuere formidandũ. Teste enim Sapiente; Qualis est Rector Ciuitatis, tales sunt vel fiunt, habitantes in ea. Esset itaque nimium formidandum, quod si remaneret in præfato regimine, multos à fide retraheret Catholica, suæq; perfidiæ (quod absit) plurimos aggregaret. Adhuc, fili, quantum in principe quolibet veritas requiratur, tua non ignorat prudentia; & quantum in eo vigeat, te audiuimus non latere. Sane si, quæ offeruntur pro parte Bauari, fili charissime, cogites diligenter; reperies vtique, quod de tot et tantis excessibus per eum commissis, emendam Deo & Ecclesiæ nullam offert.

In primis enim offertur pro parte sua, quod ipse Bauarus deponet suum hæreticum antipapam. hoc autem non est offerre emendam aliquam de commissis.

Primo, quia etiam si verus Imperator existeret, quod tamen constat eum non esse depositio talis ad eum nunc non pertineret.

Secũdo, quia ipsemet Petrus de Corbario reatum suum humiliter recognoscens, à statu illo

(quem

(quem de facto receperat) illi renunciando, s. de facto deposuit, & ab ipso discessit Bauaro, sicut nobis idem Petrus his diebus præteritis per suas litteras manu scriptas propria, quarum tenorem infra reperies, nunciauit.

Secundo dicitur, quod recedet ab appellatione sua. Certe nec emendam aliquam propter hoc offert; cum nec appellationi suæ si qua fuit, renũciare nisi de facto valeat; cũ de iure non tenuerit, velut ab hæretico interiecta; & ab eo, à quo non licet (cum superiorem nõ habeat) appellare.

Tertio offertur, quod omnia quæ fecit, seu attentauit contra nos & Sanctam Romanam Ecclesiam, cum effectu debeat reuocare. In hoc etiã clare patet, quod emenda aliqua non offertur. Contra nos enim, seu contra Romanam Ecclesiam non potuit nisi de facto aliquid facere. Vnde si quid de facto fecit, de facto reuocet; nulla in hoc Deo, nobis, vel Ecclesiæ præstatur emenda.

Quarto pro parte eius offertur, quod recognoscet se excessisse, & sententiam excommunicationis ipsum ligasse. Per hoc patet etiam, quod nec Deo, nec nobis; nec Ecclesiæ aliqua offertur emenda.

Quinto offertur pro parte eius, quod gratiæ nostræ se offerat ad misericordiam. Per hoc quippe asserit, quod à nobis petet misericordiam, non quod aliquam præstet emendam.

Vltimo concluditur pro parte Bauari supradicti, quod omnes oblationes supradictæ intelligerentur ita, quod Bauarus in honore & statu suo permaneat, scilicet in Imperio et Regno. Ex quo proculdubio euidenter concluditur, quod de his qua commisit, est impœnitens homo iste. & ideo reddit se de absolutione qualibet (quæ nulli, nisi pœnitenti conceditur) merito, quantum in eo est, indignum.

Sed ixta hoc quærimus fili, quomodo intelligat ille Bauarus, in Regno vel Imperio remanere? Aut enim intẽdit remanere in statu et regno sine iure in eis de nouo quærendo: aut per ius nouum, quod intendat acquirere in prædictis. Si enim ille sine nouo iure intelligat retinere! sequitur, quod Regnũ & Imperiũ sine iure & honore Imperiali & Regio detineret. In regno siquidẽ nullum ius obtinet, in præsenti: cum iure, si quod per electionem sibi in eodẽ quæsitum fuerat, iusto iudicio sit priuatus. Quantum ad Imperium autem; quia nomen Imperatoris per inunctionẽ, consecrationem & coronationem quis nanciscitur, factas quidem á Romano Pontifice, seu alio, eius auctoritate, patet igitur ipsum Bauarũ ius aliquod non habere: quia non a vero Summo Pontifice, sed ab antipapa recepisse dicitur & noscitur, supradictam, scilicet, inunctionem, consecrationem & coronationem.

Quare sequitur, quod hoc casu Imperium sine iure aliquo obtineret: & per consequens, quod nisi de nouo ius sibi in regno, & imperio quæreret, nec Rex nec Imperator debet dici a fideli aliquo, sed fur & latro, iuxta nostri Saluatoris sententiam dicentis; Qui non intrat per ostium in ouile ouium sed aliunde, non pastor ouium, sed fur & latro potius est dicendus.

Et quod nullum ius in Regno vel Imperio habeat, in præsenti palam est considerandum. Constat enim ipsum multa notorie commisisse, ex quo illa discors electio celebrata extitit: propter quæ & quodlibet eorum se prorsus fecit ab honore Regni & Imperij alienum.

Si vero intelligat, quod sibi de nouo in Regno vel Imperio ius acquiret: cõstat, quod (cum sit Sacrilegus, excommunicatus, & tyrannus) nec à quouis posset eligi, nec sibi etiam ab aliquo (cum tales sint intelligibiles) de Regno & Imperio prouideri. Cum igitur Bauarus petit, quod in honore suo & statu remaneat, sc. in Imperio & regno; possumus sibi dicere, quod Dominus dixit filijs Zebedæi: Nescitis, quid petatis. Vere ipse hoc petendo, ignorat quid petat. Rem siquidẽ impossibilem petit. Impossibile enim est ipsum remanere in honore Imperiali & Regio sine noui iuris acquisitione: cum honorem & dignitatem non habeat, sed ipsum Regnum & Imperium, siue ipsorum honorem nisus est vsurpare tyrannice, & adhuc nititur retinere.

Rogamus itaq; prouidentiam Regiam. & in Domino exhortamur, quatenus præmissa attente considerans: & nihilominus pericula varia & inconuenientia innumera, quæ eius præfata præsidentia vniuersali gregi dominico comminatur, consideranter attendens, et ad ea quæ ad honorem Dei, statum Ecclesiæ, & Imperij respiciunt prosperum, te conuertens, partes tui consilij & auxilij sedule interponas: quomodo de persona digna tanto regimine prouideri debeat, sub qua Fides stabiliatur Catholica, augeatur fidelium numerus, & à noxijs præseruetur. Ad quod quidem nos promptos, dante Domino, reperies & omnino paratos.

Licet autẽ offensæ prædicti Bauari excedãt omnes alias, quæ legantur à Patrum nostrorum tẽporibus hactenus perpetratæ: quia tamẽ, licet immeriti, Vices illius in terris gerimus, qui cum

iratus

iratus fuerit, non obliuiscitur misereri: more pij patris conuersionem eius, & salutem intentis desiderijs affectamus, ad Dei honorem, tuiq; & aliorum Principum prædictorum intuitu, & vt salus ipsius Bauari, & multorum aliorum nobis mediantibus procuretur: offerimus, si ad gremium Ecclesiæ redire voluerit idem Bauarus sicut debet, ipsum benigne recipere nos paratos, eiq; tantam impartiri gratiam, quod tu & Principes supradicti poteritis merito contentari. Dat. Auin. 2. Cal. Aug. Pont. nostri ann. 14.

an.1331 Porrò Italiæ minutis tyrannis digladiantibus, nec Gibellinis *Ludouico* suppetias ferentibus, *Ioannes* Rex Bohemiæ petijt, vt sibi liceret in Italiam copias ducere: Consensit *Ludouicus* ea conditione, vt vicem Cæsaris ageret: deditq; ei Germanorum copias, quibus iunctos Bohemos per Alpes Tridentinum, inde Brixiam, cuius ciues partim Pontificij, partim Cæsariani inter se dissidebant. Aduentu suo Cæsarianos superiores reddidit. Pacatis Brixianis, Parmam venit, vbi Imperatoris nomine pecuniam, militemque recepit. Paulo post Bergomum, Cremona, Papia, Vercellæ, Nouaria, Regium, Mutina ipsum vel patronum, vel dominum salutarunt. Eo vsquè Vicarius Imperatoris habitus, Gibellinæ factionis tutelam iactauerat, gratiosus eo nomine in vulgus.

CXLIII. Io. Rex Bohemiæ in Italiã descẽdit.

CXLIV. Verùm Aprili mense, cum *Bertrando* Legato Pontificio congressus, dum illi quoquè studia sua probare contendit, vtrique parti suspectus redditur. *Ludouico*, quia vbique operam daret, ne Romanum Pontificem offenderet. Vnde iure verebatur, ne ab eo Bohemus in Cęsarem coronaretur. Et adhoc moliri videbatur, quia omni humanitatis lenocinio corrumpebat Imperij cliẽtes, & affectata morum facilitate Guelphis iuxta ac Gibellinis se nullo discrimine venditabat, exules restituendo, ad dignitates sacerdotes reuocando, quos Cæsar proscripserat.

In Ludouicũ conspirat.

CXLV. Augebat metum *Carolus* filius eius, quem in Italiam vocauerat, forsam in successorem imperij. Ingredienti itaque inexpectato, & inuiso struuntur insidiæ. Ipso die Paschatis in ientaculo mixtum venenum *Ioannem* dynastam Bergensis aulæ præfectum, *Simonem Keylium, & Ioannem Hochkirchium* corripuit; *Carolo* pepercit, quia Festi reuerentia vsquè ad prandium ieiunus durauerat. Cum accumberet, ad fuit homo mutum simulans, cuius officia an.1331 insimulabant loquacem. In quæstionem abreptus, triduò tormenta sustinuit, tandem *Azonem* Mediol. Vicecomitem attrocis criminis accusauit auctorem, se verò offulæ medicatæ. Nihilominus Bohemus prouinciæ administratione filio commissa, filium *Ludouici Sabaudi*, Azonis soceri curæ credidit. Ipse autem in Germaniam regreditur, vel potiùs fugit.

Carolo filio Bohemi insidię parãtur.

CXLVI. Gibellinis enim suspecto, ab eo milites suos domum reuocauerant, fœdere inter se percusso ad communem defensionem, interim eum apud *Ludouicum* crebris nuncijs insimulantes. Post Gibellinos, Germani etiam qui *Ludouicum* sincerè colebant, discesserunt. Vnde partitis per vrbes, quas occupauerat copijs, *Ludouicum* accedit rationem gestorum redditurus, maiore eloquentiæ, quàm iustitiæ fiducia. In colloquium admissus calidè causam egit. Simulasse apud *Italos non negabat; sed nullum aiebat posse Italis placere, nisi simulando imperaret. Nationum moribus se accomodasse, vt Cæsaris causam ageret, non sua. Præsidia Imperiali nomine Mutinæ, Regij relicta fidei erant argumentum. In manibus Italorum stare filium pro pignore; se paratum vel in Italiam, vel in Bohemiam regredi. Cæsar ipse præscriberet. Exempla factorum suorum enumerat. Maiora pollicetur. Hoc vnum rogat, ne vis inferatur innocentiæ.* Altius porrò inséderant accusationis aduersus Regem argumenta in animo *Ludouici*; licet malet credi, quòd innocentem crederet, atque insontem probaret. Fraude fraudem pensasse, ex eo apparet, quia quiescere iussit, nec permittere voluit milites in Germania scribere, imò prohibuit ne in Italiam rediret, dicens, quòd ipse breui pararet expeditionem.

Germaniam repetit, vt se purget coram Ludouico.

CXLVII. Norimbergensis hoc anno celebratur conuentus ad pacem Germaniæ, & vnitatem Ecclesiæ. Multa ore suo *Ludouicus* in Pontificem blaterauit, & lupum non animarum accusauit pastorem. Principes adhortatus, nè fuco fallere paterentur. Hæc omnia in Spirensibus comitijs renouauit, fictam arguens Pontificis in Sarracenos expeditionem, cuius specie emungeret æs alienum. Tantam, hortatur, ne velint in vsus nefarios erogare pecuniam, Nitantur potiùs verum Pontificem ex carcere soluere, qui Ecclesiæ rectè præsit; tum pace Orbi reddita Christiano,

Conuẽtus Normbergæ. Papam accusat Ludouicus.

an.1331 stiano, se cum copijs Hierosolymam profecturum. Satis se (inquit) vixisse: vbi viderit Ecclesiam habere pastorem; cui curæ sit animarum salus, lætum se aut Hierosolymam iturum contra fidei hostes, aut ex hac vita migraturũ, si post se relinquat imperio, & Ecclesiæ tranquilitatem. His Principus mulros commouit aduersus Pontificem. Accedentes Romanorum legatos, qui eum comitati fuerant, vt citius Romam rediret, & redeundi facultatem rogantes, donatos dimisit, illisque comites Germanos equites dedit quingentos, & pedites totidem, vt Gibellinos defenderent, vsque dum ipse in Italiam descenderet. Romam regressi Guelphos inuenere dominantes in vrbe, domitis Cæsarianis vel expulsis. Ad vindictam occulrè *Ludouicus* aspirans, aduersus Bohemum Austrios impegerat: & nè foris peccaret, domi plectendum æmulis obiecerat.

Mutius.

CXLVIII. *Austrij in Bohemum mouent.*

Inter eos *Otho Austrius* eminebat spetie Reipublicæ vindicãdę, sed inuidia percitus, quia ille sibi in vicariatu Italico fuisset prælatus. Cõcitatis itaq; Polonis, & Hungaris, exercitũ septuaginta millium virorum vltra cataphractos duxit in Bohemum. Is tumultuario delectu contractos equites mille quingentos, & pedites viginti mille *Othoni* in campis Laensibus obiecit ingruenti. Iuuit fortuna audaciam, & Othonianis panico metu perculsis, victoriam ante pugnam eripuit, VI. Cal. Decemb. Disperfis Austriacis, securus credens Bohemus modicis posse Danubij ripam tutari præsidijs, in Gallias iter arripuit. Eo absente, collecti Austriaci dedecus corripuere receptum, victoria de Bohemis reportata. Vnde Rex pacem magno redemptam pretio, spe firmauit affinitatis, *Elisabethæ* Friderici filiæ coniugium pactus, quod numquàm coaluit.

CXLIX. *Ludouici legationes ad Papam.*

Ludouicus interim, Rege & Duce digladiantibus, iras Pontificis noua tentat expugnare legatione. Missi *Arnoldus Mumerbachius* Eystatensis Canonicus, & *Vdalricus de Augusta* cancellarius, vt nullam pacis conditionem defugerent, quæ saluo imperio, & honore admitti posset. Nihil tamen impetratum exigente Pontifice, vt se abdicaret imperio. Sequenti anno, qui fuit trigesimus secundus supra millesimum, & trecentésimum, instauratur legatio per *Halsium*, *& Oetinganum* comites offerentes sequestrem pacis, *Othonem* atque *Albertum* Austriæ Duces. Hi quamuis Bauari nomine omnia Pontifici pollicerentur diræ in Bauarum, & fœderatos renouantur cum Pontifice colludente Bohemo. Is in Italiam regressus, omniaque hostilia reperiens, de summa rei in *Carolum* filium reclinanda cogitauit. Verùm hic tutum in patriam receptum infido honori, & iam fugienti antеferens, onus detrectauit, siue ætatis excusatione, siue quod minori verecundia, quàm pater esset abiturus. Suæ conscius libidinis, qua Parmenses irritauerat, rhoros temerando alienos, prudenter meliora non sperabat. *Ioannes* ne inter Italorum ludibria illusus discederet, pacis conficiendæ se auctorem obtulit. Non tenuit *Ludouicus*, sed & imperium *Henrico* nepoti inferioris Duci Bauariæ obtulit renunciare, si aliter Pontifici satisfacere non posset: eo tamen pacto, ne *Henricus* vulgaret arcanum, priusquam Ecclesiæ restitueretur *Ludouicus*. Sinceræ pietatis, & incorruptæ religionis atgumentum. Addit *Rebdorfius* famam fuisse, etiam Principibus literas commendaritias misisse, vt in *Henricum* fasces transferrent imperij. Vera fuerit vel falsa, cum audisset *Ludouicus* abdicationem suam in ore omnium vagari, omnia reuocauit, negans vnquàm cogitasse regno renunciare. Hinc inrer *Henricum*, & *Ludouicum* simultas. Eo rumore excitata pietas humana, sortem infelicis principis miserabatur, *nam proauum comparatione* clamabat, *non sine iniuria supplici negari clementiam.* an.1331

CL. *Io. Bohemiæ Rex offert filio Carolo vicariatum Italiæ.*

CLI. *Cogitat de imperio deponendo. Ludouicus.*

MORS IOANNIS XXII. PONTIFICIS. Ann. 1334.

CLII. De nouo Cæsare eligendo arcanum reuoluebat *Ioannes XXII.* Papa, cum Regibus Galliarum, & Bohemiæ, nocte præcedente IV. Nonas Decembris, ad quem diem, Cardinalium Consistorium, & Prælatorum indixerat; cum exitiali profluuio ventris petitus, in lectum secessit. Et mortem sibi imminere sentiens, iii. Nonas Decemb. circa horam Vespertinam Cardinalibus conuocatis, Fidei professionem edidit, ac de successore eligendo verba fecit. Pridie Nonas, post sacra audita, & sacrum Viati-

an. 1334 Viaticum ſumptum, in crepuſculo diei orans, & pſallens, nonagenario maior, ex hac vita migrauit. Viginti quinque millio-
Lib. 11. c. 20. nes auri rudis, ſignatique habuiſſe *Villan.* tradit.
CLIII. *Benedictus XII.* *Iacobus Furnerius*, è Moletrina ad ordinem Ciſtercienſem, indeque ad purpuram, demum ad ſedem Pontificiam euectus, aſſumpto *Benedicti XII.* nomine, ſucceſſor datur. Is primis Comitijs cum pacem totius Eccleſiæ, atque Orbis Chriſtiani ſibi in animo eſſe dixiſſet, Nuncios ad Bauarum an. 1334
miſit, vt clauum clauo retunderet. *Philippus Valeſius* Gallorum Rex, magis iubentis in morem, quàm rogantis (*quaſi ſibi nihil denegari poßet*) inaudita petebat. CLIV. *Argentinas.*
Pro filio regium nomen ab Arelatenſi regno; pro ſe vicariam in Italia poteſtatem maiorum mores ſequutus (quos libido tenuerat occupandi Imperium Occidentale, vt de *Carolo Pulchro* anteceſſore expreſsè ſcribit *H. de Coſte, p. 265.*) & decimam decimæ ex toto Or-









CLV. *Legatio Papæ ad Ludouicum.* be Chriſtiano colligendam cũ vniuerſo Eccleſiæ theſauro. Pontifex grandia vota abominatus, nihil conceſſit, ad *Ludouicum* reſpexit, vt validum *Philippo* aduerſariũ obij-
an. 1335 ceret ſi quid amplius mouiſſet, & *Ioannis* Pontificis veſtigia ſequens, ſpecie ſacræ expeditionis, Italiam inuaſiſſet. Nuncios propterea ad *Ludouicum* miſit, vt ad pœnitentiam prouocarent, & vnitas redderetur Ec-
CLVI. *An interdictum morte interdicentis expiret?* cleſiæ. Reſpondit humilis *Ludouicus*, & officioſa legatione Pontificem coluit. Qua demulcitus Pontifex pius, & miſericors nil amplius in *Ludouicum* intentauit: imò cum in prouinciali Concilio, inſtante *Friderico* Trinacriæ Rege, decretum fuiſſet, per obitum *Io: XXII.* ſilere interdictum in Siculos prolatum ob cauſam *Ludouici* Bauari, quaſi omnia illa ſimul cum morte Pontificis expiraſſent, non reſtitit *Benedictus*, ſed decretum ſi non confirmauit, tolerauit, ait *Bzouius* ex *Richardo Cluniacenſi* hiſtorico eius æui. CLVII.

Quid porrò inter *Benedictum* Papam, & *Ludouicum* Bauarum ad pacem reintegrandam geſtum fuerit, liceat ab ijs audire, qui tunc viuebant, & ſcribebant. Inter quos Principem locum tenuit *Albertus Argentinenſis* cum quo concordat *Bzouius*. Cognito itaque reformationem ſuam *Ludouicus* à Pon- *Benedictus agit cauſam Ludouici in Conſiſtorio.*

An.1335 *tifice, & Cardinalibus desiderari; statim Papa, & collegio nuncios, & literas humillimas destinauit, qui nuncij à Papa & fratribus edocti, qualiter & sub qua forma redire deberent, & sub quibus articulis absolutionem & gratiam petere: iterum à Principe, cum illis articulis & mandatis sufficientissimis sunt reuersi. Inter quos duo erant comites de Otingen, et praepositus Augustensis, & Marquardus de Randecke canonicus Augustensis R. Bambergensis, postea per Papam eiusdem ecclesiae praepositus effectus: & magister Vdalricus protonotarius Principis, decretista. Et proposito in publico consistorio, per praedictum de Randeck ex parte Principis humillimè, super petitione absolutionis & restitutionis, facundo sermone, de quo omnes qui aderant mirabantur: Papa gratiosissimè respondens, dixit: Se & fratres suos de hoc, quòd nobilis ramus Ecclesiae Alemanniae, qui se in persona domini Ludouici, laedi per ecclesiam aestimans, iam ab arbore ecclesiae separati coeperat, eidem arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimum gratulari: multum commendans Alemanniam, et dominum Ludouicum, quem nobiliorem mundi dicebat: conquerens regi Italiam per tyrannos, ac regnum Armeniae capi à Paganis, cuius principes tempore Ioannis Papae & suo Christianorum implorabant auxilium, ac terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari: vnde meritò dixit absolutionem eidem impertiri se debere, quae & dari crastino sperabatur.*

CLVIII. Pontificem a Casus reconciliatione auertunt Reges. *Verum praedictus rex Franciae, & rex Siciliae, seu Apuliae, omnes quasi Cardinales à proposito auerterant praeconcepto. Venerant enim ad impediendum factum ad Curiam, duo Archiepiscopi, duo Episcopi, & duo comites, ex parte regis Franciae, & totidem ex parte regis Roberti: proponentes erroneum esse, tantum haeresiarcham praeponere dominis eorum ecclesiae fidelissimis: Papamque cauere debere, ne fautor haereticorum diceretur. Papa verò dicente: Quid volunt domini vestri, quòd non sit Imperium? illis verò proteruè dicentibus: Pater non impingatis hoc dominis nostris, vel nobis, quod non dicimus. quia contra imperium non loquimur, sed contra personam Ludouici damnatam. Cumq; dicerent, Ludouicum multa contra Ecclesiam fecisse, Papa dixit: Imò nos fecimus contra eum: ipse enim cum baculo venisset ad pedes praedecessoris nostri, si voluisset, sed ipse noluit eum recipere: & quicquid ille fecit, quasi prouocatus fecit. Quantumcunque autem Papa assereret, se meliora pacta ab ipso Ludouico, pro praedictis regibus, eorum regnis & posteris extracturum, quam si eum in turri tenerent: penitùs nil profecit. Rex Franciae etiam in terra sua vndique bona, & redditus Cardinalium interdixit & occupauit. Scripserant etiam illis* CLIX. Rex Franciae Philippus occupat bona Cardinal. Mutius. *diebus ad Curiam, Ioannes rex Bohemiae, & Heinricus Dux Bauariae, gener eius, quòd de auxilio Hungariae & Cracouiae regum, & aliorum, alium vellent constituere regem Romanorum potenter. Et sic Cardinales Papam pro tunc ab absolutione principis retraxerunt, dicentes: cum sui in partibus suis vellent eum destituere, inconsultum esse sedi, si propter impotentem & inopem tot Principes offensaret. Sic dato alio termino deliberationis, nuncij principis infecto negotio sunt reuersi.* An.1335

Porrò quot, & quibus nuncijs, quid quantumque erga Benedictum Pontif. commiserit *Ludouicus*, testantur literae ipsius *Ludouici* die v. Martij; An. 1336. quas recitat *Bzouius, ex M.S. Biblioth. Vatic. n.* 407. *fol.* 1. CLX.

LVDOVICI LITERAE AD PP. BENEDICTVM. An. 1336.

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Benedicto XII. diuina prouidente clementia sacrosanctae Rom. & Vniuersalis Eccl. summo Pontifici. Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus suus filius deuotus, cum sui & Regni Romanorum recommendatione, deuota pedum oscula Beatorum.

Nouerit sanctitas vestra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia & sinceritate spectabilium virorum Ludouici senioris & Ludouici iunioris de Ottingen Comitum: Fratris Henrici de Siphingen Ordinis Sanctae Mariae Fratrum Theutonicorum Commendatoris Domorum in Vlma & Vardes: Eberardi de Tummouu Archidiaconi, Marquardi de Randeck iunioris Canonici professoris Canonicorum Sancti Augustini, & Magistri Vdalrici de Augusta nostri Prothonotarij, Secretariorum nostrorum specialium, eosdem, Ludouicum de Oettingen Comitem iuniorem, Fratrem Henricum de Siphingen, Marquardum de Randeck, & Magistrum

ſtrum Vdalricum Prothonotarium noſtrũ præfatos abſentes tanquam præſentes, LVDOVICVM de Oettingen Comitem Seniorem, & Eberardum de Tummouo præſentes, & mandatum noſtrum ſponte recipientes, & quemlibet eorum tam abſentium, quam præſentium inſolidum: ita quod non ſit melior conditio occupantis ſeu occupantium, ſeu quod vnus vel plures ipſorum, alius vel alij proſequi valeant & finire, in præſentia Notariorum publicorum, & Teſtium infraſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum, fecimus & conſtituimus, & per præſentes noſtras literas facimus & conſtituimus, creamus & ordinamus, modis omnibus quibus melius de iure facere poſſumus & valemus, noſtros veros, certos & legitimos Procuratores, Ambaſciatores, negotiorum geſtores, & Nuncios ſpeciales, & quocumque alio nomine melius dici vel nuncupari poſſint: non tamen reuocando propter hoc poteſtatem, alias ſeu antea prædictis Procuratoribus noſtris, & eorum cuilibet in alijs noſtris Procuratorijs ad infraſcripta, vel ad infraſcriptorum aliquid pro nos traditam & conceſſam: ſed volumus potius & mandamus huiuſmodi Procuratoria, ad omnia & ſingula in eis contenta, nec non omnia & ſingula, quæ virtute ipſorum per ipſos Procuratores noſtros, ſeu eorum aliquem incepta, tractata, facta vel quomodolibet ordinata exiſtunt, in ſuo pleno robore & efficacia permanere: dantes & concedentes in ijs ſcriptis, eis omnibus, & cuilibet eorum inſolidum: ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſeu occupantium: ſed quod vnus, vel plures ipſorum inceperint, alius vel alij proſequi, mediare, & finire valeant, plenam, meram, liberam & integram poteſtatem, facultatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum, vice, & nomine noſtro, & pro nobis ſanctitati veſtræ, & coram ſanctitate veſtra, & vbicumque eidem ſanctitati veſtræ placuerit, & viſum fuerit expedire: præſtandi concedendi, & promittendi, faciendi & confirmandi, vice, & nomine noſtro, & pro nobis, omnia iuramenta, omnes obedientias, promiſſiones, conceſſiones, donationes, notificationes, confirmationes & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum, & aſſumpti ad imperium, ſiue etiam non aſſumpti, ſiue antequam aſſumerentur, ſiue poſt, per ſe vel alios, ſummis Pontificibus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſeu aliorum alteri, per ſe vel alios recipientibus, ſeu recipienti, reperiuntur ſuis temporibus præſtitiſſe, feciſſe, confirmaſſe, ſeu quomodolibet conceſſiſſe.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum poteſtatem vt ſupra, vice, & nomine noſtro, & pro nobis annullandi & reuocandi, nulla & irrita pronunciandi omnia, quæ dicta & facta ſunt contra Dominum quondam fel. record. Dominum Papam Ioannem XXII. & contra Sanctæ Eccleſiæ determinationes, & quæcumque alia titulo imperiali dicta vel facta per nos exiſtunt: & ſicut de facto dicta vel facta exiſtunt, ita ea omnia irrita, & nulla pronunciandi.

Item, quia per Dominum Henricum Imperatorem vltimum ſeu autoritate ipſius plures proceſſus, & etiam plures ſententiæ capitales, & proſcriptionis bonorum, & aliarum pœnarum, & mulctarum diuerſarum inflictiuæ, diuerſis temporibus promulgatæ fuiſſe dicuntur, tam contra Excellentem Principem Dominum Robertum Regem Siciliæ Illuſtrem, & contra magnificos viros Dominos Philippum quondam Principem Taranti, & Ioannem Ducem Duratij tunc Principem Achaiæ, quondam eiuſdem Regis germanos, ac etiam contra vaſallos, & alios eidem Regi Siciliæ mediate, vel immediate ſubiectos Regni Siciliæ, & Comitatus Prouinciæ, & Folcacquerit, & Pedis Montium, & aliarum terrarum eiuſdem Regis Siciliæ, quam contra nonnullos Ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra Ciuitatem, & commune Florentinorum, & Poteſtatem, Capitaneos, Officiales, Miniſtros, & nonnullas ſingulares eiuſdem Ciuitatis perſonas, & etiam contra plures alias Ciuitates, & loca, & contra nonnullas perſonas ſingulares: quæ quidem Ciuitates, & perſonæ tempore dicti Domini Henrici adhæſerunt Regi Siciliæ præfato: damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum poteſtatem promittendi, & nos obligandi, quod omnes huiuſmodi proceſſus & ſententias, propter quoſcumque etiam vel qualeſcumque exceſſus, inobedientias, rebelliones & iniurias ipſi proceſſus facti fuerint, & ſententiæ promulgatæ, priuſ-

priusquam assumpti fuerimus à sanctitate vestra in Regem Romanorum reuocabimus: & eos, & effectum eorum annullabimus, & tollemus in totum, & quicquid etiam ex eis secutum est vel ob eos, vel sequi possent ex eis, vel aliquo eorum: & insuper omnes excessus, rebelliones, inobedientias, iniurias, & offensas, qui, vel quæ, commissi seu commissæ fuerint per supradictos, vel eorum aliquos, seu aliquem: & per Ciuitates, Communitates & loca prædicta, in omnibus partibus Italiæ, contra præfatum Dominum Henricum, vel suos officiales, seu contra Imperium quouismodo, remittemus, tollemus, & penitus abolebimus, & in integrum aduersus prædicta restituemus omnes, & singulos suprascriptos: ac Ciuitates, Communitates, & loca prædicta, sic, quod illorum occasione vel causa, ipsi vel successores ipsorum non possint per nos vel nostros quoslibet successores, vel per alios, nostro vel nostrorum successorum nomine nullo vnquam tempore impeti, seu inquietari, vel etiam alias quomodolibet molestari.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, potestatem vt supra, omnes processus factos, & quaslibet sententias latas, & quæcumque alia quocumque nomine censeantur, Romæ, seu vbicumque alibi gesta per nos, vel per alios nostros nomine, vel auctoritate sub imperiali titulo, nulla esse, & cassa, & irrita, vice & nomine nostro, & pro nobis, pronunciandi, & declarandi illa esse, quatenus processerunt de facto: annullandi & penitus reuocandi. Specialiter etiam damus ipsis & cuilibet eorum insolidum, nomine quo supra, potestatem reuocandi donationes Terrarum Ecclesiæ in speciali si quæ per nos, vel auctoritate nostra factæ sunt, vel apparent, vel in futurum apparebunt.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis, ob reuerentiam sanctitatis vestræ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & etiam propter bonum pacis, vobis & successoribus vestris, dandi, concedendi irreuocabiliter plenam & liberam potestatem per biennium duraturam, computandum à tempore quo approbati fuerimus, & potestatem huiusmodi concesserimus vestræ sanctitati, quietandi, & remittendi omnibus Ciuitatibus, & communitatibus, quorumcumque locorum omnium partium Italiæ, nec non de quibuslibet personis singularibus partium earumdem cuiuscumque status, aut conditionis existant, omnes iniurias, rebelliones, inobedientias, & offensas commissas hactenus quantumcumque, & quomodocumque cōtra imperium, & Reges, ac Imperatores Romanos, seu Officiales, Ministros, vel gentes eorum, à Quinquaginta annis & circa: ac etiam processus quoscumque, & quascumque sententias inde secutas, quatenus ad Reges & Imperatores eosdem qui fuerunt pro tempore pertinuit cognitio, & punitio prædictorum: & ad nos, si in Regem Romanorum, aut etiam in Imperatorem assumpti fuerimus, illorum prosecutio iure Regni vel imperij poterit pertinere, tollendi, cassandi, reuocandi, & totaliter annullandi, pœnasque quaslibet corporum & bonorum, mulctas etiam & infamias, à iure vel ab homine illorum excessuum occasione, vel causa inflictas, vel infligi possibiles in futurum infringendi, & penitus abolendi: & contra prædictos excessus, processus, sententias, pœnas, infamias huiusmodi in integrum restituendi, & alias de illis, & super illis omnibus, & singulis, quantumcumque & quotiescumque sanctitati vestra placuerit, omnes simul vel diuisim, per vos vel alium ordinandi, & disponendi, alte vel basse pro vestræ libito voluntatis: quidque vestræ placuerit sanctitati, & hoc in scriptis vel sine scriptis, nobis etiam absentibus & non vocatis, nec alio quocumque pro nobis. Nos ratum quoque & gratum pro nobis, & nostris etiam successoribus habituros, promittendi: quodque super prædictis, & eorum quolibet, per vos, seu successores vestros remissum, cessatum, sublatum, annullatum, reuocatum, restitutum, & abolitum fuerit, vel quomodolibet ordinatum: & quod super hoc sufficientes, & patentes dabimus literas nostro communitas sigillo, quotiens super hoc fuerimus requisiti, iuxta voluntatem vestræ sanctitatis, vel successorum vestrorum.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, plenam & liberam potestatem, vt supra, vice & nomine

nomine nostro, ac pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quouis modo vsurpabimus Romam, aut prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatum Venusij, Terras alias seu Territoria vel loca Ecclesiæ Romanæ in Italia, vel vbilibet extra Italiam constituta, & specialiter nec Regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, quæ directo domino & feudo eiusdem Ecclesiæ Romanæ esse noscuntur: nec alia feuda, retrofeuda, seu quælibet alia loca ad eamdem Ecclesiam, mediate vel immediate spectantia: nec iura, personas, vel res reliquas in eisdem: nec dabimus, nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum, vel ad tempus aliquod de prædictis, sub colore, conditione, aut titulo quibuscumque.

Idem damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, ac pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod prædictam Romanam Ecclesiam, aut vos, seu successores vestros, vel Officiales, Ministros, Vasallos, & subditos eorum non inquietabimus, vel quomodolibet molestabimus in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusij, terris alijs & territorijs supradictis, seu aliquo prædictorum. Nec in casu etiam aliquo Reges prædictorum Regnorum: aut Ministros; Vasallos & subditos coram in Regnis prædictis, seu pro eis, vel aliqua eorum parte aliquatenus molestabimus: nec aliquod dominum, iurisdictionem, superioritatem, seruitutem, Potestariam, Capitaneatum; vel aliud officium quodcumque, quocumque nomine censeatur accipiemus, vel per nos, vel alios exercebimus in prædictis, Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem. Nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam, quouismodo recipiemus pro Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel pro aliquo eorumdem. Nec etiam pro quibuscumque rebus, vel iuribus in præmissis, Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in eorum, vel aliquibus eorum pertinentijs constitutis; etiamsi nobis à quibuslibet Ciuitatibus, vel personis singularibus offerentur: nec ius etiam aliud qualecumque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, seu quomodolibet per nos, vel alium, seu alios vsurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedemus etiam recipi, vel haberi in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, & specialirer in Prouincijs, Ciuitatibus, terris & locis, & territorijs eorumdem, expressis in quibusdam literis dictis Domini quondam Henrici Imperatoris: quarum tenor sequitur in hæc verba.

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Clementi Sacrosanctæ Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici. Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, cum reuerentia debita, deuota pedum oscula Beatorum.

Feruenti desiderio cupientes sanctitatis Vestræ pedibus, & Apostolicæ sedi toto corde, & animo zelum nostræ reuerentiæ, fidei, & deuotionis offerre, vestris sanctis monitis, exhortationibus & mandatis, nos pro viribus cooptando, & honorem vestrum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum iura diligere, & pro posse protegere & seruare; attendentes propensius, quod nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta Fides in Principe; nihilque est quod ita nequeat occasui subiacere, quam vera religio: & quod ad Dei timorem seruandum, mandataq; eius custodienda factus est omnis homo: sed præcipuè Imperialis & Regalis potestas quæ à Domino Deo est: & ad eius ministeriũ exequendum, & ad fidem & reuerentiam sui nominis dilatandam in omnes regiones, & Regna, promittimus & obligamus nos cum omni efficacia Deo Omnipotenti, Vobisque Domino nostro Clementi summo Pontifici, vestrisque successoribus, & sacrosanctæ sedi Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ, quæ Ecclesiarum omnium est caput & Magistra, quod sacrosanctam

ctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, Fidemque Catholicam fundatam super fundamentum Apostolorum, & prophetarum, ipso scilicet angulari lapide CHRISTO Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in cuius nomine omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, nec est nomen aliud sub cœlo, in quo saluari oporteat credentes, toto corde & animo, pura fide & sancta intentione conseruabimus, reuerebimur, atque defendemus totis viribus, & toto posse: ac omnem hæresim & schisma, extollentem se contra sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam exterminabimus pro viribus: ac omnes hæreticos cuiuscumque sectæ & conditionis existant, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quibus vineam Domini Dei Sabbaoth perdere, & vastare nituntur, omnesque fautores, adiutores, valitores & receptatores, ac defensores eorum: & quod nullo tempore coniungemur, confœderabimus, parentela & vel fœdere, vel vnione quacumque cum quocumque Saraceno, vel pagano, vel schismatico Rege, vel Principe, vel quocumque alio, Fidei Catholicæ communionem non habente: neque cum aliquo rebelli vel inimico ip sius Romanæ Ecclesiæ, vel eidem manifeste suspecto.

Item promittimus, et obligamus nos cum omni efficacia & effectu, quod personam vestram, statum, & honorem, & successorum vestrorum, contra quemcumque seu quoscumque homines, cuiuscumque status, præeminentiæ, vel dignitatis existant conseruabimus defendemus, manutenebimus: nec non omnia Priuilegia Regum, & Principum, & Imperatorum Romanorum prædecessorum nostrorum, cuiuscumque tenoris vel continentiæ existant, quocumque tempore concessa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, & sedi Apostolicæ, & quibuscumque Ecclesiasticis Prælatis, & Ministris ipsorum, conseruabimus & manutenebimus, nec in aliquo vnquam tempore contraueniemus, vel aliquem quantum in nobis erit venire permittemus, quacumque occasione, vel titulo allegato iuris vel facti, Imo ad perpetuam rei memoriam, & sanctæ Ecclesiæ securitatem, atque cautelam, ipsa priuilegia omnia, pro nobis & successoribus nostris ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innouamus & denuo concedimus, prout melius & plenius possumus ex certa scientia, ac omni efficacia & effectu, volentes, ac etiam decernentes, quod ipsa generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innouatio, & de nouo concessio proinde robur obtineant perpetuæ firmitatis, ac si omnia & singula priuilegiorum verba singulariter, & expresse, ac de verbo ad verbum præsentibus inserta fuissent. Specialiter autem & expresse, cum omni efficacia & effectu supradictis, ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innouamus, & denuo concedimus omnia Priuilegia Constantini, Caroli, Henrici, Ottonis Quarti, Friderici secundi, atque Rudolphi Regum, & Principum, seu Imperatorum Romanorum, quocumque tempore concessa, super quibuscumque cuiuscumque continentiæ vel tenoris existant, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Romanisque Pontificibus, & Apostolicæ sedi. Promittimus etiam & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, omni modo & forma, quo melius & efficacius fieri potest manutenere & conseruare omnia priuilegia cuiuscumque conditionis, vel tenoris existant: & nullo vnquam tempore contrauenire, vel aliquem quantum in nobis est venire permittere, quacumque occasione, vel causa, vel titulo allegato iuris vel facti, per quoscumque Reges, vel Principes, seu Imperatores Romanos, & præcipuè per supradictos Constantinum, Carolum, Henricum, Ottonem Quartum, Fridericum secundum, atque Rudolphum concessa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apostolicæ sedi, super recognitione, innouatione, adnotatione, concessione, quietatione, renunciatione, & libera dimissione Terrarum, & Prouinciarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vbicunque positarum. Præcipue Marchiæ Anconitanæ, cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus terminis & confinibus suis integraliter, cum omnibus iuribus, & iurisdictionibus earumdem. Exarchatus Rauennæ & Pentapoli, ac Romandiolæ, & Bertenorij Comitatus, cum ciuitate Bononiensi, & cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus

& iu-

& iurisdictionibus earumdem. Vallis quoque quæ Spoletana dicitur, siue Ducatus, cum ciuitatibus Perusij atque Castelli, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earumdem. Massæ quoque quę Trebatia nuncupatur, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earumdem. Patrimonium etiam Beati Petri in Tuscia, cum ciuitatibus Tuderti, Narinæ, Vrbis Veteris, & Reatæ, & cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, cum omnibus iuribus & iurisdictionibus eorundem. Comitatus quoque Sabinæ, cum ciuitate Interamnensi. & cum arce Cæsaris, & terra quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus, & iurisdictionibus eorundem. Comitatus quoque Campaniæ atque maritimæ, cum omnibus ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus suis integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus eorundem. et ex abundanti, denuo, et ad maiorem cautelam supradictas omnes terras atque Prouincias cum omnibus iuribus & iurisdictionibus, terminis, limitibus et confinibus eorundem, et ius, et possessionem, et proprietatem ipsorum cum omni plenitudine recognoscimus iure plenissimo, ad ius et proprietatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ spectare, et omnimode pertinere, ac ipsas omnes terras atque Prouincias adnotamus, innouamus, atque concedimus, quietamus libere et dimittimus, restituimus et renunciamus. nec non ad omnem scrupulum remouendum, et vt pax, et quies, atque tranquillitas inter Ecclesiam et Imperium iugiter vigeat, et futuris dante Domino temporibus feliciter augeatur, et omnis contentionis et dissensionis cuiuslibet materia præcidatur, prout melius et efficacius fieri et intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus et donamus de nouo. Promittentes, et obligantes nos, prout plenius efficacius possumus, quod nullo vnquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in nobis est permittemus, ciuitates, loca, Castra, Terras et Prouincias supradictas, vel aliquam ipsarum, vel earum partem, nec in ipsis vel aliqua ipsarum, vel earum parte iurisdictionem aliquam per nos, vel per alium geremus, vel exercebimus, nec iura aliqua, possessiones, vel tenutas habebimus, vel possidebimus in eisdem terris, vel Prouincijs, vel aliqua ipsarum, seu parte earum; nec officium aliquod geremus per nos, vel per alios Potestariæ, vel Capitaniæ, seu quocunque nomine censeantur in ipsis, vel aliqua ipsarum, vel earum parte: & quod tanquam Princeps Catholicus, Aduocatus & defensor S. Romanæ Ecclesiæ iuuabimus ipsam, sibique assistemus contra quoscunq; occupantes, inuadentes, vel turbantes Prouincias ipsas, ciuitates, loca, Castra & terras, vel aliquas ipsarum, vel earum partem: & quoscunque inobedientes, seu rebelles Ecclesiæ præcipue in Prouincijs, ciuitatibus, locis, Castris, & Terris eiusdem in nullo fauebimus, vel manutenebimus, seu per quoscunque faueri, seu manuteneri, quantum in nobis est permittemus; Sed contra ipsos assistemus consilijs, auxilijs, & fauoribus opportunis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, et Apostolicæ Sedi, quousque rebelles & subditi, ad plenam reuerentiam et obedientiam reducantur. Promittentes quoque Sanctam Romanam Ecclesiam, et Ecclesias alias, et libertatem Ecclesiasticam, et bona, iura, Prælatos et Ministros ipsarum manutenere, conseruare, et pro viribus defensare: vasallos quoque Romanæ Ecclesiæ contra iustitiam non offendere; et quod deuotos, et fideles Ecclesiæ, etiam in Imperio constitutos benigne tractabimus, et contra iustitiam non opprimemus, nec per alium quantum in nobis est opprimi permittemus, sed conseruabimus in iuribus et iustitijs eorundem. Prædicta autem omnia et singula inuiolabiliter obseruare, et obseruari facere; & nullo vnquam tempore contrauenire iuramus, ad Sancta Dei Euangelia, tacto libro in manibus discreti viri Ioannis de Malans Scholastici Ecclesiæ Tullensis vestri Capellani, nomine Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ ac vestro, ac de vestro mandato specialiter recipientis. de qua etiam receptione tam per nostras præsentes, quam per ipsius recipientis literas seu publicum instrumentum plane constat.

Et ad prædictorum omnium perpetuam

rei

rei memoriam, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ, & Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam, præsentes literas Regio Maiestatis sigillo munitas fecimus communiri. Promittentes, & obligantes nos cum omni efficacia, & effectu, quod post Imperialis diadematis coronationem susceptam, prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoscemus, & faciemus, & seruabimus, atque iurabimus, & de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus litteras quadruplicatas harum seriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad securitatem, & cautelam vestram, & successorum vestrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis, Imperialis Maiestatis typario communitas. Datum Rusannæ V. Idus Octob. Anno Domini Milesimo trecentesimo decimo, Regni vero nostri anno secũdo.

Item damus dictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, plenam potestatem vt supra, pro prædictis adimplendis & obseruandis, pœnas infrascriptas vice & nomine nostro, & pro nobis recipiendi, & ad eas nos obligandi, & astringendi, videlicet: quod si super præmissis, vel aliquo præmissorum, quæ in duobus dictis articulis immediate procedentibus continentur, molestauerimus, seu molestari fecerimus Romanam Ecclesiam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, oppida, castra, Comitatum Venusinum, loca, terras alias & territoria supradicta, vel aliquid eorundem inuadendo, occupando, seu quomodolibet acquirendo, vel eorum aliquid in toto, vel in parte aliqua, nisi super hoc moniti per Romanum Pontificem vel auctoritate ipsius infra tres menses post monitionem huiusmodi immediate sequentes à taliter attentatis destiterimus, & ea omnia & singula in quibus offenderimus, in pristinum statum reduxerimus, excommunicationis sententiam cum valitoribus & sequacibus nostris eo ipso incurramus, & si infra tres menses dictos, alios tres menses immediatè sequentes non fecerimus, tota terra nobis subiecta, ad hoc nobis vel nostris præbens auxilium vel fauorem, sic eo ipso Ecclesiastico supponatur interdicto. Quod si infra tres menses alios, prædictos sex menses immediate sequentes, monitioni prædictæ non paruerimus cum effectu, & per alios tres menses, prædictos nouem menses immediate sequentes de gratia expectati, monitioni non paruerimus vt præfertur, liberum sit Romano Pontifici prout sibi expedire videbitur, ad alias pœnas procedere contra nos, priuando etiam nos, si sibi videbitur Imperiali, Regia, & qualibet alia dignitate, atque alia vocatione, vel iuris solennitate. Monitio tamen prædicta sic fiat, si commode fieri possit, vt nos personaliter apprehendat.

Quod si sic non possit commode fieri, super quo stare promittimus simplici assertioni Domini nostri Summi Pontificis, possit fieri ipsa monitio in Romana Curia per publicum instrumentum & solemne, sicut consueuerunt fieri in Romana Curia citationes & processus contra absentes, quorum præsentia, siue domicilia non possunt libere, tuteue adiri.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, promittendi vice & nomine nostro, & pro nobis, & in animam nostram iurandi, quod ad euitandam occasionem veniendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum, ante diem nobis pro coronatione nostra Imperiali præfigendum, non ingredientur Vrbem Romanam, quodque eadem die, vero & legitimo impedimento cessante, Imperialem receperimus coronam, & si illa die fuerimus vere, & legitime impediti, die alia dictam accipiemus coronam, & ipsa die qua coronam huiusmodi receperimus, dictam Vrbem, vero ac legitimo impedimento cessante exibimus, cum tota etiam, quantum in nobis fuerit, gente nostra, & cessante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis dictis, extra totam terram Romanæ Ecclesiæ, nos nostro gressu transferemus versus terras nobis subiectas, nunquam postmodum ad vrbem, vel ad alias terras Romanæ Ecclesiæ, nisi de speciali licentia Sedis Apostolicæ accessuri: & siue ibi, siue alibi Imperialem receperimus coronam, terras Ecclesiæ non introibimus, nec in ipsis manebimus.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, ac in animam nostram

ſtram iurandi, quod ſuper ijs, vel eorum aliquo nullum impedimentum fingemus aut præſtabimus, aut fingi vel præſtari per nos, vel alios, quantum in nobis fuerit permittemus.

Item vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi, ac in animam noſtram iurandi, quod contra præfata, vel eorum aliquod nullatenus per nos, vel alios veniemus: & ſi contrarium quouis modo contingeret fieri per nos vel alios nomine noſtro quandocunque, ſtatim cum hoc ad noſtram notitiam deductum fuerit illud reuocabimus, & faciemus quantum in nobis fuerit, effectualiter reuocare, & pro non facto volemus, & decernemus haberi.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum plenam poteſtatem vt ſupra, ſi per præfatum Dominum Henricum Imperatorem, per nos, ſeu quemcunque alium vel alios, noſtro vel alterius noſtrorum nomine, ſeu auctoritate, aliquæ ſententiæ fuerint promulgatæ, ſeu proceſſus aliqui facti, ſeu arreſtationes perſonarum, aut rerum, aut aliqua ad iuriſdictionẽ pertinentia quandocunq; attẽtata, in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Ciuitatibus, Comitatibus, Oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis & terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel in aliquo eorundẽ immediate, vel mediate ſubiectis, illa omnia vice & nomine noſtro, & pro nobis decernẽdi, & promulgandi eſſe nulla. quodque ſi aliquę fidelitates homagiæ, obedientiæ, adnotationes, donationes, obligationes, occupationes ſeu conceſſiones qualeſcunq; à prædicto D. Henrico, vel à nobis, aut altero noſtrum, per nos, vel alium, ſeu alios factæ fuerint, ſeu receptæ pro Roma, Regnis, prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, ciuitatibus, oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus, & iuribus in eis, vel ſub eis etiam conſtitutis, à quibuſcunque ciuitatibus, vel perſonis etiam ſingularibus quouis modo, illa omnia fore nulla pronunciandi, & quatenus proceſſerunt de facto, totaliter reuocandi; & vice ac nomine noſtro promittendi, & firmandi, quod ea omnia, & ſingula pro non facto volemus, & decernemus, & promulgabimus haberi.

Item damus dictis noſtris Procuratoribus, & eorum cuilibet inſolidum, plenam poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro promittendi & iurandi, quod non ingrediemur partes Italiæ, nec in eis, nec de eis per nos, vel alium, ſeu alios aliquid adminiſtrabimus aut quomodolibet diſponemus, donec approbationem Apoſtolicam perſonæ noſtræ fuerimus aſſecuti.

Item damus prædictis Procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum inſolidum poteſtatem vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis promittendi vt ſupra, quod quandocunque poſt approbationem prædictam in Lombardiam, & Tuſciam, vel earum alteram aliquem vel aliquos mittemus, vel conſtituemus in eis, faciemus eum & eos iurare, vt adiutor, & adiutores Domini Papæ, & eius Officialium ſint ad defendendum Romanam Eccleſiam, nec non Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, oppida, Caſtra, Comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta.

Item quod non occupabunt, non recipient, nec acquirent, nec quouis modo vſurpabunt, Romam, aut Prouincias, Regna, Ducatus, Comitatus, ciuitates, oppida, Caſtra, Comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta Romanæ Eccleſiæ, in Italia, vel vbilibet extra Italiam conſtituta: & ſpecialiter, nec Regna Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, quæ de directo dominio, iure & feudo eiuſdẽ Romanæ Eccleſię eſſe noſcuntur; nec alia feuda, retrofeuda, ſeu quælibet alia loca ad eandem Eccleſiam, mediate vel immediate ſpectantia. nec iura, perſonas, vel res aliquas in eiſdem, nec dabunt, nec concedent vllo vnquam tempore in perpetuum, vel ad tempus aliqua de prædictis, ſub colore, conditione, vel titulo quibuſcunque.

Item quod prædictam Romanam Eccleſiam, aut Vos, ſeu ſucceſſores veſtros, vel Officiales, Miniſtros, vaſallos, & ſubditos eorum non inquietabunt, vel quomodolibet moleſtabunt in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, ciuitatibus, oppidis, Caſtris, Comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum, nec in caſu etiam quo Reges prædictorum Regnorum, aut Miniſtros, vaſallos, & ſubditos eorundem in Regnis prædictis, ſeu pro eis, vel aliqua earum parte aliquatenus moleſtabunt: nec aliquod domi-

nium, iurisdictionem, Superioritatem, Seruitutem, Potestariam, Capitaneatum, vel aliud Officium quodcunque quocunq; nomine censeatur, accipient, aut per eos, vel alios exercebunt in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, ciuitatibus, oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis terris alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem, adnotationem aliquam quouis modo recipient, per se, alium, vel alios pro Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, ciuitatibus, oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel pro aliquo eorundem, nec etiã pro quibuscũq; rebus vel iuribus, in præmissis, Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, ciuitatibus, oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in eorum, vel aliquibus eorum pertinentijs constitutis, etiamsi eis, vel alicui eorum à quibuslibet communitatibus, vel personis singularibus offerentur: nec etiam ius aliud qualecunque vendicabunt, acquirent, vel occupabunt, seu quomodolibet, per se, vel alium seu alios vsurpabunt, recipient, vel exercebunt; nec concedent etiam recipi vel haberi in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, ciuitatibus, oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris, alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem, & specialiter in Prouincijs, ciuitatibus, & terris supradictis, vel in aliquo de eisdem: & specialiter in Prouincijs, ciuitatibus, terris & territorijs eorum & locis expressis, in prædictis literis dicti Domini quondam Henrici Imperatoris,

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis acceptandi, quod si huiusmodi officiales nostri, vel eorum aliquis super præmissis, vel aliquo præmissorum, quæ in dictis articulis immediate præcedentibus continentur molestauerint, seu molestari fecerint Romanam Ecclesiam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, ciuitates, oppida, Castra, Comitatum Venusinum, loca, terras alias, & territoria supradicta, vel aliquod eorundem, inuadendo, occupando, seu quomodolibet acquirendo illa, vel aliqua prædictorum, in toto, vel in parte aliqua, vltra periurium in quod incident, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant: & nisi infra duos menses ab attentatis destiterint, & ea omnia in quibus offenderint in pristinum statum reduxerint, pœnas priuationis priuilegiorum quæ à Romana Ecclesia, vel alijs Ecclesijs, & feudorum quæ ab Ecclesia Romana vel ab alijs Ecclesijs, & feudorum quæ ab Ecclesia Romana vel ab alijs Ecclesijs tenent, & ab ipso Imperio, incurrent,

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & eorum cuilibet insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, quod per prædictos Officiales nostros, per nos in Lombardiam vel Italiam mittendos iurare faciemus, quod nullam iurisdictionem exercebunt in Roma, Regnis, & terris Ecclesiæ supradictis,

Item damus dictis Procuratoribus nostris, & eorum cuilibet insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod omnes supradictas promissiones, & iuramenta, & etiam infrascripta renouabimus, & iterum faciemus singulariter & expresse post approbationem personæ nostræ, infra triduum in persona propria, si præsentes fuerimus, si vero non, idem faciemus fieri per Procuratores nostros, habentes ad hoc sufficiens & speciale mandatum,

Item damus dictis Procuratoribus nostris. & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, quod nihilominus post consecrationem, & coronationem nostram Imperialem, infra dies octo, consecrationem, & coronationem eandem immediate sequentes, pro firmitate maiori omnium prædictorum, ipsa omnia & singula ratificabimus, & etiam renouabimus singulariter & expresse, & quod super præmissis omnibus, & singulis, & qualibet vice de prædictis iuxta præmissam distinctionem temporum dabimus literas nostras quadruplicatas eiusdem tenoris patentes & sufficientes, & sigillo quo dictis vtemur temporibus communitas.

Item damus dictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam

& li-

& liberam potestatem, & speciale mandatum in animam nostram iurandi, quod nullam promissionem, nullum pactum, nullumque iuramentum, nec aliquod aliud faciemus, per quod præmissis, vel eorum alicui posset in aliquo quomodolibet derogari; & quod illi, vel illis, ad hæc per Sanctitatem Vestram specialiter deputandis, & Notarijs tanquam personis publicis pro vobis, & pro Romana Ecclesia, & pro omnibus supra expressis, quocumque nomine censeantur, ac etiam pro omnibus alijs quorum interest, vel intererit, seu interesse poterit in futurum recipientibus, & solemniter stipulantibus promittemus, & super Sancta Dei Euangelia corporaliter manutacta iurabimus præmissa omnia, & singula nos facturos, completuros, & nullo vnquam tempore per nos vel alios contra illa, vel aliqua de illis quouis modo venturos, & si quod absit, contingeret nos facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquod quod præmissis, vel præmissorum alicui posset aliqualiter obuiare, vel nos, vel alios ad aliquid secus agendum inducere, vel nobis occasionem agendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum quomodolibet ministrare, nihilominus illis nequaquam obstantibus, prædicta omnia complebimus, & inuiolabiliter obseruabimus, & ad ea complenda, & inuiolabiliter obseruanda ex promissionibus & iuramentis præmissis, semper nos volumus remanere obligatos, & ex nunc etiam attestamur, & protestamur nos velle & intelligere omnia præmissa, & singula sic exclusa fore ab omnibus factis, & faciendis, per quæ præmissis, vel eorum alicui posset quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occasione nullo modo liceat, liceteue possit mutare aliquid in præmissis, vel facere contra ea, vel aliqua de eisdem.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis, bona fide promittendi, quod intrusos in Ecclesijs infra prædictum Regnum, & Imperium consistentibus, & qui eas contra ius, libertatem, superioritatem & auctoritatem Ecclesiæ Romanæ detinent occupatas, vel eas detinuerint in futurum, si super hoc per Sanctitatem vestrã, vel Sedem Apostolicam fuerimus requisiti, expellemus, ac pro posse expelli faciemus, de illis, & prouisos per Sedem Apostolicam iuuabimus, & faciemus iuuari, vt ad Ecclesias, quibus de eis per Sedem Apostolicam prouisum est, vel fuerit in futurum, realiter admittantur, suisque iuribus libere vti possint.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, per nos bona, plena & integra fide, & quantum in nobis erit procurabimus, quod Principes & Prælati, Barones maiores de Alemannia iurabunt, & sub literis sigillis eorum sigillatis obligabunt, quod si nos non seruauerimus promissa supradicta, vel aliqua promissorum, quod nos non iuuabunt, sed contra nos erunt, & Ecclesiam adiuuabunt.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, plenam potestatem vt supra, Principes prædictos ex nunc ab omni iuramento, quo essent nobis adstricti, vice & nomine nostro, & pro nobis liberandi, & absoluendi, & à fidelitate exnunc prout extunc absoluendi, in casu, in quo nos fuerimus contra Ecclesiam, vel inuademus per nos, vel alios Vrbem Romanam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, oppida, Castra, Comitatum Venusinum, loca, terras alias, & territoria supradicta, aut aliquod de eisdem.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & eorundem cuilibet insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro promittendi, quod circa terras quas Dominus Rex Siciliæ tenet extra terras quas tenet ab Ecclesia, faciemus quod ad commutationem, donationem, confirmationem, seu alias prout vestra Sanctitas volet, & ipsi Regi erit gratum, quem intendimus tractare sicut consanguineum, & affinem præcipuum.

Item vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, quod dicto Domino Regi Siciliæ offeremus vnum nostrum filium vxorandum & gubernandum, prout Vestræ Sanctitati & ipsi Regi videbitur expedire.

Item vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, quod pro securitate fidelium Ecclesiæ in Tuscia, in terris videlicet Imperij, faciemus dictum Dominum Regem Rober-

Robertum Vicarium nostrum in vita sua irreuocabiliter, si quantum, prout Vestræ Sanctitati placebit.

Item vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, quod cum prædicto Domino Rege Siciliæ, vnionem & confœderationem faciemus, prout Vestra Sanctitas duxerit ordinandum.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris; & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis consentiendi, & promittendi, quod si in præmissis articulis, vel aliquo eorundem aliquod esset ambiguum, dubium, vel incertum, declarationi, interpretationi, correctioni, & suppletioni, & ordinationi Sanctitatis Vestræ, & Domini Summi Pontificis qui pro tempore fuerit, stabimus cum effectu.

Insuper damus & concedimus supradictis Procuratoribus nostris omnibus, & cuilibet eorum insolidum, plenam, metam & liberam facultatem, auctoritatem, & speciale mandatum, vice & nomine nostro, & pro nobis coram Sanctitate Vestra, & vbicunque Sanctitati Vestræ placuerit, vel visum fuerit expedire, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, annullationes, & reuocationes quascunque, vel qualescunque superius expressas, aut non expressas concedendi & promittendi, faciendi, firmandi, & confirmandi, finiendi & perficiendi, securitates etiam & cautiones, firmitates, cautelas, & obligationes, necnon pœnitentias & pœnas in prædictis articulis expressas, aut non expressas quascumque, & qualescunque ex parte nostra exhibendi, offerendi, suscipiendi, faciendi, complendi, firmandi & perficiendi, & etiam nos ad obseruationem omnium eorundem, & singulorum, & vniuscuiusque ipsorum astringendi & obligandi. Confœderationem insuper, ligam, concordiam & vnionem cum Magnifico Principe Rege Roberto, ad ordinationem, & voluntatem Sanctitatis vestræ ex voluntate vestra faciendi, firmandi, complendi, perficiendi & roborandi, sub pactis, cautionibus, obligationibus, cautelis, & firmitatibus quibuscunque, & cautiones, obligationes, pœnas & cautelas similes ab eodem Rege, nomine nostro recipiendi, & subscribendi suprascriptis omnibus articulis & singulis, & vnicuique ipsorum addendi, supplendi, & adiungendi, ac ipsos & quemlibet ipsorum mutandi, corrigendi, & emendandi omnia & singula iuramenta, prout superius in articulis sunt conscripta: ac omnia & singula iuramenta, per Imperatorem Henricum vltimum, & alios Reges, & Imperatores Romanos præstita, & quæcunque alia iuramenta, quæ Sanctitati Vestræ præstanda videbuntur, in quocunque casu, seu casibus suprascriptis, vel alijs quibuscumque, nomine & vice nostra in animam nostram iurandi, præstandi, & faciendi præmissa, & omnia, & singula, & vnumquodque ipsorum, et generaliter omnia et singula, et quæcunque alia dictum negotium tangentia, in toto vel in parte aliqua, aut quacunque, seu qualibet sui parte, seu ex eo pendentia directe, vel indirecte superius expressa et non expressa, faciendi, gerendi, exercendi, acceptandi, offerendi, laudandi, iurandi, approbandi, complendi, ratificandi, finiendi, firmandi, perficiendi, et effectum, mandatum singulariter et expresse, etiamsi maiora, et grauiora existerent quam præmissa, et quæ nosmet facere possemus si præsentes essemus propria in persona, etiamsi mandatum qualecunque, et quandocunque exigerent speciale.

Promittimus insuper quod prædictos nostros Procuratores, omnes, vel aliquos, vel aliquem ipsorum, pendente coram Sanctitate Vestra tractatu, & negotio nostro prædicto, non reuocabimus, & si qua reuocatio, verbis, & factis, vel literis apparebit, ipsam pro nulla, & irrita haberi volumus, & eam præsentibus irritamus, reuocamus, & annullamus: ita quod in quemcunque casum aut euentum vigorem habere non possit, nec præmissis vel alicui præmissorum officere valeat, vel aliqualiter derogare.

Insuper vt præmissa omnia & singula, & vnumquodque præmissorum per nos efficaciter compleantur, & inuiolabiliter obseruentur, promittimus bona fide, & nihilominus sub hypotheca, & obligatione omnium bonorum, rerum nostrarum, nos & omnia bona nostra præsentia & futura, Notarijs infrascriptis recipientibus, & stipulantibus legitime, vice & nomine Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Benedicti Papæ XII. prædicti, necnon vice & nomine

mine Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac omnium & singulorum quorum interest, vel interesse poterit, quomodolibet in futurum, obligamusque omnia & singula, quæ in præmissis, & circa præmissa, aut quodcunque præmissorum per prædictos Procuratores & Ambasiatores omnes, aliquos, vel aliquem ipsorum præstita, promissa, iurata, annullata, reuocata, cassata, irritata, remissa, abolita, pronunciata, declarata, concessa, data, acceptata recepta, laudata, obligata, adstricta, decreta, promulgata, liberata, absoluta commutata, donata, oblata, exhibita, suscepta, suppleta, addita, mutata, correcta, emẽdata, adiuncta, supplicata, completa, ratificata, finita, inita, concordata, roborata, confirmata, acta, gesta, & facta, seu quomodolibet procurata, ordinata, disposita & tractata fuerint, rata, firma, stabilia, solida, permanentia, certa, indubitata, placita, accepta & grata perpetuis habebimus temporibus, & ex nunc, prout ex tunc habemus: & quod contra ipsa, vel aliquod ipsorum in toto, vel in parte aliqua, nullo vnquam tempore veniemus scienter, vel faciemus, per nos vel alios, verbis, litteris vel factis, directe vel indirecte, tacite vel expresse, sub ratione, colore, conditione, titulo, vel causa quibuscunque: & quod prædictas, & prædicta, promissiones, iuramenta, confirmationes, annullationes, reuocationes, cessationes, declarationes, concessiones, acceptationes, pœnarum receptiones, laudationes, obligationes, constitutiones, cautelas, decreta, promulgationes, liberationes, absolutiones, commutationes, oblationes, donationes, susceptiones, suppletiones, additiones, mutationes, correctiones, emendationes, adiunctiones, supplicationes, completiones, ratificationes, firmitates, & roborationes omnes & singulas, omnia & singula, ac omnia alia & singula, quæ prædicti Procuratores nostri, vel eorum aliqui, nomine & vice nostra fecerint, aut nos facturos promiserint: nos postquam assumpti fuerimus in Regem Romanum, faciemus in propria persona coram Sanctitate Vestra, vel alias, vbi & quando Sanctitati Vestræ videbitur expedire: nec non quod ipsas & ipsa, ac omnia & singula præmissa, & quodlibet præmissorum, de nouo muniemus, firmabimus, & approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, roborabimus nostris iuramentis, & instrumentis publicis, manu publicorum Tabellionum confectis, necnon nostris literis & sigillis, & omni alia firmitate, & firmitatibus, ac modis quibus melius valere poterunt, & Sanctitati Vestrę videbitur expedire.

Et ad maiorem omnium & singulorum roboris firmitatem, iuramus super Sancta Dei Euangelia per nos corporaliter manu tacta, quod omnia & singula suprascripta, & quæcunque alia, quæ in præmissis & quolibet præmissorum per prædictos Procuratores nostros, omnes, aliquos, vel aliquem ipsorum, facta, gesta, promissa, ordinata, & obligata fuerint, tenebimus, adimplebimus, cum omni efficacia & effectu, ac ea omnia et singula inuiolabiliter obseruabimus, et in contrarium per nos, vel alium, directe vel indirecte nunquam veniemus.

In quorum testimonium, et roboris firmitatem præsentes, per discretos viros Fridericum de Ratispona Rectorem Ecclesiæ in VVolforchusen, VVernherum dictum Bellenbergh de VVizzenhorn Diœcesis Augustanæ publicos Notarios infrascriptos publicari mandauimus, et sigilli nostri, quo hactenus vsi sumus, fecimus appensione muniri. Datum et Actum Vlmæ, Anno Domini M.CCC.XXXVI. Quinta die intrante Martio. Præsentibus nobilibus et spectabilibus viris Ludouico Duce de Teghe, Bertholdo Comite de Traispach et Marsteren dicto de Nysen, Friderico Comite in Ottingen, et Religioso viro Fratre VVolfermo de Nellemburch Magistro Ordinis Fratrum Theutonicorum Sanctæ Mariæ per Alemaniam, necnon honorabilibus viris Magistro Otthone de Rain Canonico Ecclesiæ Extecen. et Magistro Ioanne dicto Riedrer Canonico Ecclesiæ Ratisponen. ad hæc vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Fridericus de Ratispona Rector Ecclesiæ in VVolfroschusen Frisingensis diœcesis præscriptus publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictorum Procuratorum seu Ambasiatorum constitutioni, et ordinationi, ad omnes et singulos actus præmissos, nec non iuramentis, et promissionibus, obligationibus et oblationibus, ac omnibus alijs et singulis supradictis per Serenissimum Principem Dominum Ludouicum præfatum gestis et habitis, dum per ipsum age-

agerentur et fierent, vna cum præscriptis testibus præsens interfui, ac ipsa vidi et audiui, omnia iuramenta, promissiones, obligationes, oblationes, ac omnia alia et singula suprascripta recepi solemniter, et ex officij mei debito fui legitime stipulatus, vice et nomine Sanctissimi in CHRISTO Patris et Domini, Domini BENEDICTI Papæ XII. prædicti, ac vice et nomine Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac omnium et singulorum quorum intererest, vel interesse poterit in futurum: et de ipsius Domini Ludouici iussu et mandato, præmissa omnia et singula in his duabus chartis simul conglutinatis et iunctis, et in earum iuncturis. meo solito signo bis signatis, licet alia manu legaliter conscripta, publicaui, examinaui, et ipsis manu propria fideliter subscripsi, nec non signum meum consuetum hic etiam apposui, requisitus et rogatus, in testimonium omnium et singulorum præmissorum. Anno, die, nec non loco prænotatis in præsentia testium præscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum.

Et ego VVernherus Bellenbergh de VVizzenhorn Diœcesis Augustensis præscriptus publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictorum Procuratorum seu Ambasiatorum constitutioni, et ordinationi, etc. vt in præcedenti subscriptione.

CLXI. *Ludouicus errores fatetur emendationē offert.* Remissi legati, iussi sunt alios dirigere ante Mensem Decemb. ad Apostolicam Sedem. Interim deposito Cæsaris nemine, ex noua electione ius quæreret, erroresque olim admissos fateretur, et eiuraret. Obtemperauit humilis *Ludouicus*, et datis die 28. Octob. literis, missisque Oratoribus palynodiam cecinit, vt ex sequentibus, quas recitat *Bzouius* ex M.S. Archiuij Vatic.

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Benedicto XII. Diuina prouidentia Sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, filius suus deuotus, cum sui & Regni Romanorum recomendatione, deuota pedum oscula beatorum.

Nouerit Sanctitas Vestra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia, & sinceritate illustrium virorum VVillelmi Comitis Iuliacensis, Principis & affinis nostri, Roberti Comitis Palatini Rheni & Ducis Bauariæ, Principis et Patrui nostri, Secretariorum nostrorum specialium, et fidelium dilectorum, mandatum nostrum sponte recipientium in præsentia Notariorum publicorum, et testium infrascriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum, fecimus et constituimus, et per præsentes nostras literas facimus, et constituimus, creamus et ordinamus modis omnibus, quibus melius de iure facere possumus et valemus, nostros veros, certos et legitimos procuratores, Ambasiatores, negotiorum gestores, et Nuncios speciales, ac quocunque alio nomine melius dici, et nuncupari possint, dantes et concedentes in his scriptis, eis et cuilibet eorum insolidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod vnus vel alter ipsorum inceperit, alius prosequi valeat et finire, vice et nomine nostro, et pro nobis, coram Sanctitate Vestra et Sacro Collegio Dominorum Cardinalium, et vbicunque sanctitati vestræ placuerit, vel visum fuerit expedire, plenam, meram et liberam potestatem, facultatem, auctoritatem, et speciale mandatum.

1. Primo ad recognoscendum, et confitendum nos consensisse, suffragium constitisse, et non impediuisse, sed verius ad hoc operam dedisse, quod Petrus de Corbario efficeretur Antipapa, et actus faceret Papæ; et quod Felicis recordationis Dominus Papa Ioannes de facto Papatu priuaretur, et priuatus denunciaretur.

2. Item quod consensimus, et permisimus, quod dictus Antipapa consecraretur, seu verius execraretur; Consecrationes, seu verius execrationes faceret, et bonis Ecclesiarum pro suæ libitu voluntatis ordinaret: quod eius ministri, officiales et sequaces, sua officia exercerent.

3. Item quod ex his schisma in Ecclesia Dei, et multi errores secuti existunt, et super his vice, et nomine nostro, et pro nobis, nos excusandi; Primo, quod nunquam credidimus, neque credimus ipsum Petrum de Corbario fuisse Papam, sed Antipapam. Item quod permisimus, et consequenter mandauimus, eum pro tali habere, et honorari, ex eo quia Dominus Papa Ioannes, alium in Imperatorem eligi, vt dicebatur, procurabat, et nos suis sententijs, et processibus deponere conabatur. Item, quod quidam

dam ista fieri procurabant, qui discordiam talem affirmabant et dicebant, hoc populo Romano licere, et Imperatori, et instrumentis antiquis, et auctoritatibus diuersis hoc comprobabant.

4. Item quod nos, cum Petrus de Corbario in Antipapam fuisset institutus, ignorabamus determinationem Ecclesiæ fuisse factam, quod hæreticum esset, et hæresim saperet, Imperatorem Papam deponere, et alium facere.

5. Item, quod de prædictis consecrationibus, seu verius execrationibus dolemus, et quod multum nobis placet, vt puniantur qui prædicta fecerint, nisi ad gratiam Ecclesiæ redire velint vna nobiscum, et quod tunc similiter puniantur, vt vestræ videbitur sanctitati.

6. Item, quod nunquam credidimus, neque credimus nos benefacere, aut fecisse in prædictis, sed male et peruerse.

7. Item, quod illa fieri permisimus, vt redderemus malum pro malo: vt sicut dictus Dominus Ioannes Papa priuabat, etiam priuaretur; et sicut alium Regem Romanorum constitui procurabat, etiam alius Papa de facto constitueretur: et cum iniuriæ per eius officiales dicerentur, etiam iniuriæ audirentur.

8. Item, quod non credebamus nos in prædictis bene, sed male fecisse: nec credebamus dictum Dominum Ioannem Papam fore depositum, nec alium vere creatum, sed dicto et facto sic simulate faciebamus, et dicebamus sicut de facto contra nos procedebatur prout multi sapientes iudicant, et iudicabant.

9. Item, quod nunquam credimus, neque credimus, quod neque ad Imperatorem, neque ad Romanorum Regem, nec ad Romanum populum spectet Papam deponere, et alium creare; et ideo actus illos reprobamus.

10. Item quod Ciues Romani diuersarum conditionum, ad huiusmodi consensum præstandum, per diuersas vias, et modos nos induxerunt quorum fauore nos indigebamus; et eorum propterea voluntati consensimus, simulate tamen, vt in prosecutione positi, possemus transire tempus nostrum; licet nos crederemus, et credimus male facere in prædictis.

11. Item quod extra omnem spem concordiæ, cum dicto Domino Papa Ioanne et Ecclesia, vt nobis videbatur, positi, hæc fieri permisimus: quia inuiti, et nullo modo eadem vel similia, alias contra ipsum et Ecclesiam fecissemus.

12. Item ad confitendum vice et nomine nostro, et pro nobis, quod fauimus Galeatio de Vicecomitibus, et Fratribus suis de Mediolano, et eorum complicibus condemnatis, tunc vt dicebatur de hæresi, vel de fautoria hæresis vt sequitur, et super his vice et nomine nostro, et pro nobis nos excusandi. Primo, quod errores præfatorum Vicecomitum numquam sciuimus, nec adhuc scimus, nec vellemus ipsis vel aliquibus alijs fauisse, vel fauere in aliquo errore contra Fidem, nec fauimus, sed ipsos vt fideles nostros & subditos tractauimus, & eos in dominio Ciuitatis Mediolanensis sustinuimus ad tempus, & ipsis egentibus, etiam pecunia subuenimus, vt in dominio dictæ Ciuitatis Mediolanensis, & per consequens totius Lombardiæ quietius remanere possemus.

13. Item ad confitendum vice, & nomine nostro, & pro nobis, quod nobiscum tenuimus Fratres Minores rebelles Ecclesiæ, videlicet Fratrem Michaelem de Cæsena, Fratrem Franciscum de Marchia, Fratrem Guillelmum, Fratrem Bonamgratiam, Fratrem Henricum de Thalami, & aliquos eorum socios & sequaces; & quod nos consensimus appellationibus eorundem Fratrum contra Dominum Ioannem Papam præfatum; & vice, & nomine nostro, & pro nobis excusandi nos in prædicto articulo, nec non super eo quod nobis imponitur, quod eis fauimus in eorum opinionibus, & in eorum prædicationibus factis, & dictis contra Fidem & Ecclesiæ determinationem. Primo, quod protestati sumus publice & expresse, quod si in eorum appellationibus aliquid poneretur, quod esset contra Fidem, vel Ecclesiæ determinationem, quod illorum dictis non consentiebamus, sed solum ijs quæ ad iurisdictionem temporalem, & ad nostri iuris saluationem spectabunt.

14. Item quod expresse eis diximus, quod de ipsorũ opinionibus de paupertate Christi, vel alijs, inquantum essent contra Fidem Catholicam, nolebamus nos immiscere, nec intromittere, quia semper credidimus, & cre-

credimus, & credere intendimus circa articulos Fidei & Ecclesię determinationes, tam circa paupertatem CHRISTI, quam circa alia, quod credidit, & credit Dominus Papa Ioannes, & Sacrum Collegium Dominorum Cardinalium, & Sancta Romana Ecclesia. Item, quod sicut miles, scripturarum & litterarum subtilitatum ignari, quia dicebantur meliores Magistri Theologiæ, & Fratres Religiosi, non credentes nos aliquid cõtra Fidem facere, appellationi eorum consensimus, & adhærebamus, & ipsam pro defensione nostra, & iurium nostrorum & imperij interposuimus.

15. Item quod nec ex tunc, nec ex nunc consentiebamus, nec credebamus, nec consentimus, nec credimus dictis & opinionibus eorum, nisi in quantum essent, & sunt conformia Fidei Catholicæ, & determinationi Ecclesiæ. Item quod ipsos tenuimus, vt eos loco & tempore ad gremium Ecclesiæ vna nobiscum reduceremus: ita quod ipsos tenuimus vt rebelles, & inimicos amici nostri Sanctissimi Domini Papæ Ioannis, & vt de facto responderent, sicut multa de facto contra nos opponebantur, vt nobis videbatur.

16. Item quod ipsos recepimus sub dominio nostro, quia Clerici boni, & Magistri litterati dicebantur. Item quod multa dicebant pro iure nostro seruando, & iuribus Imperij conseruandis, quibus in quantum ius Imperij tangebant, sicut miles & laicus credebamus.

17. Item vt cum supradictis literatis, non possemus contra litteratos defensare, in iuribus nostris & Imperij.

18. Item quod ipsorum prædicationes, diffamationes, & blasphemias in quantum erant contra Fidem, et Ecclesiæ determinationem, et contra bonos mores non probamus, nec approbamus; sed reprobamus, et reprobare intendimus: sed huiusmodi prædicationes approbamus, inquantum iura Imperij et honorem nostrum tangebant.

19. Item ad confitendum vice, et nomine nostro, et pro nobis, quod Constitutionem, *Cum inter nonnullos*, de paupertate Christi loquentem, credimus fore veram, et Catholicam; et quod articulos, videlicet, Redemptorem nostrum, et Dominum Iesum Christum, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec etiam in communi. Rursus quod Redemptori nostro præfato, eiusque Apostolis, in his quæ eos habuisse Sacra Scriptura testatur, nequaquam ipsis ius vtendi, seu consumendi competierit, nec illa vendendi, seu donandi ius habuerint; credimus fore, iuste et rite per Ecclesiam damnatos ibidem: quos etiam nos sicut bonus et fidelis Christianus damnamus, anathematizamus, damnabimus, et anathematizabimus.

20. Item ad confitendum vice, et nomine nostro, et pro nobis, quod in appellatione quam fecimus contra quondam Dominum Papam Ioannem continetur, quod iurauimus omnia ibi contenta vera esse, cum tamen multa ibidem hæretica, et per Ecclesiam damnata contineri dicantur circa paupertatem Christi et Apostolorum, multæ etiam blasphemiæ, et super his nos excusandi. Primo, quod nos expresse excepimus, et diximus, cum dicta appellatio coram nobis facta fuit, quod de opinionibus Fratrum Minorum de paupertate Christi, et de Ecclesiæ determinationibus, nos immiscere, seu intromittere minime intendebamus: sed de his duntaxat, quæ ius nostrum, et Imperij tangebant.

21. Item quod nos nunquam iurauimus, licet sic esset scriptum in appellatione.

22. Item quod reperitur, quod Notarius qui hoc fecit, sc. Vlricus Groildonis, malitiose, et in vindictam contra nos, dicendo se per nos fuisse læsum, istam appellationem de consilio aliquorum volentium talem diuisionem seminare; quod nunquam valeret eam aliquis reparare fieri procurauit, et hoc confessus est in morte, vt à pluribus asseritur.

23. Item quod illa non credidimus, neq; credimus fore vera, inquantum sunt contra Fidem, et Ecclesiæ determinationem; nec subtilitates ibidem contentas, nec illos articulos intelleximus, cum tales, et talium ignari existamus.

24. Item quod de blasphemijs, et falsis ibidem positis dolemus, quod ibi posita fuerunt, et publicata.

25. Item ad confitendum vice, et nomine nostro, et pro nobis, quod Marsilium de Padua, et Ioannem de Ianduno, per Ecclesiam damnatos, nobiscum tenuimus: et super hoc vice et nomine nostro nos excusandi.

di. Primo, quod ipsos tenuimus, quia boni Clerici erant, & de iuribus imperij se multa scire dicebant, vt supra dictum est de Fratribus Minoribus. Item quod expresse diximus, quod de eorum opinionibus & scripturis nolebamus nos intromittere, inquantum essent contra Fidem, & Ecclesiæ determinationem: sed si aliqua dicerent vel scirent, quæ essent pro defensione iuris Imperij, illis volebamus vti. Item quod ipsorum erroribus nunquam credidimus, neque credimus. Item quod ipsos nobiscum tenuimus, vt ipsos vna nobiscum ad gratiam Ecclesiæ reduceremus. Item quod non credidimus, neque credimus nos bene fecisse, ipsos retinendo, fauorem ipsis præstando, ipsosque & eorum sequaces prædicare contra Dominum Papam Ioannem permittendo; simulabamus tamen multa & permittebamus, vt Clericis & intelligentibus de facto responderetur sicut de facto contra nos, vt nobis videbatur, procedebatur: nec credidimus, neque credimus nos bene fecisse in præmissis, sed male.

26. Item ad confitendum vice & nomine nostro, & pro nobis, quod errores infrascriptos, dogmatizatos per Ioan. de Landuno, & Marsilium de Padua suprascriptos, videlicet. Primo, quod illud quod de Christo in Euangelio Beati Matthæi legitur, quod ipse soluit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis qui petebant didragma iussit dari, hoc fecit non condescensiue ex liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. 2. quod Beatus Petrus Apostolus, non plus auctoritatis habuerit, quam alij Apostoli habuerunt; nec aliorum Apostolorum fuit caput: quodque Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem Vicarium suum fecit. 3. quod ad Imperatorem spectat, Papam instituere, & destituere, ac punire. 4. quod omnes Sacerdotes, siue sit Papa, siue sint Archiepiscopi, siue Episcopi, siue simplices sacerdotes sunt ab institutione Christi, auctoritatis & iurisdictionis æqualis: & si vnius habet plus quam alius, hoc est, secundum quod Imperator concedit vni, vel alijs, plus vel minus. & sicut tunc concessit alicui, sic potest etiam illud reuocare. Quinto, quod tota Ecclesia simul iuncta, nullum hominem punire potest punitione coactiua, nisi Imperator super hoc auctoritatem sibi daret: credimus fore, vere & recte damnatos; quos & nos tamquam bonus Christianus damnamus, & anathematizamus.

27. Item ad confitendum, vice & nomine nostro, & pro nobis quod interdicta non permisimus seruari, in multis terris & locis, & quod plures Ecclesias, & Ecclesiasticas personas permisimus grauari; & violare interdictum, multoties multos coegimus, tam sæculares, quam Regulares.

28. Item vice & nomine nostro, & pro nobis super hoc nos excusandi, quod ista fecimus, & fieri permisimus propter causas prædictas; & quia propter magnam guerram aliud commode facere non poteramus, & vt de facto ageremus sicut de facto contra nos vt nobis videbatur, procedebatur, & vt populum contra nos non concitaremus sed ipsorum murmurationem deprimeremur.

Item quod ista fecimus, volentes tempus nostrum transire reddendo malum pro malo, licet crederemus nos malefacere.

29. Item ad confitendum vice & nomine nostro, quod multos intrusimus in Ecclesijs, vel fauorem adhoc dedimus, & prouisos per Ecclesiam impediuimus seu impediri fecimus.

30. Item ad confitendum vice & nomine nostro, & pro nobis, quod cum excommunicatis participamus, & cum eisdem, in locis etiam interdictis, missas & alia diuina officia audiuimus, & celebrari fecimus, & multos celebrare coegimus. nec non in Vrbe Romana, & in pluribus alijs terris Ecclesiæ diuina accepimus, & per nos & per alios exercuimus.

31. Item vice & nomine nostro, & pro nobis super his excusari, quod hoc fecimus, tum propter causas prædictas, tum etiam vt magis nos in statu nostro firmaremus, licet nos crederemus male facere.

32. Item ad confitendum vice, & nomine nostro, & pro nobis, nos assumpsisse titulum Imperialem, & vnctionem in Roma, percepisse, male & iniuste, & à potestatem non habente.

33. Item ad confitendum vice & nomine nostro, & pro nobis quod credimus, quod ad Summum Pontificem spectat hoc facere, & ad nullum alium; & quod simulabamus

mus nos benefacere huiusmodi titulum assumendo & tenendo: Propter magna pericula, quæ nobis imminebant in statu & persona.

34. Item dictis nostris Procuratoribus, & cuilibet eorum insolidum, damus ex certa scientia, plenam, meram & liberam potestatem, auctoritatem & speciale mandatum, ad renunciandum, & dimittendum, & totaliter deponendum, vice & nomine nostro, & pro nobis titulum Imperialem Romæ per nos receptum, & quo vtimur, & hactenus vsi sumus, ac ad promittendum, & in animam nostram iuramento præstando firmandum, quod titulo prædicto Romæ per nos recepto, vlterius non vtemur.

35. Item ad promittendum vice & nomine nostro, & pro nobis, quod super omnibus prædictis excessibus, & quibuslibet alijs ista tangentibus, faciemus confessionem plenam propria in persona: petemus humiliter veniam, & offeremus, ac suscipiemus emendam.

36. Item ad confitendum nihilominus, quod præfatas excusationes non reputamus sufficientes, & ideo volumus, vt dicti Procuratores & vnusquisque eorum Sanctitati vestræ, vice & nomine nostro, pro venia & absolutione supplicent per nos commissorum.

37. Item ad supplicandum vice, & nomine nostro, & pro nobis pro absolutione, & pro nostra assumptione, & in integrum restitutione, ad famam, honorem & statum, & interdictorum in Alemaniæ partibus remotione, & singularium personarum absolutione.

38. Item supradictis nostris Procuratoribus, & cuilibet eorum insolidum vt supra, damus & concedimus, plenam, meram & liberam potestatem, facultatem, auctoritatem, & speciale mandatum, ad iurandum in animam nostram, de parendo mandatis Ecclesiæ atque vestris, super omnibus & singulis supradictis.

39. Item ad iuramentum, & iuramenta præstandum, non præfata vel similia nunquam facturos, & quod vniuersos & singulos hæreticos & schismaticos per Ecclesiam denotatos, vel denotandos extirpabimus: & specialiter supradictos Ioannem de Ianduno, Marsilium de Padua, Fratrem Michaelem de Cæsena, Fratrem Guillelmum Ocham, Fratrem Bonamgratiam, Fratrem Henricum de Thalami, & omnes alios eorum socios & sequaces, ad si vnitatem Ecclesiæ redire noluerint: necnon quod omnem hæresim & schisma detestabimur, & detestamur, & pro viribus exterminabimus toto posse.

Item ad promittendum, & offerendum vice & nomine nostro, & pro nobis, & ad obligandum nos & nostra, quod nomine satisfactionis, pœnæ, & emendæ, ac pœnitentiæ per nos commissorum effectualiter assumemus passagium vltra marinum, prout Vestræ Sanctitati videbitur expedire, & quod ibi manebimus, quantum Vestra Sanctitas duxerit ordinandum.

40. Item ad promittendum vice et nomine nostro quod pro dicto passagio adimplendo exponemus personam, & bona, & nostros amicos requiremus, prout qualitas negotij exigit et requirit.

41. Item ad promittendum vice et nomine nostro, et pro nobis, nos Ecclesias et Monasteria ædificaturos, prout Sanctitas Vestra ordinabit.

42. Item ad promittendum vice et nomine nostro, quod eleemosynas, et peregrinationes faciemus, iuxta Vestræ Sanctitatis mandatum et ordinationem.

Item quod suscipiemus, et perficiemus pœnitentias alias quascunque atque pœnas, quas Vestra Sanctitas pro dictis excessibus nobis dixerit iniungendas.

43. Damus insuper prædictis Procuratoribus nostris, et cuilibet eorum insolidum vt supra, plenam, meram et liberam potestatem, auctoritatem, et speciale mandatum, vice et nomine nostro, et pro nobis, confessiones, excusationes, anathematizationes, et supplicationes, prout in supradictis articulis continetur faciendi, emendas quoque offerendi et acceptandi, super omnibus et singulis supradictis excessibus, et quibuscunque dependentibus ab eisdem: et de ipsis adimplendis nos obligandi, sub pœnis et pactionibus, et cautionibus quibuscunque Absolutionem etiam, gratiam, veniam et misericordiam petendi, super omnibus, et singulis sententijs iuris vel hominis, quas incurrimus propter præmissa, vel aliquod præmissorum, siue huiusmodi sententiæ promulgatæ per felicis recordationis Dominum

minum Papam Ioannem XXII. prædecessorem vestrum siue per Legatum, vel Legatos eiusdem, siue per Inquisitores hæreticæ prauitatis, seu per loci vel locorum Ordinarios qualescunque: nec non supplicandi pro abolitione omnis effectus processuum, & sententiarum prædictarum. Supplicandi insuper pro assumptione nostra, & in integrum restitutione ad famam, honorem & statum pristinum, nec non assumptione nostra in Regem Romanorum, & approbatione personæ nostræ, ad Imperialem dignitatem postmodum promouendæ. Iuramenta etiam siue de stando, & parendo mandatis Ecclesiæ, siue de vlterius præmissa vel similia fore facta, excessus vel delicta non committendo, siue quælibet alia iuramenta, de quibus supra fit mentio, & quæcunque alia propter præmissa obtinenda, in animam nostram præstandi & iurandi. Articulis suprascriptis omnibus & singulis, & vnicuique ipsorum addendi, supplendi, & adiungendi, ac ipsos mutandi, corrigendi, & emendandi. Supplicandi insuper pro remotione, vel saltem suspensione interdictorum, in Ciuitatibus & terris nobis adhærentibus, & pro nobis in interdicto existentibus, nec non pro absolutione excommunicationis, & irregularitatis singularium personarum Clericorum, in quocunque statu existant, ac laicorum, & pro ipsorum in integrum restitutione, & sufficienti dispensatione. Præmissa etiam omnia & singula, & vnumquodque ipsorum, ac generaliter omnia & singula, & quacunque alia dictum negotium tangentia, vel expendentia superius expressa vel non expressa, etiam si grauiora vel eo maiora existerent, quam præmissa faciendi, firmandi, finiendi, perficiendi, & affectui mandandi, singulariter & expresse, & quæ nosmet facere possemus, si præsentes essemus in propria persona, etiamsi mandatum quantumcunque exigant speciale.

44. Promittimus insuper, quod prædictos nostros Procuratores, ambos vel alterum eorum pendente coram Vestra Sanctitate tractatu, & negotio nostro prædicto, non reuocabimus: & si quæ reuocatio, verbis, factis, vel litteris appareret, ipsam pro nulla & irrita haberi volumus, & etiam eam præsentibus irritamus, reuocamus & annullamus ita quod in quemcunque casum vigorem habere non possit, nec præmissis vel alicui præmissorum officere valeat, vel aliqualiter derogare.

45. Promittimus insuper bona fide, & nihilominus sub hypotheca, & obligatione omnium rerum & bonorum, nos et bona nostra omnia, Notarijs infrascriptis recipiendi et stipulandi legitime, vice et nomine Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Benedicti Papæ XII. prædicti, ac vice et nomine sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et omnium et singulorum quorum interest vel interesse poterit in futurum, obligamus. quod omnia, et singula quæ in præmissis et circa præmissa, aut quodcunque præmissorum per prædictos Procuratores, et Ambasiatores nostros ambos vel alterum eorum confessa, excusata, damnata, anathematizata, reprobata, promissa, iurata, oblata, suscepta, concessa firmata, approbata et supplicata, seu quomodolibet ordinata, et tractata fuerint, rata, firma, placita, accepta et grata perpetuo habebimus, et ex nunc prout extunc habemus, et contra ipsa vel ipsorum aliquos, nullo vnquam tempore veniemus, vel faciemus per nos vel alios, verbis vel factis, directe vel indirecte, tacite vel expresse. et quod easdem confessiones, excusationes, damnationes, anathemarizationes, reprobationes, promissiones, iuramenta, obligationes, firmitates et approbationes omnes et singulas faciemus in persona propria, coram Sanctitate Vestra, vel alias, vbi et quando Sanctitati Vestræ videbitur expedire. Nec non ipsas confessiones, excusationes, damnationes, anathematizationes, reprobationes, promissiones, oblationes et approbationes omnes et singulas, nec non omnia et singula iuramenta, et omnia alia et singula, et vnumquodque præmissorum de nouo muniemus, firmabimus et approbauimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, et roborabimus nostris iuramentis, et instrumentis publicis, manu Tabellionum, nec non litteris, et sigillis, et omni alia firmitate, et firmitatibus, ac modis alijs quibus melius valere poterunt, et Vestræ placuerit Sanctitati.

Non tamen per suprascriptam Constitutionem Procuratorum nostrorum, ac præsens Procuratorium, et potestatem ipsis Procuratoribus traditam, priora nostra Procura-

 rato-

ratoria, siue aliquod ipsorum Sanctitati Vestræ transmissa, & ex parte nostri præsentata, & Procuratores nostros in eisdem conscriptos, aut aliquem ex eisdem reuocare intendimus, vel aliquatenus immutare: sed volumus ea potius, & omnia in eis contenta, nec non omnia, & singula quæ virtute ipsorum per eosdem nostros Procuratores seu aliquem eorum tractata, gesta, facta, vel quomodolibet ordinata existunt, in suo pleno robore & efficacia permanere, & supradictos Procuratores nostros, prioribus nostris Procuratoribus vnimus, adiungimus, & ex certa scientia aggregamus: ita quod quicquid insimul dicti nostri Procuratores, vel aliqui, seu aliquis ipsorum in præmissis, vel aliquo præmissorum fecerint, tractauerint, egerint, procurauerint, seu ordinauerint, rata, firma, & illibata permaneant, ac si per nos ipsos fuerint facta, gesta, acta, aut etiam ordinata.

46. Et ad maiorem omnium & singulorum roboré firmitaté, iuramus super sancta Dei Euangelia, per nos corporaliter manu tacta, omnia & singula suprascripta, & quacunque alia, in præmissis, & quolibet præmissorũ, per prædictos Procuratores nostros omnes, aliquos vel aliquem ipsorum facta, gesta, acta, aut etiam promissa, ordinata, & obligata fuerint, tenebimus & adimplebimus omni efficacia & effectu, ac ea omnia & singula inuiolabiliter obseruabimus: & in contrarium per nos vel alium, directe vel indirecte nunquam veniemus. In quorum omnium testimonium, & roboris firmitatem, præsentes literas & Procuratoria, per discretos viros Fridericum de Ratisppona Rectorem Ecclesiæ in VVolfratzhusen diœcesis Frisingen. & Herdegnum quosdam Thimadi Clericum diœcesis Bambergen. publicos Notarios infra scriptos publicari mãdauimus, & sigilli nostri quo vtimur, & hactenus vsi sumus fecimus appensione muniri. Datum & actum in oppido nostro Nuremberg, XXVIII. die mensis Octobris, Anno Domini 1336. præsentibus nobilibus, & spectabilibus viris Ludouico Duce de Thete, Bertholdo dicto de Nyssen Comite in Graisperch, ac Religiosis viris Fratribus, VVolframo de Nellenburgh Magistro, & Henrico de Cipplingen Commendatore Domorum Vlmæ, & Vicerdee diœcesis Constantien. et Augusten. Ordinis Fratrum Theutonicorum S. Mariæ per Alemanniam, nec non discretis viris Magistro VVilhelmo de Augusta nostro Prothonotario, et Otthone de Rayn Canonicæ Ecclesiæ Eystetensis Notario nostro, ad hoc vocatis specialiter, et rogatis. *Hic finis*. an. 1336

QVid vltra desiderari poterat à Vicario illius Dei, qui non vult morté peccatoris, sed vt magis conuertatur, et viuat? Errantium Cæsarum similis proferatur pœnitentia, dum Pontificum frequens recurrit indulgentia. Volebat *Benedictus* pęnitenti largiri pietatem, sed Regum violentia territus, CLXII. causatus est, *nihil in Ludouici causa posse decerni, eò quod istorum Regum legati nondum aduenissent*, quasi sine Regibus consultum non esset, officio Pontificis fungi, omnibus numeris absoluti. Legatis nihilominus *Ludouici* causam strenuè vrgentibus, post multas ambages, est tandem *Benedictus* confessus, nullum seè Labyrintho exitum videre, vijs omnibus obseptis. *Bzouius, metu Regum Papa non absoluit Ludouicum. Rebdorf, & Argentinas.* Comminiscuntur aliqui optimum Pontificem (vt suæ videlicet verecundiæ consuleret) obtendisse, se à dirimenda lite diuinitus prohiberi: quod CLXIII. tamen (ait *Alb. Argent.*) non cælesti monito, sed superuacuę trepidationi tribuendum. Nam quid in *Ludouico* desideraret, non erat: postquàm nec Magalonensis Episcopus in CLXIV. Germaniam à *Benedicto* submissus, ad explorandos *Ludouici* mores, nil sugillasset: cum et hostes, ac perduelles clementia sua *Ludouicus* deuicisset: præcipuè *Ioannem Bohemum*. CLXV. Imperij libido hunc à Bauaro alienum fecerat, quia Anno XXXV. cum *Henricus Carinthius* extremum clausisset diem, Cæsar præterito Regis filio, qui *Margaretham* vnicam *Henrici* hæredem habebat vxorem (quam ob repandi oris vitium *Multasch* vulgò vocabant) Carinthiam, Carniolam, et adiunctas illis regiones, Austriacis fratribus in fidem contulisset Sola Tirolensi ditione *Margaretha* relicta. Ad comitia Imperij conquerenti Bohemo, filio suo magnam fieri iniuriam, eius vxorem paterna hæreditate spoliari, multisque argumentis, et exemplis causam agenti, respondit Cæsar, pro iure suo licere sibi, ditiones absque mascula prole hærede, ad imperium deuolutas, prò eius comodo quibus videretur, adsignare, constare sibi facti sui rationes, et

causas,

an. 1336 causas, easquè prouincias Austriæ vicinas, non aliter quietiores fore, quàm si ab Austrijs regerentur. Hac re offensus Rex inimicum in Cæsarem, et Austrios animum induit. Eadem causa *Henricus* Dux inferioris Bauariæ, qui Tirolensis reguli sororem duxerat, fœdus percusserunt in Austrios: Imperijque concepta spe Bohemus censuram ecclesiasticam refricabat, Plurima (priusquam conuenirent) intercessere discrimina: tandem pactis nuptijs *Annæ* filiæ Regis Bohemiæ cum *Ottone Bauaro*, qui priorem coniugem *Elisabetham* filiam *Stephani Bauari* amiserat; et *Elisabethæ* filiæ Cæsaris cum *Ioanne* filio *Henrici Bauari*, Pax est

an. 1337 composita. Non propterea duritiem remisit Pontifex *Benedictus*. Porrò in *Philippum Valesium* discordiæ fomitem armauit Deus

CLXVI. Angli, & Galli dissidia.

Eduardum III. Angliæ Regem, qui Galliæ regnum materno nomine repetebat. *Philippus Pulcher* Rex Franciæ tres ex vxore *Joanna* filios procreauerat, *Ludouicum Hutinum*, *Philippum Longum*, & *Carolum Pulchrum*: filias verò duas, vnam quam infantem mors rapuit, alteram *Isabellam* nomine, quæ nupsit *Edouardo II.* Anglorum Regi, ex qua nascitur *Edouardus III.* In *Carolo* filio defecit stirps virilis *Philippi Pulchri*, ex quo de regno inter *Valesium*, & *Edouardum* facta est contentio. *Edouardus* sibi ve legitimo hæredi regnum Franciæ conuenire dicebat, quòd solus ex regia stirpe esset, qui *Philippum Pulchrum* auum maternum, proximo cognationis gradu attingeret. Ex aduerso *Philippus Valesius*, qui fuit frater *Philippi Pulchri*, argumento legis Salicæ, quà à regia successione fœminas asserebat exclusas, exemplum secutus Ioannæ filiæ *Ludouici Hutini*, quam Franci in gratiam *Philippi Longi* incapacem declararant, masculino iure sceptrum arripit. Hunc Flandri finitimi populi illudentes, *regem repertum extra locum* appellabant. Grauissimum itaque concitatur bellum; quod Gallias plurimis annis exercuit, nec modò *Philippo* Regi reddidit sceptrum cruentum, sed etiam filium *Ioannem* successorem suum, Anglorum subiecit triumpho. Sic *Benedicti* Pontificis impletum est vaticinium, cum *Philippo* bel-

CLXVII. Ludouici, & Angli fœdus.

lum spiranti, vetus repetiuit oraculum. *Noluit pacem, & elongabitur ab eo.* Diuturnum bellum, vnà cum Germanis omnes ferè Christianos Principes habuit consortes. *Ludouicus* Cæsar Principes stimulabat imperij, an. 1337 Anglo in Gallos adhærere, quod Galliæ Rex non modò priuatas cum Cæsare gereret simultates, sed imperium Regni Arelatensis vetustissimo iure, tituloque vellet imminutum, atque Cameracum intra fines imperij, præsidijs occupatum teneret. Accedebat affinitas inter Cæsarem, et Anglum, nam singulas singuli duxerant *Guillelmi Hollandi* Comitis filias. Post Cæsarem fœderi subscripsere Archiep. Colon. Brabantus, Hannouius, Gelder, Iuliacensis, Montensis, et minorum gentium reguli, quorum plurimi ligij erant *Philippi* Regis. Cæsar duo millia galeatorum ære regio obtulit militatura, ea conditione, vt in singula capita quindecim floreni menstruum stipendium decernere-tur. Si tamen vltra bimestre degerent in castris, prior summa à quindenis ad vicenos excresceret. *Philippo* postea scripsit, quem *Philippum de Valesio*, non *Regem* nominauit, *quod ab occupatione terrarum imperij desisteret, ac fidelis imperij Eduardo Regi, principi suo dilecto super querelis suis iustitiam faceret: alioquin cum ipse Philippus feuda, quæ teneret ab imperio, non recognouisset sicut Rex Angliæ, ipsi Eduardo assistere cogeretur, in quantum iustitia persuaderet, & Philippo bellum indiceret.* De qua *diffidatione Papa Benedictus, ea intellecta multum iucundabatur*, ait Argentin.

CLXVIII. Argentinas. Lud. scribit Philippo.

Acceptis *Ludouicus* ab Anglo octuaginta millib. aureorũ militẽ sub signo vocauit. Excitatus *Philippus*, et ipse copias conquisierat: ducibus viris clarissimis *Ioanne* Bohemiæ, & *Ludouico* Nauarræ Regibus. *Ioanne* Duce Britannico cum *Lodulpho Lotharingo*, vt breui centum armatorum millia conuenerint.

CLXIX. Ioannis Regis Bohemiæ fœdus cum Philippo.

Annus erat trigesimus octauus, cum *Ludouicus* Colmariam accessit, vt *Bertholdum Buecbegkium* Episcopum Argentinensem in ordinem redigeret. Fuerat is de *Ludouico* optimè meritus, et auctor in Renseano conuentu, ne ad Regem Gallorum fasces traducerentur imperij. Hunc tamen *Ioannes XXII.* Papa à *Ludouico* alienauerat Spirensis primùm, deinde Argentinensis infulæ pretio. Hoc erat arcanum Pontifici, Ecclesiasticis dignitatibus hostes quærere *Ludouico*. Monitus itaque *Bertholdus*, vt Episcopatus iura, quæ regalia vocant, more maiorum à

CLXX. Episcop. Argent. Ludouico aduersus.

Ludo-

an.1338 *Ludouico* veluti Imperatore accipere, adduci non potuit. Multas propterea passus ærumnas, à familiaribus coniectus in vincula, auro, pactisque durissimis libertatem redemit; coactus tandem, vt hostium duritiem effugeret, Cæsaris rogare clementiam, licet irati, ad eum Columbariæ diuersantem venit. Voto respondit pietas; & Cesarem in omnibus propitium expertus; cum ad iuramentum Cæsari debitum posceretur, respondit, *se facturum si Patrum synodi mox futura placeret*. Quam Archiep. Moguntinus Spiræ mense Martio celebrandam indixerat. Adfuit etiam Cæsar, qui animo commoueri visus est, cum Patres ad vetera, & inania experimenta redirent. Noua tentari legatione suadebant Pontificem, Cleri nomine. Redibat in mentem tot legationum conatus inutilis, etsi ad splendorem principum, qui legationes obierant, nil addi posset. Pontificem Bauarus non sui iuris obijciebat, sed alieno obstrictum arbitrio. Modestiam, pœnitentiam, humilitatem, memorabat, quâ & viri pij, atque diuini humanique iuris periti eum abundasse miserabantur. Talia cum aduersus legationem effunderet, cessit tamen Antistitum authoritati, ne contumacem appellare vlla ætas posset, quem toties supplicem esset auditura. Quæ ad *Benedictum* scripserint, recitat *Bzouius*.

Synodus Spirẽsis.

CLXXI. *Germanorum Episcoporum legatio prò Ludouico ad Papam.*

Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino suo, D. Benedicto sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Henricus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Moguntinus, Lupoldus Babenbergens. Ioannes Basiliens. Bertoldus Argentinen. Henricus Eystetens. Bernhardus Paderburnens. Vlricus Curiens. Otto Herbipolens. ac Gherardus Spirens. & Henricus Augustens. Ecclesiarum electi, cum omnimoda subiectione, humilitate & reuerentia, seipsos ad pedum oscula Beatorum.

Cum iam dudum ex miserabili dissidio inter sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ac Dominum Ludouicum de Bauaria Christiani populi peccatis exigentibus suscitato, in Regno & Imperio Romanorum, & præcipue in prouincia Maguntina, grandium & diuersarum turbationum tempestates emerserint, ac Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis, nec non animabus hominum, quod grauius est ferendum, Regni & Imperij prædictorum innumerabilia prouenerint detrimenta, & quotidie maiora & plura prioribus occasione dissidij huiusmodi sint, vt ex verisimilibus coniecturis colligitur ac præsumitur prouentura: Nos grandes & acerbas ex hoc puncturas in nostris cordibus non immerito sentientes, nuper Dominum Ludouicum prædictum, ad ciuitatem Spirensem Prouinciæ Maguntinæ prædictæ, super hæc specialiter nostris instantiis precibus venire procurauimus, ipsum nos Archiepiscopus Maguntinus, Argentinens. Paderburnens. Episcopi, ac Spirens. & Augustens. electi prædicti personaliter; Nos vero Babenbergens. Basileen. Eysteten. & Herbipolen. Episcopi, alijs nostris & Ecclesiarum nostrarum pro tunc negotijs præditi, per nostros solennes nuncios, precibus, consilijs, ac salutaribus monitis non sine magna sollicitudinis studio exhortantes, vt ipsi ad diuini nominis gloriam, & ad vestræ Sanctitatis, ipsiusque Ecclesiæ Romanæ honorem & reuerentiam, nec non ad quietum, & salubrem statum Regni, & Imperij eorundem, velut ad vestram, & eiusdem Eccles. Romanæ, sanctæque Sedis Apostolicæ gratiam cum deuotione redire, se vestris, & ipsius Ecclesiæ, dictæque Sedis Apostolicæ beneplacitis humiliter per omnia conformando. Qui modica deliberatione præhabita se velle stare, ac parere super materia præfati dissidij, ac omnibus ipsum dissidium contingentibus, informationi, & ordinationi nostræ in quantum cum Deo, iustitia & honore suo fieri posset, efficaciter repromisit, suas patentes super hoc literas maiori suo sigillo munitas super potestate huiusmodi tradita nobis dando cautiones iuratorias, ac fideiussorias Magnorum & plurium Principum, & Baronum nobis super hoc nihilominus offerendo. Clementissimam igitur vestram Beatitudinem, omni qua valemus precum instantia, deuote ac humiliter imploramus, quatenus redeundi ad gremium S. Matris Ecclesiæ promptitudinem ipsius Domini Ludouici, qui super materia dissidij huiusmodi ordinationi Ecclesiasticarum personarum duntaxat se submittere non expauit, præmissis quoque turbationibus, dispendijs & periculis specialiter Ecclesijs & personis Ecclesiasticis, vt præmittitur, imminentibus, per vestræ Sanctitatis prouidentiam, paternis affectibus ponderatis, prædictum Dominum Ludouicum ad reconciliationis gratiam sub modo præmisso, vestra solita benignitatis clementia recipere non recuset: partes Regni & Imperij prædictorum, ac præcipue Ecclesias, & personas Ecclesiasticas earun-

an. 1338 *earundem partium, de periculis, ærumnis, & laboribus prætactis ad statum optatæ quietis per reconciliationem huiusmodi reducentes.*

Verum quia ad omnia & singula præmissa, & ea contingentia, plene ac pacifice scribendi schedula nō sufficeret, nos venerabilem Patrem Dominum Vlricum Curiensis Ecclesiæ Episcopum, & spectabilem virum Gerlacum Comitem de Nassauu de præmissis plenissime informatos, ad pedes vestræ Beatitudinis duximus fiducialiter destinandos, eandem vestram Beatitudinem ex intimis nostris affectibus exorantes, quatenus eisdem super ijs fidem adhibere dignemini creditiuam. Datum Spiræ, die xxvij. *mēsis Martij, Anno Dom. M.CCC.XXXVIII.*

Allatæ literæ, à Pontificie lectæ, & reiectæ fuere. Hoc vnum à iustissimo, sed meticuloso Pontifice æquitas exegit. Quod
CLXXII. *cum nuncios recepisset benignè* (ait Albert. Argentin.) *in aurem nuncij flens quasi conquerebatur, quòd ad Principem esset inclinatus; sed Rex Franciæ sibi scripserit, certis literis, si Bauarum sine eius voluntate absolueret, peiora sibi fierent, quàm Papæ Bonifacio à suis prædecessoribus essent facta: nuncijque ad rogatum Papæ, per Delphinum per montana sunt vsquè Lausannam perducti.* Ruperto etiam Palatino Bauariæ Duci, nepoti *Ludouici* ex fratre, qui proximè Cęsaris orator fuerat, data est Rosa aurea benedicta, Pontificiæ beneuolentiæ ac propensionis argumentū erga *Ludouicum* fuit. Infecto negotio reuersis legatis, adhuc *Bertholdus Argentinensis* sacramentum Imperatori dicere detrectabat, quamuis sua ipsius syngrapha sui admoneretur officij, in quà promiserat, nisi postremæ legationi Pontifex annuisset, in Cæsaris se fore potestate. Hostes omni destitutum auxilio, Argentinensibus etiam negantibus se prò pastore habituris, adegerunt vt Spiræ in verba Cæsaris iuraret, vt tamen Cæsarianum aliter se dici nolet, nisi vnà & Pontificium esse licuisset. Præmiserat Episcopus CLXXIV.
Papæ, & Cardinalibus nuntios (ait Argent.) in vita Bertoldi, *& vt multi Cardinalium ad subueniendum Episcopo feruenter instarent, Papa perpendens factum, dixit: Isti vellent, quod facerem perire istum bonum hominem, quem scio reluctari non posse. Papa autem* (subiungit) *ob hoc Episcopum pro excommunicato non habuit, nec eo minus ei causas scienter commisit.* Sic frequens cum Episcopis Cæsar luctabat. Argentinensem causam excepit nouum cum *Adolpho á Marca* Episcopo CLXXV.
Lediensi dissidium. Classicum canebat Brabantus, quia Episcopus *Mechliniam* Flandro vendidisset. Non resistebat Cæsar, quia Leodiensem nouerat inimicum, & cum Gallo sentire. Ad Coloniensia vocatus comitia per literas x. Cal. Feb. datas, ne responso quidem Cæsarem dignatus fuerat. In hunc Cæsar armauit *Ludouicum filium* sexaginta octo peditum, equitumque millibus, vt ad modestiam reduceret. Leodiensi Rex assistebat Bohemus sed improsperè, vnde coactus pacem petijt, & impetrauit.

Lacrymatur Papa, quia ob terrorem non posset Ludou. absoluere.

CLXXIII. *Rosa aurea donatur Rupertus Bauarus.*

CLXXIV. *Bertold. Cæsari iurat.*

A Papa toleratur

CLXXV. *Lis inter Leodiensem, & Brabantiæ Ducē.*

S. CONSVLTVM RENSEANVM. *Ann.* 1338.

CLXXVI. IDibus Iulij conuenere Rensij, Electores, Principesque Imperij magno numero; & nouissimę legationis frustratæ pertęsi, aduersus Pontificem clamabant, *sua eum abuti patientia: septemuirum conculcari dignitatem; Romanæ curiæ ligium imperium, & iugo pressum exterorum, cui præesse non posset, nisi quem Galli Pontifiri obtruderent. Id verecundiæ Germanis Principibus ad posteros fore, quod per annos viginti quinque ignauia, & crasso silentio Germanorum iura lædi passi fuerint, ac iniuriæ silendo, consenserint. Tot vicibus inclinatū ad pedes Pontificis Cæsarem, nil reportasse, præter verba ab eo, qui omnium parens, Gallorum seruiebat passionibus, & timori; cum cor contritum teneretur respicere, at humiliatum. Hoc vnum superesse, vel Gallis imperium remittere, vel Bauarum totis viribus propugnare.* In hunc modum dispositis animis, S. Consultum condiderunt, quod sequentibus recitat *Bzouius* ex *Alberico de Rosate, l. 3. C. de quadrien. præscript. & Henrico Rebdorf.*

Licet iura vtriusque testamenti manifeste declarent, Imperialem dignitatem & potestatem immediate in filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatorem & Reges mundi iura humano generi aperte tribuisse: & quod Imperator ex sola electione eorum ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione seu approbatione: quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed eidem gentes subsunt & nationes: & ipse Dominus noster Iesus* Chri-

**al. iuris vtriusq; testimonia.*

*Christus mandauit, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda. Quia tamen nonnulli auaritiæ & ambitionis cæcitate ducti, * & nullius scripturæ intelligentiam habentes, * sed diuertentes à tramite recti sensus in quædam iniqua & praua commenta, & in assertiones detestabiles prorumpunt contra potestatem, & auctoritatem imperialem, & iura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum, & Imperij fidelium committentes, fallaciter asserentes: Quod Imperialis dignitas & potestas est à Papa, & quod electus in Imperatorem non est verus Imperator nec Rex, nisi prius per Papam siue sedem Apostolicam confirmetur, approbetur, & coronetur: & per huiusmodi prauas assertiones, & pestifera dogmata hostis antiquus mouet lites, iurgia suscitat, contentiones parit, & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum euitandum de consilio & consensu Electorum & aliorum Principum Imperij declaramus, quod Imperialis dignitas, & potestas est * immediate solo à Deo: & quod de iure & Imperij consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem siue Regem ab Electoribus Imperij concorditer, vel maiori parte eorundem*, statim ex sola electione est Rex verus, & Imperator Romanorum censendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio subiectis obediri; & administrandi iura Imperij & cætera facienda, quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papæ siue sedis Apostolicæ aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu. Et ea propter hac hac in perpetuum valitura lege decernimus, vt electus in Imperatorem concorditer vel à maiori parte electorum ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subiectis Imperio debeat obediri, & administrationem & iurisdictionem Imperialem & Imperialis Potestatis plenitudinem habeat, & habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicunque autem contra hæc declarata, decreta vel definita, aut aliquid eorum asserere seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis vel literis, vel præceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratijs, iurisdictionibus, priuilegijs & immunitatibus à nobis vel prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc priuamus, & ipso iure & facto decernimus esse priuatos. Insuper eos crimen læsæ maiestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ maiestatis committentibus subiacere. Datum in oppido nostro de Franckenfurt, die VIII. mensis Augusti, anno Domini MCCCXXXVIII.*

*deuiÿ. *se habere dicentes. *pendet. * al. ab his quorum interest.

Iure an iniuria cumque incomodo Christianæ Reipub. Ludouicus supradicta vulgauerit? Historici, non iudicis partes agimus. *Albericum de Rosate* consule, qui rescriptum exarauit. CLXXVII

Epistola Electorum ad *Benedictum* Papam, exscripta ex libro Bibliothecæ Palatinæ post Chronicon *Martini* Pœnitentiarij Pontificij; teste *Bzouio*.

Grauamur non modice, & turbamur ex intimis, cum reuerendam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, matrem nostram, & ipsius summos Pontifices, quibus reuerentiam & honorem exhibere volumus promptis & deuotis animis omni vice, ac sacrosanctum Imperium, & Imperatores seu Reges ipsius, quorum defensio ad nos ac omnes alios coelectores nostros præ cæteris mundi Principibus specialiter pertinere dinoscitur, sicut temporibus præsentibus videmus ad inuicem discordare. Nam ex hoc non potuerunt sibi & populo Christiano proficere & prodesse, & prout est diuinitus institutum, sibi mutuo suffragari. Propter quæ in diuersis mundi partibus, prouincijs & terris, ipsis regendis, gubernandis commissis, innumera execrabilia pericula animarum, personarum & rerum, & diuersa scandala in Dei Ecclesia, (quod dolenter referimus) sunt suborta; & maiora præsumuntur futuris temporibus, quæ ad planum dici nequeunt vel conscribi, certitudinaliter suboriri: quæ submoueri non possunt, nisi vtraque potestas contenta sit suis Iuribus, & consuetudinibus hactenus obseruatis, & reformentur, quæ vna contra aliam attemptauit. Sanctitati vestræ cum omni deuotione, & in modum quem possumus meliorem & humiliorem referimus bono zelo, quod super præmissis, & ad consulendum & prouidendum sacrosancto Romano Imperio, cuius Iura, honores, bona, libertates & consuetudines prostrata iacent, & à diuersis personis Ecclesiasticis, & secularibus sunt, & fuerunt hactenus in graue præiudicium dicti Imperij inuasa, occupata, & mul-

multipliciter conculcata, xv. *die mensis Julij, anni* xxxvIII. *in Reinse super alueo Reni (vbi principes electores super negotijs Imperij tractandis conuenire consueuerunt ab antiquo) cum alijs omnibus principibus Electoribus Imperij in vnum fuimus congregati, & diuersis deliberationibus, & consilijs præmissis, sicut diuinæ gratiæ placuit, omnes vnanimes fuimus, & nullo penitus discrepante pro defensione, & recuperatione iurium, honorum, bonorum, libertatum, consuetudinum sacri Rom. Imperij ac totius Christianitatis, ad cuius regimen & defensionem idem Imperium principaliter ordinatum dinoscitur, disposuimus & ordinauimus, pro nobis, & successoribus nostris, & firmauimus iureiurando per sacramenta corporaliter à nobis, & omnibus coelectoribus nostris præstita; quod iura, honores, bona, libertates & consuetudines dicti Imperij, & nostra, nobis in electione Imperij competentia ex consuetudine vel de Iure manuteneamus, defendamus, & illibata conseruemus toto posse, & viribus nostris, contra omnes homines cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis, seu status existant, et quod hoc non obmittamus propter aliqua pericula rerum, & personarum, aut præcepta, mandata & processus, per quemcunque, & in quemcunq; modum, & formam prolati sint, vel in antea proferantur, contra Imperium & nos, vel coelectores nostros; per quæ dicto Imperio, ac nobis & coelectoribus nostris in prædictis Iuribus, bonis, hominibus, libertatibus & consuetudinibus prædicatum sit, vel in futurum posset præiudicium generari. Et tandem super præmisso lamentabili desiderio, & causis originalibus, ex quibus ortum dinoscitur, quod inter sanctam Romanam Ecclesiam, ac sacrum Romanum Imperium, & dominum nostrum Ludouicum Romanorum Imperatorem, iam longis temporibus diligenti, & sollicita deliberatione præhabita, nos & alij coelectores nostri cognouimus, & nobis constitit euidenter ex processibus quondam domini Iohannis Papæ XXII. prædecessoris vestri, quod ipse primo, & postea sententias excommunicationis, & interdicti (si sic dici merentur) ac alias diuersas sententias & processus de facto contra Deum, & Iustitiam, & iuris ordinem fulminauit, contra prædictum dominum nostrum, dominum Ludouicum Rom. Imperatorem, ac fautores & adhærentes sibi: qui à maiori parte Principum Electorum fuit rite, & rationabiliter in Regem Rom. electus, in Imperatorem postea consecrandus: quod se de administratione Imperij intromisit, non approbata per prædictum prædecessorem vestrum ipsius electione, quam in discordia asseruit celebratam. Per quas sententias, & processus, cum iuri et consuetudini Imperij præfato domino nostro Ludouico, nobis & alijs Electoribus Imperij permaxime derogetur; cum iure caueatur, & consuetudine, cuius contrarium memoria hominum non existit, sit rationabiliter introductum, & sine cuiusuis contradictione legitime obseruatu, sicut etiam in prædicto Parlamento per nos, & alios coelectores nostros, præhabita diligenti deliberatione, & discussione, ac consilio multorum Principum, Comitum, Baronum, & nobilium est concorditer declaratum, & sententialiter diffinitum: Quod vacante Romano Imperio is qui eligitur concorditer vel à maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus est habendus: Et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu, vel auctoritate sedis Apostolicæ, super amministratione bonorum, & iurium Imperij indiget, siue titulo Regio assumendo: quodque iura, & bona Imperij amministrare, & gubernare poterit, & de Iure, et consuetudine, nulla sedis Apostolicæ super hoc licentia habita vel obtenta. Quare cum Sanctitas vestra teneatur præ omnibus Regnis mundi defendere iura Imp. quod ad defensionem sedis Apostolicæ, & totius fidei Christianæ est cælitus ordinatum, & sine cuius salubri gubernatione, & defensione non potest in opulentia pacis persistere Christianus populus, nec bene colere pacis auctorem: Clementiæ sanctitatis vestræ supplicamus, cum omni humilitate, & reuerentia qua possumus, & valemus, quatenus sententias, & processus prænotatos, & quidquid exinde ob nos secutum est, totaliter & penitus reuocetis, tanquam in praiudicium Imp. & iurium ipsius prolatos. Quæ iura illibata pro posse seruare tenemur ratione à nobis præstiti iuramenti, vt obinde in omni obedientia, & deuotione Ecclesiæ Romanæ, & sanctitatis vestræ debeamus deuotioribus animis perpetuo permanere. Et ne, si secus fieret, nos & alij electores nostri, cum alijs Principib. Ecclesiasticis, et sæcularibus Alamaniæ cogemur inuenire, & quærere contra eosdem processus, & sententias, quamuis inuiti, remedia opportuna. Super præmissis ad Sanctitatem vestram tales transmittimus, quib. in dicendis, et peten-

an. 1338 *peten dis nostro nomine fidem, vestram clementiam petimus adhibere.* *

Suspecta tamen præsens languet epistola, quod nomen *VValdemari Marchionis Brandeburgici, & Rudolphi Palatini* præferat, quasi vterque sua illam manu, & auctoritate firmarint, cum tamen aliquot annis obierint supradicti principes, ante Renseanum ædictum, quod publicatum fuit Ann. 1338. *VValdemarus* verò vnà cum Anhaldina Ascaniorum stirpe vltimus obierit Anno 1323. vel 1322. *Rudolphus* quoque Elector Palatinus Anno 1327.

C. LXXVIII. Imperator Francofurti VI. Id. Aug. diademate redimitus, populo se spectandum exhibuit, & publicam resonauit fidei confessionem, dicens: Deo, fide, Ecclesia, anima nil vnquam sibi charius fuisse: in ea natum, enutritum, mori etiam velle. Si aliter corde sentiret, quàm ore proferret, Deum periurij inuocare vltorem, vt fallentem falleret. Christi redemptum sanguine, sacramentis rubricatum, antequàm purpuram indueret imperialem, nonnisi gloriosum sibi fore, si eidem rependeret sanguinem, & in monimentũ gratitudinis mortem obiret. Neminem porrò vt lateret, quam fidem, & religionem profiteretur, clara & alta voce *orationem dominicam* recitauit; postea *Salutationem Angelicam*, tandem *symbolum fidei.*

Ludouicus corã populo fidei professionẽ recitat.

an. 1338 Ea comitatibus, & decurrentibus riuis lacrymarum, tanto expressit ardore, vt populus prælætitia, & miseratione collacrymaretur. *Aduersus diras Pontificis* (adiunxit) *non habeo, quid opponam præter innocentiam, hanc sub potenti manu Dei depono custodiendam.* Hoc pietatis ludo, siue præludio cum populum sibi conciliasset, ante dictum recitari fecit S. Consultum, cui adiunctum vel paulo post æditum, ne quis literas sedis Apostolicæ reciperet, vel sine licentia executioni mandaret. CLXXIX.

Hæc cum Pontifex accepisset, Galliarum & Siciliæ Regibus imminens significauit periculum. Inde *Io. XXII.* contra Bauarum latas sententias publicari omnibus Ecclesiæ Prælatis mandauit. Ex quo magis ratæ, & timeri cæperunt In Orbe Christiano. *Ludouicus* verò inops consilij monachos consulebat, qui tunc apud Principem in precio erant. Quàm sanior si patientia certasset: ea forsam apud illum iudicem, qui munera haud respicit nec personas, Pontificem ipsum vicisset. Non minus famæ quàm conscientiæ est factum periculum, cum iustitiam maluit arripere, non expectare. Consulentibus itaque nonnullis ex Fratribus Minoribus, in comitijs Francofurdiensibus sub sigillo suo sequentia edidit contra processus *Io. XXII.* vt ex Mutio *Bzouius.*

CLXXX. *Renouãtur in Ludouicum diræ.*

CXXXI. *LVDOVICI RESCRIPTVM CONTRA BVLLAS IO: XXII.*

LVdouicus IV. Dei gratia Rom. Imp. semper Augustus, vniuersis et singulis Regibus Christian. ac Patriarchis, Archiep. Episc. Præsbyteris, quocnmq; honoris præfulgeant culmine, ac cæteris Eccles. Prælatis, necnon sæcularibus Principibus, Marchionibus, Dncibus, Comitib. Baronibus, Capitaneis, Potestatibus, Rectorib. Iudicibus, Prouincialibus, ciuitatum, terrarum, Rom. Imper. subiectarum, & ipsarum qnibuslibet incolis et habitatoribus, ac omnibns & singulis Christi fidelibus tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus gratiam suam & omne bonum.

Fidem Catholicam, quam sancta Mater Ecclesia tenet, firmiter credentes fideliter confidẽtes, et ipsius Ecclesiæ doctrinam in sacris Canonib. traditam sequi volentes, quibusdam allegationibus impugnationib. & oppositionib. quæ cõtra nos & electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, et contra imperialem authoritatem, & dignitatem opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, duximus in his scriptis respondendnm.

In primis contra nos & Imperialem autoritatem, dignitatem, potestatem, & ius Imperij allegatur, quod potestas & autoritas imperialis est à Papa, & electus in Regem Romanorum ex sola electione non est, nec dici potest verus Imperator, nec habet potestatem iurisdictionis antequam inungatur, consecretur & coronetur à Papa, qui in temporalibus etiam habet plenitudinem potestatis.

Ad quod respondemus, hanc oppositionem sacris Canonibus, iuri ac rationi obuiare, sicut expresse patet in c. Cum ad verum & cæt. Si Imperator. 96. distinct. *vbi habetnr, quod nec Imperator iura Pontificatus, nec Pontifex iura Imperij sibi vsurpare debet. Vbi glossa dicit, quod istæ potestates sunt distinctæ, & quod neutra dependet ab altera. Imperator enim non habet Imperium à Papa, sed à solo Deo.*

Deo 93. distinct. cap. legimus, *vbi text. quod exercitus facit Imperatorem. Et glossa ibi dicit, eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur. Probatur idem* in cap. Quoniam. 10. distinct. *quam text. ponit in longum. Infert, quod Papa non habet vtrumque gladium: alioqui, si imperium haberetur à Papa, in temporalibus posset ad Papam appellari; quod prohibet Alexander Papa dicens; illa temporalia habere suam iurisdictionem*, de appellat. Si duobus, cap. Causa hi qui si, sunt leg. ibi glos. facit, & tex. in c. quo iure 8. distinct. c. Nouit de iud. *Ex quibus concludit, quod potestas imperialis immediate est à Deo, & Imperator ex sola electione antequam inungatur & coronetur, habet potestatem imperialem, nec Papa habet in temporalibus dictam plenitudinem potestatis.*

Secundo obijcitur nobis, quod Ioannes XXII. per suos processus cassauit, ac mandauit electionem de nobis factam, & nos postea administrare non potuisse iura imperij, sed administratio ad ipsum Papam pertinebat de iure. quæ omnia sunt contra iura imperij, & contra iura, & libertates eorum, ad quos vacante Imperio pertinet electio, & contra iura ac libertates Principum Alemaniæ, & subditorum imperij, & contra consuetudines ab antiquo rationabiliter introductas. Insuper processus suos, bullas, aut litteras, quas dicitur per mundum direxisse, in quibus asserit se totam Italiam ab imperio, & regno Alemaniæ separasse, insinuans, quod Papa est Dominus vniuersalis, non solum in spiritualibus sed etiam in temporalibus, ad quæ omnia duximus respondendum.

Quod dicti omnes sui processus, assertiones & litteræ, & quæ circa prædicta gesta sunt atq; fuerunt, nulli & nulla, nullius roboris vel momenti sunt, rationibus infrascriptis.

Prima ratio, quod Papa quantumcumque legitimus, talem potestatem in temporalibus, maxime super iura imperij non habeat, clare determinant iura supra allegata. Vnde quicquid dictus Ioannes XXII. fecit in prædictis, tamquam a non suo iudice factum, nullius fuit roboris, vel momenti. secunda quæst. primo c. in primis de iudic. ad si clerici, cu m simil.

Secunda ratio, ex eo quod dicti processus, immo verius excessus, contra nos, & in præiudicium enorme nostri, & illorum qui nos elegerunt, & aliorum Principum Alemaniæ, ac totius Imperij, ex notorie falsis causis & nullo iuris ordine seruato, nobis & alijs quorum interesset absentibus, & nullo modo legitime citatis emanarunt, sunt idcirco inualidi, nulli, nullius roboris, vel momenti 3. quæst. 9. per totum. *Vbi dicitur, quod omnia quæ contra absentes in omni negotio, aut loco aguntur, irrita erunt, nec aliquam obtinent firmitatem.*

Non obstat autem, si dicatur dictus Ioannes Auinione existens cum sua curia, per literas quas dicitur ad fores Ecclesiæ publicasse, & absentes citasse, quoniam talis citatio in simili negotio est nulla, nec dicenda legitima, rationibus infrascriptis.

Prima, quia secundum iura, adhoc vt citatio dicatur legitima, necesse est quod citandus personaliter citetur, si inueniatur; aut publicetur ad domum: alias contra ipsum non potest procedi, probatur 4. q. 5. cap. quisquis de do. & contu. Caus. de cle. non re. ex tuæ, cũ vulgatis iurib.

Secunda ratio, quia adhoc vt citatio arctet ad veniendum, necesse est vt citato assignetur terminus, & locus ad comparendum securus, prout probatur c. ex parte de app. 3. q. 9. hortamur. vt lit. Non cont. accedens ff. de iudi. si locum.

Sed notorium est quod dictus Ioannes tam nos quam nostri Imperij fideles, & amicos odio capitali, & etiam hostili exercitu persecutus est. Ciuitas vero Auinionensis, & ipse Papa, ac Dominus Ciuitatis, nos & Romanum Imperium habeat odio ex antiquo. Quare desiperet, qui diceret talem citationem aliquo modo fuisse canonicam; immo, irrita fuit, & nulla.

Tertia ratio, quia nullus in propria causa debet esse Iudex, vel ius sibi dicere 23. q. 4. inter querelas. C. nequis in propria causa in rubro & nigro.

Sed notorium est, quod dictus Ioannes contendebat se etiam in temporalibus, & in nos ac in totum imperium habere plenitudinem potestatis. Et quod contra nos ac iura Imperij de facto mouebat, & iura Imperij vsurpare conabatur, & vt hostis persequi curabat. Vnde & contra eum tanquã aduersarium et hostẽ nostrũ & Imp. pro defensione nostra & fideliũ nostrorum appellauimus ad futurum generale Concil. in loco tuto, & securo celebrandum. Igitur, &c.

Tertio obijcitur contra nos, quod dictus Ioannes XXII. tam in nos quam in omnes sequaces, & fideles nostros, habentes, & tenentes nos pro Imperatore vero, & legitimo, & nobis tam-

quam Imperatori reuerentiam exhibentes, et in omnes admittentes nos ad diuina seu participantes nobiscum, &c. fulminauit execrationis sententias, & interdictum in vniuersitates. Et dicitur, quod sententia pastoris, siue sit iusta, siue iniusta, seruanda est & tenenda.

Ad quæ respondemus, quod secundum sacros canones, sententiæ & processus huiusmodi fuerunt & sunt nulli, & nullius momenti: quod probatur rationibus.

Prima ratio. Certum est, quod cum Prælatus Ecclesiæ in suo mandato excedit formam & potestatem à sacris canonibus sibi traditam, in contrarium facientes non incurrunt sententias, &c. probatur per c. cum ad quorumdam de excel. prælat. *Nam sacri canones, & Ecclesia prohibent ea, & non concedunt Papæ ius Imperij & potestatem in temporalibus. Sed Ioannes 22. ius & potestatem Imperij sibi vsurpare nitebatur. Ergo, &c. Et hic est vnus ex casibus, in quibus execrationis sententia non est aliquatenus timenda, nec obseruanda.*

Secunda ratio. Certum est de iure, vbi error est expressus in sententia vel mandato, sententia est ipso iure nulla, puta si præcipit subdito, vt non obediat suo superiori: vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra sacram scripturam. pro quo xi. quæstio 3. si is qui cum duobus.

Et idem est, vbicumque sententia est ipso iure nulla. probatur in c. per tuas, de sent. exc. de procur. in nostra præsentia. cum si. *Sed manifestum est, quod dictus Ioannes mandauit vt non obediatur nobis, cui omnes subiecti Imperio, obedire & reuerentiam exhibere secundum diuina & humana iura debent. Et quod hoc fecit, volendo sibi ius imperij in temporalibus vsurpare, quod est contra Deum & omnem institiam. Ergo, &c.*

Tertia ratio. Manifestum est, quando sententia execrationis vel interdicti fertur post appellationem legitimam, quod tunc est nulla, nec timenda, nec obseruanda. probatur de off. de leg. cum abbas. de sent. exc. per tuas, & in glos. *Sed manifestum est, quod nos contra dictum Ioannem & processus eius contra Deum & iustitiam in nos fulminatos, appellauimus ad futurum generale Concilium, & ad sanctam Catholicam Ecclesiam, quæ appellatio fuit ad ipsius Ioannis notitiam deducta, prout constat legitime: & quod ipse postea contra dictam appellationem promulgauit contra nos, fideles nostros, & nobis consilium, fauorem aut auxilium præstante. Ergo &c.*

Nec obstat, si dicitur, quod Papa non habet superiorem, & sic ab ipso non possit appellari, quoniam manifestum est secundum doctrinam Catholicam, quod Papa vbi de fide agitur, subest Concilijs, 16. d. Sicut. in tex. & in glos. 25. q. 2. sunt quidam. 19. di. Anastasius. 40. di. Si Papa. *Idem vbi de iure diuino agitur, Concilium est supra Papam, iuribus allegatis. Cum autem pro defensione iuris Imperij, quod à iure diuino, & Fide Catholica pendet appellauerimus, sequitur quod appellatio nostra interposita fuit ad superiorem, id est, ad Concilium Generale, contra aduersantes nobis, & nos, ac imperium, & Fidem Catholicam, quam Sancta Romana tenet Ecclesia impugnantes.*

Quamobrem de Concilio & consensu Prælatorum omnium & Principum Alemaniæ, congregatorum in oppido nostro Francofurt, denunciamus & decernimus processus huiusmodi nullos esse, & nullius roboris aut momenti. Ac vniuersis & singulis sub nostro degentibus imperio, cuiuscumque status & conditionis fuerint, districte præcipimus & mandamus, quatenus nulla singularis persona, aut communitas, dictas sententias execrationis aut interdicti præsumant obseruare.

Quicunq; autem contra fecerit, eos omnibus feudis quæ tenent ab imperio, & omnibus gratijs, priuilegijs, libertatibus & immunitatibus priuamus. In quorum omnium testimonium præsentes literas fieri fecimus, & nostræ imperialis maiestatis bulla iussimus communiri. Datum in oppido Francofurt, præfatis prælatis ac Principibus ibidem nobis assistentibus, die 8. mensis Augusti, anno Domini 1338. Indict. 6. regni nostri anno 24. Imperij vero xi.

CLXXXII *Religiosi à Papa destituti iterũ ad Ludouicum confugiunt.*

Edictum hoc Ecclesiam bifariam diuisit; alij se Cæsarianos clamabant, alij abhorrebant, & Pontificij dicebantur. Ædis D. Bartholomæi Canonicis Francofurdiensibus, Dominicanorum, & Carmelitarum plerisque Pontificium nomen sanctius fuit, ne Cæsaris acta probarent. Constantiam alij exilio, alij fortunarum dispendio luerunt. Auinionem plurimi ex Germania profecti, ibique questi de iniurijs, quas ob religionis obseruantiam perferrent, cum frustrà opem implorarent ab eo, cuius gratia exulabant, fame vrgente ad *Ludouicum* reuersi, & ab eo gratiose recepti, acerrimè *Ludouici* causam

an. 1338 fam egerunt aduersus Papam. Ex his Bauarus concionatores delegit, qui diatim ex suggestu resonabant. *Imperium immediatè à Deo pendere. Papam in temporalibus non præsidere. Si quid habeat, non nisi ex Cæsarum priuilegio.* Ex aduerso hostes *Ludouici* in Ecclesijs ditionum suarum excommunicationem latam vulgabant, in quos militem immittebat, sic cuncta rapinis, cædibus miscebantur *Mutius*. Inter tot rerum discrimina, *Ludouico* solatium erat tutela ab Electoribus suscepta. Vnus deerat Bohemus, qui in partes *Philippi* Gallorum Regis descenderat. Edictum etiam eodem in Comitio. an. 1338 C. LXXXIII.

Ne fideles Imperij coram alio iudicio seculari quàm Ecclesiastico ratione bonorum Imperialium respondeant.

LVDOVICVS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, magnæ auctoritatis & religionis viro, Fratri Theodorico de Altenburg, Magistro generali Ordinis Hospitalis Sanctæ Mariæ Hierosolimitani, Domus Theutonicorum, Principi suo; necnon eiusdem Ordinis Fratribus vniuersis, deuotis suis dilectis, gratiam suam & omne bonum.

1. *Grauis ad nos sæpe querela deduxistis, quod Kazimirus, qui se nominat Regem Poloniæ, cum auxilio Archiepiscopi Gnetznensis, & quorumdam Episcoporum Suffraganeorum ipsius, terras, quas a nobis & Imperio vobis collatas, & ab infidelibus proprij vestri sanguinis effusione euictas, absque quæstione cuiuslibet per longiora tempora pacificè possedistis, cum exercitu armatorum, nulla causa discordiæ inter vos, & ipsum mota, & absque diffidatione, & rationabili causa violenter inuasit, & per grauissimas cædes hominum cum auxilio infidelium ipsi associantium ipsas deuastauit, præcipuè eo tempore, quando ad laudem Dei, & vtilitatem Christiani, cum grandi vestro exercitu, & pluribus gentibus vestris contra infideles, multis vos submittendo periculis, processistis.*

2. *Insuper intelleximus, & ad nos à pluribus fide dignis sæpius est delatum, quod prædicti, Kazimirus de Polonia, Archiepiscopi, & Episcopi vos in Curia Romana super prænotatis terris deferant minùs iustè de vobis grauiter conquescendo: & quòd specialiter nominatus Kazimirus super terris vobis, & Ordinis vestro ab Imperatoribus & Regibus, prædecessoribus nostris, collatis & donatis, & auctoritate Summorum Pontificum ac Imperatorum, & Regum legitimè confirmatis, & per tempora longiora per vos possessis pacificè, trahat in causam, & tam in iudicio spirituali quam extra, vobis inferat plurimas quæstiones.*

3. *Verum cum Ordo vester sit à dictis Principibus, Imperatoribus & Regibus Romanorum, prædecessoribus nostris, fundatus, institutus & dotatus pro defensione Imperij & fidei Christianæ, & Nos & Imperium principaliter quæstiones vobis motæ per prædictum Kazimirum super terris Ordinis vestri, ac vos tanquam membra nostra, & Imperij tangere videantur, vos attente requirimus & monemus nostræ gratiæ sub obtentu, & nihilominus sub pœna amissionis, & priuationis omnium terrarum, iurium, priuilegiorum, gratiarum & libertatum, quæ a nobis & prædecessoribus nostris Imperatoribus & Regibus, vobis & Ordini vestro concessæ sunt hactenus, & indultæ, ne terras, possessiones ac iurisdictiones sic vobis donatas & concessas, ad cuiuspiam præceptum ac mandatum extra potestatem vestram aliqualiter permittatis, aut ad citationem cuiuspiam Iudicis Ecclesiastici vel secularis super ipsis de vobis conquerentibus, & causam mouentibus, seu mouere volentibus, compareatis sine nostro consensu, aut iuri aliqualiter pareatis, cum principaliter defensio earumdem terrarum nobis competere dinoscatur.*

4. *Vos etiam exhortantes, quatenus mentes vestras in virtute constantiæ roboretis, terras præmissas, in quarum acquisitione vos multis periculis submisistis, & sanguinem proprium effudistis, sub Maiestatis nostræ defensionis clypeo conseruetis, nec quorumuis timore, aut sinistrarum fictione relationum puritas uestræ conscientiæ terreatur. Nam prompta & aperta est præpotensque manus nostra contra quoslibet terras uestras inuadentes uel aliqualiter usurpantes. Ordinem enim uestrum, in quo uirtutum Domino militatis, quem in Domo Domini prælucere conspicimus, & uniuersali fidei Christianæ contra infideles salubriter prouidere tenerrimè diligimus, & corde teneamus, circa ipsum & salubrem eius statum sollicitudinis studio continuè uigilando,*

Datum

an. 1338 *Datum Franckefurt, uigesima secunda die mensis Iulij, Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo octauo; Regni nostri anno uigesimo quarto, Imperij uero undecimo.*

C. LXXXIV. *Rex Anglus Imperij Vicarius.* Interim Anglus cum trecentis nauibus in Brabantiam appulsus, *Ludouicum* ad bellum ex fœdere inuitabat: sed cum præter verba nihil adferret, & promissa stipendia nusquàm apparerent, Cæsar excitari se non est passus: fœdus ne videretur temerare, Regem, Imperij Vicarium per Germaniam declarauit. Is honor Francofurti Comitijs, Septem viris probantibus decretus fuerat, magno non dubiè usui Anglo futurus; ni promiscuè etiam aduersus Episcopos vsus fuisset, vnde & *Ludouico* inuidiam conflauit, & apud Rom. Pontificem, querelas excitauit.

Sal. An. 1339. Hinc coactis Francofurti comitijs, post *Reinaldum Geldrum*, dictum ducem, antea comitem, & *VVillelmum Iuliacensem* Marchionatus dignitate auctum, Anglo iterum ex fœdere auxiliares copias flagitanti, pacto stare negauit: quia dilatione promissi sti-

C. LXXXV.

C. LXXXVI. pendij fœdera prior Anglus periurasset. Infra dignitatem esse Imperialem, quingentis tantùm equitibus, quos Romanis Aquilis Rex destinabat, circundari. Ita fœderi renunciatum, ex inconstantia Cæsaris, vel dolo colludentis cum Rege ob occulta arcana Reipublicæ, vtrumque vulgus mussitabat. Mense postea Iunio conuenientibus Cæsarianis

C. LXXXVII. *Bernatiū victoria.* ad triginta hominum millia aduersus Bernates, quòd hi Cæsarem vt piorum cœtu extorrem auersarentur, non timuerunt in illorum conspectum cum manu exigua, & ab hoste, venire, derisi. Verùm tanto impetu Bernates in hostem irrupère, vt strage quatuor mille virorum facta, testatum reliquerint, quàm noxium sit, hostem contemnere.

C. LXXXIIX. *Obitus Henrici Bauari.* Sic Marte vbique grassante; etiam Bauaria venit in partem dissidij; mortuo *Henrico* Inferioris Bauariæ Duce, *Ioannem* eius filium, quem ex *Margarita* Bohemi Regis filia vnicum sustulerat, vna cum prouincia in tutelam Cæsar accepit. *Ioanni* tunc decenni *Rudolphi Palatini* filiam despondendam fuisse *Carolus IV.* in sua vita annotauerat: sed *Ludouico* pro sua filia ambiente, fuit illa posthabita. Cumque *Ludouici* filia per ætatem fari non posset, prò ea pater spopondit, factumque diuinitùs, vt ea illi infantia, memorabili prodigio, esset perpetua; Fides tanti arcani penes auctorem. *Ioanni* vita breuis fuit; eius hæreditatem *Fridericus*, & *Leopoldus* Austriaci, *Ottonis* ex *Elisabetha* Bauara filij, adire volebant; vel solus *Fridericus*, quia *Leopoldum* non ex *Elisabetha*, sed ex *Anna*, secunda *Ottonis* vxore aliqui dicant progenitum. Eandem ambiebat *Adolphus* Rudolphi Palatini filius, sed Imperator *Ludouicus*, vno gradu propior, reliquis est prælatus. an. 1339

C. LXXXIX. *Bauaria inferior cedit Ludouico.*

Possessionem adeptus negabat se passurum, vt *Burghusium* ab *Henrico* in viduitatis sedem attributum *Margaritæ* Bohemæ vxori suæ, penes ipsam remaneret; nisi Rex Bohemiæ viduæ pater, *Egra* quam pignoris loco tenebat, secessisset. In procinctu erat *Carolus*, armis opem sorori laturus; cùm denique conuentum est, vt renunciante iuribus suis *Margarita*, Egra in Regis ditionem transiret, modò *Ioannes* filius suus, qui apud Tyrolios imperabat, solenni & vsitato Principibus obsequio Sacramentum Cæsari diceret, seque eius beneficiarium profiteretur; Quod à *Ioanne* negatum. *Margaritæ* saltem obitum absque pietatis iniuria præterire non possum. Poloniæ Rex, qui in eius amorem, viuente marito inciderat, viduam in thori, & regni consortem inuitabat. Annuebat, imò & ambiebat *Margaritæ* pater: nuptiarum conciliator futurus Regem in conspectum filiæ adduxit, tunc ex morbo decumbentis. Iussa hospitem salutare, imo sponsum, peregrino offensa cultu, maritum à Christo auersata alienum, refugientibus ab eo videndo oculis, animam edidit.

CXC. *Dissidiū cum Margarita Bohema.*

CXCI. *Eius exitus memorabilis.*

BELLVM ANGLO GALLICVM. Ann. 1340.

CXCII. ALternantis fortunæ vices expertus, Gallus non semel terra, mariq; victus, pacem suspirabat. Feminę sua natura discordiarum exordium, hic finem imposuere dissidijs, & pacem conciliarunt. *Ioanna Valesia* soror *Philippi*, quæ ex *Vilhelmo* Hollandiæ Comite Augustam, & Reginam Angliæ genuerat, viro vita functo in Fontanellensem Parthenonem pietatis secesserat studio. Hæc ex fratris consilio filiam ad pacis amorem incitare non destitit, donec vicit: & sub finem Septembris, conuenientibus vtriusque Regis legatis ad Eplechinensem ædem, haud Tornaco procul, indu-

Induciæ inter Gallos, & Anglos.

ciæ

An. 1340 ciæ in decem menses sunt constitutæ. Inde
CXCIII. vt *Ludouicum* ab *Eduardi* amicitia abdu-
ctum partibus suis adiungeret, animum adiecit *Philippus*. *Margarita* Ludouici coniugi, *Ioanna Valesia* filiæ arcanum impositum. Augustæ nomen ante hac negatum, magna ei verborum ambitione concessum: additæ illecebræ, quas necessitas suadebat. Reperita ex vetustis annalibus commoda, quæ Gallico Germanoque fæderi obtigissent. Spes reconciliandi *Ludouicum* cum Pontifice oblata; quæ *Ludouicum* vrgere fore credebatur. Nec fefellit opinio, nam conditionem *Ludouicus* amplexus, legatos faciendo fæderi *Philippo* destinauit. Quo-
CXCIV. *Fadus Ludouici cum Gallo.* minus cócluderetur, odiosi intercessere litigatores, diras Pontificias refricantes, quæ Cæsarem à piorum consortio, & amicitia remouebant. Inter plurima, quæ prudenter legati in honorem *Ludouici* responderunt, hoc vnum præualuit, *quod si vetera anathemata valida credidissent, Ludouicum ad fędus nequaquam fuisse inuitandum. Turpissimam esse simulationem, Ludouicum ab Anglo auertere, vt malis artibus, hostibus & amicis odiosum facerent.* Percussum itaque fędus, quod an peierauerit Gallus, digladiantur nationes. Inexorabilem se præbuisse Pontificem, negando se in piorum album *Ludouicum* relaturum scribunt Galli; ex compacto verò *Ludouici* causam ingressum *Philippum*, vt vinci mallet à Pontifice, quàm vincere, dicunt Germani. Citra dubium est, quod personam suam neuter satis scitè An. 1340
egit. Rex quidem meliùs loquebatur, quàm sentiebat. Pontifex benè sentiebat, sed male vel timidè loquebatur. Poterat Bauarus *Deluditur Ludouicus.*
vicem rependere simulando, sed in periurio vicit constantia, ne scelera geminaret, & inconstantiæ argueretur. *Eduardum* de nouo cum Gallo fœdere certiorem reddidit; *quod tam sibi fuerit integrum, quàm concessum Regi, se inconsulto inducias inire cum hoste. Eo tamen respexisse, vt conciliandorum Regum viam inueniret, & æquo iure disceptantes audiret. Honestissimam ne aspernaretur conditionem, vt quem patronum suæ causæ expertus fuerat, nunc arbitro vteretur.* Eduardo Augustiniano Eremitæ datæ sunt epistolæ, quæ ingratæ vt & nuncius Anglo fuere, eo maximè, quod *Vicarij* nomen Imperator CXCV.
ipsi ademisset. Negauit opus esse arbitrio, quod iam Cæsar probauerat. Inducias fuisse necessarias, nouum fędus honestum non apparere. Fædera cum amicis percuti, quorum in numero *Philippus* non erat, sed *Ludouici* hostis acerrimus. Creuit offensa, quia cum Anglus filiam Monachium misisset, vt *Friderico* Austrio *Othonis* filio nuberet; & à *Ludouico* Rex peteret, quod nupturæ dotem ex pecunia iam pridem in apparatum militarem ab Anglo effusa, conficeret. Recusauit *Ludouicus*, quapropter filia innupta ad patrem redijt. Spem connubij immatura mors extinxit *Friderici*, quem *Leopoldus* frater breui secutus est.

MARGARITAE MAULTASCHIAE DIVORTIVM. An. 1341.

CXCVI. Nouum dissidium *Margaritæ Maultaschiæ*, & *Ioannis* filij Regis Bohemiæ, nouam spargit in *Ludouicum* inuidiæ segetem. Accusabat ipsa maritum, quòd frigidus seu naturæ vitio, seù fascino impotens ad carnalem copulam, vinculi matrimonialis specie virginem adhuc teneret inclusam, licet ei cohabitauerit per annos decem. Habebat in dote *Tirolense* dominium vnde & patriæ intererat, *Margaritam* fieri matrem. Causa impotentiæ, quæ adducebatur, an vera? negare videtur idem *Ioannes*, qui postea numerosa prole ex *Margarita Opauiæ* Principe suscepta, & ea demortua ad *Margarita Austriaca*, ac demùm ad VValseensis Dominæ matrimonium, citrà impotentiæ querelam fuerit admissus. Sed hoc vnum fuit satis, ad dissolutionem primi coniugij, quòd cum *Maultaschia* iungi minimè posset. Nouum exigenti maritum, *Ludouicus Branderburgicus* Cæsaris filius occurrit, cuius vxor *Margarita* filia Regis Daniæ nuper mortua erat. In eum coniecti oculi, cuius potentia posset sustinere repudium. Annuit Cæsar. Solus Branderburgicus auersabatur, infamiæ metu, ne alieni coniugij inuasor audiret. Terrebat etiam quod *Margarita* tertio consanguinitatis gradu coniuncta cum *Ludouico* iuniore, ab eius arcebatur coniugio. Fit tamen, Cæsare annuente, diuortium, non ecclesiæ auctoritate, (ait *Rebdorf*) sed Imperiali, vt ex sequenti formula, & informationibus *Marsilij Patauini*, & *Gulielmi Ochami*, qui aduersus

an. 1341 uersus Pontificia iura classicum canere non cessabant.

CXCVII. Diuortiũ matrimonij autoritate factum imperiali.

Diuortium inter Iohannem filium Regis Bohemiæ, & Margaritam Ducissam Karinthiæ, celebratum per Ludouicum IV. Imper.

*NOs Ludouicus Quartus, Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, uniuersis Christi fidelibus, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, manifestum esse volumus & facimus per præsentes; Quod in iudicio coram nobis per se seu per certos nuncios suos seu procuratores exposuit illustris Margareta Ducissa Karinthiæ, & Tyrolis comitissa, quod vir nobilis Iohannes Regis Bohemiæ filius iamdudum sibi matrimonio copulatus, & postmodum in ætate debita constitutus, ac per tanta temporum spacia secum habitans, quanta sufficiunt ac sufficere debent, secundum statuta tam diuinæ, quam humanæ legis, ad debitum carnalis copulæ per virum siue maritum suæ vxori reddendum; Eadem Margaretha in ætate sufficienti similiter constituta, & seipsam vt conueniens fuerat præbente & exhibente ad præfatam copulam carnalem explendam; non potuit dictus Iohannes neque valuit, sicuti neque valet, aut potest, nec vnquam posse creditur in futurum, eandem carnaliter cognoscere sibi coniugem Margaretam: quemadmodum multis, & quasi omnibus possibilibus modis hoc tentans, eundem Iohannem impotentem & omnino inhabilem ad opus præfatum se dicit expertem; ac aduersus eundem Johannem, sibique præfatum defectum inexistere, coram nobis in iudicio se reddidit per experimenta sufficientia & testimonia qualibet ad hæc necessaria probaturam. Quare super hoc habito maturo & deliberato consilio suorum procerum, & consiliariorum omnium, nostram clementiam atque iustitiam vna cum præfatis implorauit, & requisiuit instanter, vt eidem super hoc prouidere de conuenienti remedio dignaremur: & taliter etiam, quod per ius siue sententiam nostram licite possit à supradicto Iohanne, iam vocato marito siue coniuge suo, de matrimonio separari propter casum siue impedimentum prædictum, & ab eodem Iohanne totaliter sic absolui, vt eidem de cetero ad nullum matrimonij debitum teneretur, sed posset de seipsa, & suis omnibus ordinare, secundum quod sibi expediens videretur. Nos vero, cuius debitum est omnibus ac singulis reddere iustum, ex officio et autoritate qua fungimur, præfatam Margaretham cum præfatis suis omnibus iustitiam instantissime requirentibus, & supplicantibus, nobis dignum duximus exaudire: & nihilominus absque offensa iuris præfati Iohannis iam vocati coniugis sui, si ius aliquod in contrarium habuisset, ad expeditionem seu terminationem litis præmissæ inter vocatos coniuges præfatos processimus, in hac forma, videlicet, quod vocatos coniuges præfatos citari fecimus atque vocamus in iudicio coram nobis, assignantes eisdem secundum formam iuris debitum atque tutum locum, & temporis spatium, infra quod possent, & deberent in iudicio coram comparere, ad agendum & defensandum, & cætera faciendum, quæ necessaria forent pro inquirenda veritate super lite præfata. Verum Margaretha iam dicta per se seu per suos certos nuncios siue procuratores sufficienter comparuit in iudicio coram nobis per omnes terminos sibi assignatos, & cum omnibus probationibus, & testimonijs sufficientibus, ad conuincendum sæpe dictum Johannem impotentem esse atque priuatum naturali potentia ipsam carnaliter cognoscendi, aut quamuis aliam mulierem: seipsam quoque virginem esse vsque in tempus, et diem dati præsentis rescripti, per sufficientia testimonia demonstrauit. Supradictus vero Iohannes in præfatum iudicium coram nobis, impositi sibi defectus per præfatam Margaretham verisimiliter conscius, nec per se, nec per aliquem legitimum nuncium siue procuratorem comparuit tempore debito siue statuto: nec quicquam in contrarium impositi sibi defectus per Margaretam præfatam per se vel per alium allegauit: sed contumax ex natura se conuictum reddidit, atque confessum de his omnibus quæ sibi per prædictam Margaretam fuerant tam imposita, quam probata sufficientia quidem ad matrimonij diuortium inter ipsam, & præfatum Iohannem per sententiam consummandum. Nec potest, nec vnquam cum veritate poterit sæpe dictus Iohannes, aut quiuis alter pro ipso, iudicem vel locum comparendi per nos sibi assignatum allegare suspectum. Nam hactenus retroactis temporibus tam Iohanni Regi Bohemiæ patri suo, quam etiam Karolo de Bohemia fratri suo, pluries, & locis pluribus nostræ coactiuæ potestati subiectis, fidum ac tutum placitandi nobiscum assignauimus locum, in quo per-

sonaliter affuerunt, & cum omni tranquillitate manserunt, ac inde absque molestia qualibet secundum ipsorum beneplacitum recesserunt. Quod & ante dicto Iohanni benigne offerri fecimus, & acceptare contempsit, vt supra iam diximus. Per auctoritatem ergo nobis rite debitam & concessam, & lege diuinæ conformiter, sicuti certum est, & asserunt sacræ scripturæ, siue leges diuinæ atque ciuiles sententiæ sufficientes, ac comprobati doctores, ad diuortium siue separationem matrimonij faciendam inter vocatos coniuges Iohannem & Margaretam prædictos procedere volentes atque debentes, infrascriptam sententiam tulimus in hæc verba: Nos Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro tribunali iudice sedentes, in causa siue lite diuortij seu separationis matrimonij, quæ vertebatur inter illustres personas, Iohannem Regis Bohemiæ filium, requisitum parte ex vna, & Margaretham Ducissam Karinthiæ, & Tyrolis Comitissam, ex altera parte, tanquam actricem, ac requirentem à dicto Iohanne iam vocato coniuge suo de matrimonio separari: Visis & intellectis tam per nos, quam præfatos Doctores iuribus rationibus, probationibus, & testimonijs Margaretæ præfatæ, nec non contumacia iam dicti Iohannis dicimus, diffinimus, & determinamus, præfatam Margaretam separari debere seu posse de matrimonio à præedicto Iohanne, eque conuerso, cum ijsdem vel ipsorum alteri id videbitur expedire. Ipsam quoque Margaretam hoc requirentem instanter, vt supra, separamus, absoluimus, & separatam esse iudicamus in matrimonio à iam dicto Iohanne per hanc nostram sententiam diffinitiuam. Simili quoque modo supradictum Iohannem à præfata Margareta in matrimonio per auctoritatem, et hanc nostram sententiam diffinitiuam separantes: ita videlicet quod de cætero præfatus Ioannes supradictæ Margaretæ in nullo matrimonij debito teneatur: neque similiter præfata Margareta supradicto Ioanni. Sed liberum sit vtrique de corpore proprio, siue persona, & omnibus bonis proprijs, iuribus ac rebus tam mobilibus, quam immobilibus facere vel disponere, & quodlibet ordinare pro suæ propriæ libito voluntatis.

Informatio *Marsilij, & Ochami?* qualis fuerit lege.

CXCVIII. DIVORTIVM MATRIMONII AVCTORITATE FACTVM IMPERIALI.

AD ampliorem euidentiam tam dictorum, quàm & dicendorum, ad redarguendum quoque voces, & obstruendas fauces malignorum detractorum quorundam; nunc forte dicentium, & dicere volentium in futurum, nos in præsenti negotio siue iudicio processisse de facto tantummodo & non de iure; cum iudicium de matrimonij diuortio faciendo spirituale sit, & propterea ad auctoritatem nostrā minime pertineat, quemadmodum dicunt Episcopi quidam siue Presbyteri cum suis sequacibus, minus verè; idque à paucis retrò temporibus prædicauerunt, & per quasdam verborum fallacias hoc credere fecerunt plurimos simplices Christi fideles. Ad tollendum etiam scrupulum conscientiæ ab huiusmodi fraude deceptorum, atq; zizaniam de cordibus hominum per iam dictos veritatis præuaricatores, ac Romanorum Principum persecutores infestos, & Imperialium iurium vsurpatores manifestos, vndique seminatas præfatorum Doctorum sententias sub breuiloquio, quantum possunt, huic rescripto non inutiliter duximus inferendas.

2. *Dicunt ergo & scribunt seriosius in suis tractatibus iam dicti Doctores, quòd Christi fideles reguntur, & viuunt sub duplici lege, diuina videlicet & humana. Lex autem propriè sumpta præceptum coactiuum est de fiendis aut omittendis humanis actibus, sub pœna transgressoribus infligenda. Verum Lex diuina est coactiuum præceptum à Deo factum immediatè, absq; humana deliberatione, propter finem in futuro sæculo consequendum, et sub pęna transgressoribus infligenda in eodem tantummodo, non præsenti. Sed Lex humana voluntate seu deliberatione procedens propter finem immediatè in hoc sæculo consequendum, & sub pęna in eodem solummodo transgressoribus infligenda. Iuxta quæ oportet attendere, quod secundum vtramque iam dictarum legum sunt quædam affirmatiuè præcepta, de fiendis videlicet: quædam verò negatiuè, de omittendis scilicet non fiendis, vocata* prohibita. *Sunt & quædam permissa fieri & non fieri, quæ sub præcepto affirmatiue vel negatiuè non cadunt, & in Lege diuina quædam vocata* Consilia. *Et sunt iam dicta permissa generaliora præceptis, quoniam omne præceptum est permissum fieri, sed econtra non semper. Similiter quoque prohibitū fieri, permissum est non fieri, quamuis non in omnibus*

nibus econtra. Simile quoque intelligendum secundum legem humanam in affirmatiuis præceptis, permissis et prohibitis, quamuis differant sub pœnis: quoniam secundum Legem diuinam præcepta, & prohibita obligant transgressores ad pœnam æternam, secundum humanam verò ad pœnam temporalem.

3. Est rursum aduertendum, quod secundũ vtramq; iam dictarum legum, nomina præcepti & prohibiti duas intentiones siue significationes habere possunt: vnam videlicet, quod nomine præcepti siue prohibiti intelligatur actus præcipiendi siue præceptio à præcipiente procedens, quasi actiuè sumpta. Reliquo verò modo, vt intelligatur per prædicta nomina non actus præcipiendi eius, qui præcipit vel imperat, sed potius actus aut opus, cui aliquid præcipitur seu imperatur, quasi passiuè, quomodo dicitur ex vsu, seruum fecisse præceptum Domini, cũ id egit aut agere omisit, quod sibi per dominum suũ præcipiebatur fieri vel omitti; verbi gratia, vt equum parare, vinum propinare, ac reliqua seruitia talia. Et isto modo significat siue sonat præceptum siue prohibitum idem quod imperatum, nõ imperium siue actum præcipiendi sumptum actiuè, quoniam hunc non fecit seruus, in quantum seruus, sed solummodo dominus.

4. Amplius est etiam attendendũ, quod præcepta tam affirmatiua, quàm negatiua, atq; permissa vocata consilia, secundum legem diuinam spiritualia sunt essentialiter atq; dicuntur. Primum quidem quoniam à Spiritu sancto immediatè tradita & instituta sunt, quemadmodum dicit B. Ambrosius super Apostolũ posteriori ad Cor. c. 9. Spiritualia, inquit, sunt lex Euangelica, & verbum Dei. Et sunt etiam fortasse spiritualia, gratiæ siue dona Spiritus sancti, quæ fiũt & perueniunt in animabus Christi fidelium a verbis Euangelicis supradictis. Secundò verò dicũtur etiam diuina præcepta spiritualia à viuificando, quoniam ad viuificandum spiritum siue animam humanam data sunt. Sane & propter beatitudiné æternã tradita, et statuta fuerunt illa, quæ dicuntur præcepta & prohibita legis diuinæ actiuè sumpta. Alia verò spiritualia quædam non sunt essentialiter, sed à quibusdam spiritualium vocabulum sumpserũt, propterea quod ad prædicta spiritualia exercẽda vel ministrãda seruiunt, et sunt per homines ordinata, quemadmodum personæ siue corpora Sacerdotũ. Sic etiam domus vocatur Ecclesia, secundum quandam Ecclesiæ significationem. Sic quoque vestes, vasa, libri, & instrumenta quædã alia ordinata per homines propter cultũ diuinũ. Sic etiam ieiunia, eleemosynæ, ac reliqui quidã actus & hominũ opera de diuinis siue spiritualibus, & circa vel propter spiritualia, quib. inexistũt, veluti paramẽta, spiritualia dicta sunt. De quibus omnibus, quoniã nota, omittuntur exempla propter abbreuiationem sermonis. Proportionaliter quoq; secundũ Legem humanam sunt præcepta, prohibita, & permissa actiuè sumpta, & alia similiter imperata, quæ omnia dicuntur tẽporalia, propterea quod ab homine tradita sunt, & immediatè statuta. Et rursus propter vitam huius sæculi temporalẽ vocatam, quod tempore clauditur, et finitur, talia statuta sunt et fuerũt.

4. Insuper attendere conuenit, quod quãuis præcepta, & prohibita, & consilia, secundũ Legem diuinam actiuè sumpta, differant à præceptis secundum legem humanam, quoniã ab alio Legislatore, & ad alium finem, & sub aliis pœnis, temporibus et modis eas transgressoribus inferendi, statuta et ordinata sunt talia, tamẽ personæ cũ suis actibus, imperatis & operibus, quibus præcipitur siue imperatur per legem vtrãq; in omnibus quasi vel saltem in pluribus, eadem esse possunt & sunt. Verbi gratia, furtũ non fieri, vel homicidium, vel rapinam, vel fraudem, aut falsum testimonium, et similia reliqua, quæ præcipit tam diuina, quam humana Lex nõ esse fienda. Similiter quoq; in cæteris præceptis, vt mutuum restituere, atq; depositum. Rursus quod eadem esse possunt personæ, & earum consimiles actus, quibus & de quibus tam temporalia, quam circa spiritualia præcipit vtraque lex. Nam circa temporalia, & de temporalibus tam per Sacerdotes, Episcopos, siue Presbyteros, Diaconos, & alios spirituales ministros, & similiter per non Sacerdotes, vocatos Sæculares aut Laicos, potest aliquid fieri vel omitti licitum aut illicitum, secundum præcepta vel contra tam diuinæ, quàm humanæ legis, & iustè corrigenda siue puniendat am in statu præsentis sæculi, quàm futuri, per pœnam videlicet transgressores arcendo, qualia sunt crimina, quæ pridem in exemplis adducta sunt. Sic etiam de spiritualibus, & circa spiritualia quomodolibet appellata, potest licitum aliquid per prædictas personas & actus ipsarum, & illicitum similiter fieri vel omitti; veluti hæreses parere, siue actus illicitos docere, & bruta quædam baptizare, dæmonibus satisfacere, quemadmodum faciunt quidam scelerati sortilegi; alia quoque

crimina committere, vt vasa, libros, vestes, & reliqua choralia instrumenta cultui diuino deseruientia rapere vel furari, & reliqua similia huius, iustè in hoc sæculo & futuro punienda per pœnam realem aut personalem, secundum legem vtramque, diuinam videlicet & humanam, quamuis differenter & differentibus pœnis, ac iudice, loco & tempore, quemadmodum dictum est, & infra seriosè dicetur.

5. *Est adhuc etiam aduertendum, quod si præcipit Lex diuina fiendum vel omittendum aliquid, quod fieri vel omitti non præcipit Lex humana, sed potiùs oppositum præcipiat vel permittat, debet seruari Legis diuinæ præceptũ, humana Lege vel eius opposito præcepto vel permisso contempto siue dimisso, quoniam præceptũ legis diuinæ infallibilem continet veritatem, humanæ verò legis non sic. Rursum quoniam diuinum obligat transgressorem ad pœnam æternam, humanum verò ad temporalem siue finitam, & minus ab homine fugiendam.*

6. *Est amplius attendendum, quod vtraq; iam dictarum legum habet proprium & diuersum immediatum Legislatorem & iudicem, vt dictum est suprà. Et rursus quoniam duplex est iudex, vnus quidem Doctor solummodo, & fortassis etiam de aliquibus operatur, sicuti fidelis est, secundum quamlibet disciplinam, quomodo etiam scripsit famosus ille philosophus Aristoteles nominatus, quod* vnusquisq; est bonus iudex eorum quæ nouit, & hoc bene iudicat, veluti medicus de sanis & ægris. *Alius verò iudex est principans propriè vocatus, cui tradita auctoritas, & data coactiua potestas transgressores legum per pœnas arcendi. Et est hic siquidem iudex secundum legem humanam, de quo dixit Apostolus, quod* non sine causa gladium portat, *id est, coactiuam & armatam potestatem habet,* quoniam minister Dei est, vindex in iram ei, qui malum agit, *esto etiam quod humanarum legum Doctor non existat. Secundum enim diuinam iudex est coactiuus, de quo Apostolus dicit B. Iacobus in Canonica sua,* Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere, & liberare.

7. *Iis itaque suppositis, tanquam veris et notis, dixerunt & scripserunt in suis tractatibus præfati Doctores, quod secundum legem diuinam legislator & iudex coactiuus secundum ipsam est Christus, sicut per beatum * dictum est supra. Ipse enim tulit legem diuinam, seu nouum Testamentum, per os tam Apostolorum quàm aliorum Sanctorum quorundam. Vnde Apostolus:* An experimentum eius quæritis, qui loquitur in me Christus? *Et Beat. Petrus in sua Canonica dicit:* Non ab humano spiritu allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. *Hic autem Legislator statuit secundum hanc legem transgressores iudicari, & per pœnas arceri in futuro sæculo tantummodo, non in isto. Vnde Scriptura:* Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, &c. *quod erit in futuro sæculo, sicuti manifeste sonat Scriptura, et exponunt omnes Expositores eiusdem. Sunt rursus iudices alij secundum legem diuinam, quos nihil prohibet esse plures in statu præsentis sæculi, vocati Doctores, & secundum ipsam quorundam actuum siue operum ministri atque factores, nullam coactiuam auctoritatem vel potestatem habentes à Christo seu Lege diuina, arcendi quenquam in hoc sæculo, ad aliquid agendum vel omittendum, per pœnam aliquam realem. Vnde Christus Marci vltimo tales iudices vocauit Doctores, dum ipsis in Apostolorum persona dixit:* Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos. *Et per Malachiam Prophetam:* Labia Sacerdotis custodiunt Scripturam, & legem requirent ex ore eius. *Et sunt ij iudices, Episcopi siue Sacerdotes, vocati Doctores. Carent autem præfati iudices, & carere debent auctoritate & potestate coactiua, per quamcunque pœnam arcendi, sicut dictum est pridem; quoniam tali auctoritate Christus in hoc sæculo carere voluit in persona propria, in quantum homo, dum dixit:* Regnum meum non est de hoc mundo: *ecce quantum ad auctoritatem:* si enim esset de hoc mundo, declararent vtiq; ministri mei: *ecce quantum ad armatam siue coactiuam potestatem. Et rursus idem petenti ab ipso diuisionem hereditatis à fratre, respondit:* Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos, vel interte & fratrem tuum? *Quasi diceret: tale iudicium mihi non conuenit exercere. Sic etiam tali auctoritate aut coactiua potestate carere voluit Apostolos, et in ipsorũ persona omnes Episcopos siue Presbyteros, successores ipsius, in quantum fuerat Sacerdos humanus, quoniam in quãtum Deus erat, nullus sibi hominum successit vel succedere potuit, dum ad ipsos inquit:* Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Planum est, quod Apostolis inter-

interdicitur dominatus, *sicut inquit Bernardus: Sic quoque Sacram Scripturam intellexerunt, & exposuerunt concorditer omnes sancti, & approbati Doctores, et idem secundum proprias sententias expreßerunt. Quod etiam sciens & de spiritualibus loquens, se non habere potestatem quemquam arcendi, & multominus de temporalibus, vnde dicebat Corinthijs:* Non dominamur fidei vestræ. *Super quo verbo, tam Ambrosius, quàm Chrysostomus, senserunt concorditer, & expresse dixerunt. Ambrosius quidem:* Non dominamur fidei vestræ, i. e. non quia dominium aut coactionem patiatur fides vestra, quæ voluntatis est, non necessitatis. *Chrysostomus autem:* In Ecclesia non coactum, sed adquiescentem oportet ad meliora conuerti. Quod admirabilis vir ille sciens, *Apostolus videlicet*, dicebat Corinthijs: Nō dominamur fidei vestræ. *Subiungensq; Chrysost. ait:* Non enim à legib. data est nobis, *Episcopis siue Presbyteris scilicet*, talis potestas, vt auctoritate sententiæ cohibeamus homines à delictis: neq; si data esset, haberemus vbi exerceremus eiusmodi potestatem, cum Deus noster, *Christus videlicet*, non necessitate, *id est violentia*, aliquos homines traxerit à peccato, sed sua sese sponte subtrahentes remuneratus sit. *In quib. etiā verbis supponit Chrysostomus, quod omnis coactiua potestas in hoc sæculo datur à legibus siue Principibus. Quod etiam dicit Hugo de Sancto Victore, de Sacram. lib. 2. Inquit enim:* Quod licet Ecclesia, id est Ecclesiasticę personę, Episcopi siue Presbyteri, iurisdictiones coactiuas videlicet in personas sæculares exerceāt, hoc ipsum tamen, quod exercent, à Regia potestate se habere cognoscant. *Non ergo à lege diuina, sed ab humana lege, conuenit cuiquam in hoc sæculo auctoritas, & coactiua potestas, præcipuè Episcopo siue Presbytero. Vnde Chrysost. post verba prædicta subinfert:* Homo verò si à fide vestra fuerit abductus, multū imminet Sacerdoti potentia industriæ exhortationis, quod non potest errātem vi reducere, sed persuadere conabitur, vt ad fidē rectā reuertatur, à qua primitus corruit. *Idem quoq; senserunt omnes sancti Doctores reliqui, atque Expositores iuxta sacram Scripturam, quorum sententias hic omissas propter breuitatem copiosè videre poterit, cui cura fuerit, in tractatibus nouis præfatorum Doctorum.*

8. *Est etiam similiter secundum legem humanam Legislator, vt ciuium Vniuersitas, aut eius pars valentior, vel Romanus Princeps supremus Imperator vocatus. Est & iudex coactiuus secundum legem eandem, vt Vniuersitas iam dicta, vel Princeps, vel ille vel illi, cui vel quibus Vniuersitas aut Princeps dederit coactiuam potestatem, per pœnam realem aut personalem in sæculo legis humanæ transgressores coercendi. Nequaquam verò legislatores humani sunt Episcopi siue Presbyteri, aut reliqui spirituales Ministri, coniūctim vel diuisim in quantum huiusmodi, sed fortassis in quātum pars aliqua ciuitatis existunt, secundum quod per humanas rationes citatas, & per sacram Scripturam euidenter est monstratum, & per iā dictos Doctores nostros, et vt iam conuenienter deductum est supra. Sunt & alij iudices secundum legem humanam, vocati Iurisperiti siue Doctores, nullam coactiuam auctoritatē habentes, in quantum huiusmodi, arcendi quenquā in hoc sæculo, per pœnam aliquam realem aut personalem, ad agendum licitum aliquod, aut illicitum omittendum, sed solummodo ad docēdum, & aliquid secundum legem operandum humanam, quemadmodum Episcopi siue Presbyteri secundum legem diuinam.*

9. *Propter quæ manifestius intuendum, quod de humanis actibus, & operibus circa diuina, & de diuinis, similiter quoq; modo circa temporalia, & de temporalibus, potest dubitatio contingere duplex, & per consequens interrogatio siue quæstio fieri propter veritatem de dubitatis habendam. Vna quidem dubitatio est & quæstio, an videlicet actus illi & opera, de quibus quæritur, sint fieri vel obmitti præcepta vel prohibita, licita vel illicita, tam secundum legem diuinam, quàm humanam? Alia verò potest esse dubitatio, quæstio siue interrogatio ex prædictis, vtrum videlicet si per quenquam sint tales actus aut opera facta vel omissa, pertinent ad iudicium Principantis iudicis videlicet coactiui, cuius auctoritas est arcere per pęnam realem vel personalem, transgressorem legis diuinæ vel humanæ, in præsenti sæculo vel futuro.*

10. *De priori quidem quæstione, dubitatione siue interrogatione, respondere ac iudicare seu per iudicium diffinire pertinet ad Doctores, seu ad iudices doctrinales, huiusmodi siquidem auctoritatem habentes; quales secundum legem diuinam sunt vel esse debent omnes Episcopi, siue Presbyteri, quemadmodum ostensum*

est

est prius, & dixit Apostolus ad Timoth. Oportet Episcopum esse doctorem. *Secundum humanam verò legem pertinet hæc auctoritas siue iudicium ad Iurisperitos siue humanæ legis Doctores. Etenim eorum officium est, scire docere si oporteat, prædicare quæ sint & qualia præcepta permissa vel prohibita secundum leges prædictas, licita etiam vel illicita fieri vel omitti in actibus humanis; & similiter de huiusmodi respondere, cum super ijs, & de ijs fuerint requisiti, omni tamen auctoritate, et coactiua potestate carentes, quenquam cogendi per pœnam in hoc sæculo ad fugiendum vel faciendum aliquid, vt supra sufficienter induximus. Quemadmodum medici de sanitate corporis conseruanda vel omissa recuperanda docere habent & operari, secundum artis medicinæ præcepta, nec tamen quenquam cogere possunt vtilem seruare dietam, aut declinare nocuam, per pœnam aliquam realem aut personalem facientibus vel omittentibus inferendo. Sic quoq; Sacerdotes, qui medici sunt animarum, neminem in hoc mundo per pœnam arcere possunt, secundum Scripturam. Et propterea quamuis Sacerdotibus liceat condere seu facere ordinationes siue exhortationes, circa bonos mores, & opera fienda, & malos & crimina fugienda, non tamen nunc dici debent huiusmodi ordinationes Leges, sed potius documenta seu regulæ. Neq; ipsorum iudicium per tales regulas circa hominum actus debet appellari iurisdictio siue forum, quia talia nomina propriè sumpta, iudicio coactiuo conuenientia sunt, secundum primam, & veram impositionem ipsorum. Potest autem præfatum iudicium, quoniam generale est, fieri ignoratis personis, de quibus siue de quorum actibus dubitatur & quæritur.*

11. *Secunda verò dubitatio, interrogatio & quæstio potest contingere circa prædictos hominum actus & opera, vtrum videlicet si per quempiam sint tales actus aut opera facta vel omissa, pertinent ad iudicium principantis iudicis vel coactiui, cuius auctoritas est arcere per pœnam realem aut personalem legum transgressores in præsenti sæculo uel futuro. Secundum legem diuinam verò est in futuro sæculo tantummodo, non isto. Talis index est Christus solus, & erunt fortasse secum duodecim Apostoli, de quibus legimus in Scriptura:* Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, *&c. Secundum uerò legem humanam talis est principans, auctoritate Legislatorum humanorum, coactiuam habens potestatem arcendi per pœnam realem aut personalem transgressores legis humanæ, in præsenti tantummodo sæculo, non in illo. Verum ad suum iudicium coactiuum exercendum non indiget iudex secundum legem diuinam inquirere veritatem per testimonium, neque testes arcere in iudicium pro veritate dicenda, quoniam omnia sunt nuda & aperta oculis eius, non indiget gladio seu armorum ministrorumque potentia coactiua, propter sententiam suam exequendam, pœnam transgressoribus inferendo, quoniam* ipse dixit, & facta sunt. *Sic non autem principans coactiuus humanus, quoniam ignorare potest, an quis delatus aut accusatus de illicito actu, illum actum commiserit, vel non. Ideoque tam litigantes, quam testes necesse habet in iudicium vocare, ipsosque recusantes per armatam potestatem ad hoc compellere, quoniam per ipsius simplex dictum fortassis non conuenirent, rei præsertim, & qui pœnam sibi debitam formidarent infligi.*

12. *Ex ijs igitur iam dictis apparere potest responsio ad principale quæsitum, cuius videlicet iudicis sit auctoritas iudicandi de diuortio matrimonij, vel alterius, vel vtriusque coniugum facta requisitione. Quoniam si fuerit dubium vel quæstio, vtrum propositum matrimonium ex aliqua causa illicitum aut prohibitum sit lege diuina, est auctoritas iudicandi de eo ac respondendi Episcoporum, siue Presbyterorum, & legis diuinæ Doctorum ad huiusmodi statutorum, secundum legem honestam, ac consuetudinem regionis, in nullo repugnando coactiuæ potestati legis diuinæ. Ipsorum enim est scire præcepta, prohibita, & permissa, tam circa matrimonium, quàm circa reliquos actus humanos & opera, de quibus & secundum quem modum licitè habet fieri vel omitti, secundum legem prædictam. Vt si dubium sit, & quæratur ab ipsis, an impotentia vnius coniugum ad debitum naturale reddendum suo compari coniugi, sit causa efficiens ad diuortium matrimonij licitè fiendum inter ipsos, secundum legem diuinam, iudicare habent, & respondere de hoc supradicti sacræ Scripturæ Ministri atque Doctores: quoniam, vt sæpe diximus, hoc officium est ipsorum; quin immo non facientes hoc punirentur per iudicem coactiuum secundum legem diuinam, quamuis in futuro sæculo, non in isto. Vnde Apostolus:* Væ mihi si non euangelizauero, quod mihi incumbit. *Sed*

si du-

si dubium fuerit & quaeratur, an talis defectus, propter quem potest, & debet licitè fieri diuortium, inexistat alteri coniugum, & alter suo compari siue coniugi inexistere asserat, & propterea coniux non patiens petat velitque ab impotente siue defectum patiente coniuge de matrimonio separari, est auctoritas siue coactiuum iudicium de hoc Christi siue Dei, secundum legem diuinam, ad arcendum per pęnam coniugem non iustum in futuro tantum saeculo, non in isto, vtpote si alium coniugem iustè agentem liberum non permittat, sed violentiam inferens in persona uel rebus ipsum detineat, impediat uel coarctet. Neq; super hoc eget hic iudex informari per testes, ad sciendum utrum talis defectus alteri coniugum inexistat, propter quem de matrimonio debeat separari, quoniam nihil occultum est oculis eius, quemadmodum dictum est prius. Secundum uero legem humanam, pertinet hoc iudicium diuortij coactiuum, per pęnam in hoc saeculo transgressoribus inferendam, ad principantem auctoritatem legislatoris humani. Nam quamuis ad legislatorem humanum, uel ipsius iudicem coactiuum, non pertineat statuere aut condere spiritualia siue diuina praecepta, prohibita, uel permissa, siue consilia, tamen de actibus hominum, & circa ipsa, quantum circa temporalia, licitè uel illicitè factis uel omissis, tam per Sacerdotes seu per spirituales Ministros, quàm per laicos siue saeculares personas, cum spirituales non sint essentialiter, iudicare coactiuo iudicio, & arcere per pęnam in hoc saeculo committentes illicita, ad praefatum pertinet legislatorem humanum & iudicem. Vnde Apostolus ad Romanos 13. generaliter neminem excipiendo, malefactores sed legis humanae non repugnantis legi diuinae trãsgressores, Presbyterum siue non Presbyterum, inquit: Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus, Regibus uidelicet, Ducibus & Tribunis, secundum Sanctorum expositionem ibidem. Et scribit: Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & qui ipsis resistunt, damnationem sibi adquirunt, aeternam uidelicet. Et inquit rursus: Minister enim Dei est, vindex in iram ei qui male agit, supple, quicũq; sit ille. Non enim sine causa gladium portat, i.e. habet armatam & coactiuam potestatem. Quod de nullo spirituali ministro dixit Apostolus, sed opposuit magis, dum inquit: Arma militiae nostrae non sunt carnalia. Et rursus ad Timotheum: Nemo militans Deo implicat se saecularibus negotijs, i. e. litigiosis ciuilibus. Hijs etiam attestatur B. Pętrus in sua Canonica, dum omnes indifferenter, neminem excipiens, inquit: Subditi estote omni humanae creaturae propter Dominum, in Principatu videlicet constitutae, & Regi tanquam praeexcellenti; & Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia est voluntas Dei.

53. Hoc igitur modo de matrimonio, & reliquis spiritualibus, secundum quod ipsa, vel hominum actus de ipsis, & circa ipsa, in aliquibus conditionibus referuntur ad statuta legis humanae facta de ipsis; statuta, inquam in quantum non repugnantia legi diuinae, sed potius sibi consona & decentia, statuere legislatorem; & iudicare coactiuum iudicem saecularem competens est, quinimo necessitas requirit. Igitur quantum circa matrimonium contrahendum aut iam contractum, interueniunt plurima, quae per actus hominum possunt licitè vel illicitè fieri, vel omitti: quae siquidem regulari oportet per legislatorem humanum, aut eius auctoritate iudicem coactiuum, transgressores arcendo per poenam. Cuius siquidem rei casum sumendo ponatur, quod alter coniugum post latam sententiam de fiendo diuortio matrimonij inter ipsos, ab altero coniuge discedere noluerit, sed secum ipsum per violentiam detinere, aut ipsum etiam personaliter, aut res siue ipsius bona contrectare, quemadmodum durante matrimonio seu ante factum per sententiam diuortium contrectabat, puniendus atque cogendus esset per poenam realem aut personalem, in hoc saeculo, & à iudice coactiuo, tanquam iudicatum siue sententiam non obseruans. Quaedam enim viro licebant supra, & contra sibi coniugem mulierem, in persona & rebus ipsius exercere ante factum diuortium inter ipsos, quae sibi post diuortium non licent: veluti iam dictam sibi coniugem matrimonio separatam arguere, increpare, ac verbis contumeliosis afficere, carnale debitum ab ipsa exigere, aut eandem quomodolibet aliter corporaliter tractare, impudicè tangendo, aut flagellando, aut de bonis suis dotalibus, & alijs praeter eius consensum disponere volendo, & similibus reliquis. Ex quibus multa, & periculosa scandala post diuortium, si fieret, prouenirent. Propter quae omnia tollenda seu prohibenda, & propter communem & euidentem vtilitatem, immò necessitatem, competijt ac debuit, debet et potest legislator humanus

de

de talibus fiendis vel omittendis statuere, iudicare atque compellere, videlicet contendentes in iudicium conuenire, testes similiter pro veritate dicenda vocare, & transgreßores ad comparendum arcere per pœnam, reliquum quoque, sententiam diffinitiuam super diuortio matrimoniali fiendo vel non, proferre. Conformiter tamen in hoc legi diuinæ, ipsius videlicet præceptis ac prohibitis nihil per suam sententiam præcipiendo repugnans. Amplius vtrumque contendentium siue litigantium in iudicio post latam sententiam, ad iudicatum per ipsum tenendum, & obseruandum compellere, per pœnam in hoc seculo transgreßori sententiæ inferendam. Non enim de præfatis corrigendis seu regulandis per pœnam in hoc seculo transgressoribus inferendam, diuina lex aliquid ordinauit aut statuit: neque coactiuus iudex secundum ipsam contra quenquam in hoc seculo transgressorem, per se, neque per aliquem successorem, siue Episcopum, siue Presbyterum, aut spiritualem Ministrum, coniunctim vel diuisim, mandauit aut voluit coactiuum iudicium exerceri. Nec ex ijs potest propriè inferri, quod humanæ legi subiaceat lex diuina vel legislator ipsius, sed vt potius contrario. Nam legislator humanus præcipit fiendum, quod statutum est per diuinum legislatorem, aut legem diuinam. Neque similiter per ipsius iudicem coactiuum, Christum videlicet, sed potius econtrario. Veruntamen iustè præcipit, quod præcipere potest legislator diuinus, & ipsius auctoritate iudex siue principans coactiuus legis humanæ, in istis prædictis & reliquis secularibus, nihil illicitum agere circa spiritualia seu de ipsis, nec circa ipsa temporalia vel de ipsis: ac mandat Ministris licita ac sibi debita officia de talibus, ac circa talia exercere, ipsosque rationabiliter in hoc seculo per pœnam arcere personalem atque realem, si transgreßi fuerint humanæ legis præcepta, legis diuinæ præceptis non repugnantia. an. 1341 *Nam ex officio sibi commisso secundum legis diuinæ ac humanæ præcepta tenent Episcopos seu Presbyteros ad docendum, prædicandum, & spiritualia Christi fidelibus ministrandum, vt Baptismum, & reliqua similia fidelibus exhibendum. Propter hoc enim ipsis ministrantur carnalia siue corporalia per Christi fideles. Vnde Christus:* Dignus est enim operarius cibo suo. *Et Apostolus 1. Cor. 9.* Si nos vobis spiritualia seminamus, non est magnum, si vestra carnalia (*id est, temporalia*) metamus. *Propter quod tanquam operarij suscipientes, aut qui susceperunt mercedem, obligati sunt, & tenentur, ac arceri possunt per pœnam in hoc seculo, ac per coactiuum humanum iudicem, ad docenda spiritualia, & modo debito, & tempore ministranda.*

14. *Ex prædictis igitur euidenter apparet, iudicium coactiuum siue sententiam proferre, ac exequi per coactiuam potestatem, super diuortio matrimoniali fieri requisito, ad Romani Principis siue nostram auctoritatem, vel eorum quibus per nos concessa fuerit talis auctoritas siue potestas, solummodo pertinere.*

Auentinus verò potestate asserit Ecclesiæ, dissolutum coniugium: & *Leutholdum Schaumburgium* in locum *Ioannis* exulis Episcopi Frisingensis suffectum, causa cognita pro *Margaretæ* libertate pronunciasse. Quod improbabile, si vera sunt, quæ a *Rebdorfio* proferuntur. Non contentus Cæsar CXCIX. diuortij in causa spirituali protulisse sententiam, iterum ab inscitis deceptus Theologis, in aliena messe falcem ponens, impedimentum consanguinitatis amouere præsumpsit, & dispensare, quasi Rex idem hominum, Phœbique esset sacerdos.

CC. DISPENSATIO SVPER CONSANGVINITATE INTER LVDOVICVM BRANDERBVRGICVM, ET MARGARETAM KARINTHIÆ.

*Nos Ludouicus quartus Dei gratia Rom. Imperator Augustus, vniuersis Christi fidelibus, quorum interest aut poterit interesse, notum esse volumus, & facimus per seriem infrascriptam; Quod in nostra præsentia personaliter constituti illustres Ludouicus marchio Brandenburgensis, & Margareta Ducissa Karinthiæ ac Tirolis Comitissa, post habitum ipsorum maturum ac deliberatum consilium, animum atque actualem voluntatem habentes se inuicem in matrimonio legitime copulandi: dubitante tamen præfato Ludouico, & Margareta, ne gradu aliquo affinitatis sanguinis tale coniugium siue matrimonium humanarum legum aut Romanorum principium statuto, decreto, vel ordinatione alia, quomodolibet appellata, impedimentum aliquod pateretur: supplicarunt ac petierunt instanter, tale impedimentū consanguinitatis, * si quod inter ipsos affuerit vel adesset, per dispensationē nostrā relaxari,* * Eorum aui germani fuerant, & sic ipsi sobrini.

ac

ac per nostram auctoritatem atque sententiam totaliter amoueri. Nos vero propter communem, & euidentem reip. vtilitatem manifeste visam sequi, ad coniugium supradictum praefatum impedimētum affinitatis sanguinis, si quod inter ipsos adesset, iudicamus esse tollendum, et simpliciter amouendum. Cum gradus affinitatis sanguinis, praesertim infra sorores & fratres, matrimonium non impediat diuinae seu Christianae legis statuto aliquo vel praecepto, quemadmodum certitudinaliter nouimus tam per nos, quam per supradictae legis diuinae idoneos ac probatos Doctores. Idque etiam asserente beato Augustino, lib. xv. de ciuit. Dei, cap. xvi. dum de talibus affinitatis sanguinis gradibus tractans inquit. Quod hoc videtur matrimonium licitum fieri inter affines consanguineos, nec lex diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Quibus siquidem verbis duas sententias expressit Augustinus, vnam videlicet supradictam. Quod lege diuina legitimum matrimonium fieri non est prohibitum inter personas sanguinis affinitate coniunctas. Secundam vero sententiam scire fecit: videlicet quod talis prohibitio matrimonij inter consanguineos fieri habeat autoritate legislatoris humani, aut eius principantis, supremi Principis Romanorum. Idem quoque concedere atque fateri conuenit Romanum Episcopum, Papam vocatum, cum suorum clericorum coetu, quos Cardinales appellant, veritate cogente. Nam praefatus Papa Romanus super impedimento affinitatis sanguinis per dispensationem tollendo a sanguinis affinitate coniunctis, inuicemque matrimonium contrahentibus, ad suam auctoritatem asserit pertinere: ac in talibus matrimonijs pluries dispensauerunt de facto praeteriti quidam Pontifices Romanorum. Quod si talis gradus affinitatis sanguinis matrimonium legitimum impediret legis diuinae seu Christianae praecepto, non posset aliquis hominum, quinimo neque Angelus de coelo, dictum impedimentum per dispensationem aliquomodo amouere: Hoc Christo testante: facilius est coelum, & terram transire, quam vnum apicem à lege cadere. Rursusque idem Dominus dixit: Coelum & terra transibunt, verba autem mea permanebunt in aeternum. Ex quibus quidem manifeste apparet, ac fateri cogitur Romanus Episcopus, & per factum confirmatur ipsius, quod gradus affinitatis sanguinis non impediet matrimonium fieri legis diuinae seu Christianae praecepto: & quod si gradus affinitatis sanguinis quamquam licitum matrimonium impediat fieri, hoc autem factum esset praecepto siue statuto legis humanae. De cuius siquidem legis praeceptis siue statutis dispensare solummodo pertinet ad auctoritatem Imperatoris seu Principis Romanorum. Nec obstat dicere, praefata matrimonia esse prohibita lege diuina, eo quod mali moris sunt, & propterea etiam peccata mortalia fore prohibita, ac proinde obligantia contrahentes ad damnationem aeternam: & contrariam dispensationem in his ad ministrum solummodo ecclesiasticum Episcopum siue presbyterum pertinere. Hic enim sermo rhetoricus siue apparens sophisticus est: falsum namque recepit. quoniam praefata matrimonia non sunt mali moris, praesertim in aliquo casu. Nam & ipsa tanquam in casu licita fieri concedit Romanus Episcopus. Nec etiam rursus mali moris sunt absolute loquendo: quoniam non sunt cum malitia conuoluta confestim, veluti furtum, & crimina reliqua: & propterea nec sunt lege diuina prohibita, quemadmodum dixit Beatus Augustinus. Non syllogizatur autem neque concluditur propterea, dispensationem de talibus ad Episcopum quemquam siue presbyterum pertinere. Esto quod sint absolute prohibita lege diuina, & sub poena damnationis aeternae: quoniam de his prohibitis nullus hominum, quinimo Angelus de coelo dispensare posset, vel ordinare, siue concedere quod licite fierent, vt deductum est supra. Vnde etiam iuxta praedicta de praeceptis sacrae scripturae siue mandatis loquens Apostolus inquit; Et si Angelus de coelo euangelizaret vobis aliud praeter id, id est contra id, quod euangelizatum est à nobis, anathema sit. Nec propter aliud, nisi quod euangelizata erant per apostolum diuina prohibita vel praecepta. Rursus quoniam praefata matrimonia non fuerunt mali moris, neque prohibita secundum veterem legem, quamuis aliquando peccata fiant siue fuerunt in antiqua lege, non quod sunt absolute siue confestim cum malitia conuoluta, neque mali moris, sed solummodo quod lege prohibita fuerant, veluti carnes porcinas, & bestias non ruminantes comedere, quod ideo peccatum effectum est, quia prohibitum fuerat in lege Mosaica; non tamen propter malum aut mali moris ex se, quemadmodum furtum, homicidium, falsum testimonium, & huiusmodi reliqua, quae prohibita sunt legi-

an. 1342 *legibus diuinis & humanis, eo quod ex se mala sunt, & mali moris, confestim cum malitia conuoluta. Ex his igitur omnibus iam prædictis manifeste apparet, cuilibet non corrupto ignorantia vel malitia, vel vtraque, auctoritatem dispensandi atque tollendi à matrimonio impedimentum inter personas, & à personis sanguinis affinitate coniunctis, ad Romanum Principem pertinere. Propter quod nos Ludouicus quartus Romanorum Imperator Augustus præfatum affinitatis sanguinis impedimentum, siquod esset inter præfatos Ludouicum, & Margaretam, quo minus possent aut prohiberentur per humanæ legis aut Romanorum Principum statuta, siue decreta vel alias ordinationes quomodolibet appellatas in matrimonio copulari, tollimus; & per nostram auctoritatem atque sententiam tenore præsentium totaliter amouemus. Concedentes eisdem ac cuilibet ipsorum, vt absque offensa cuiuslibet iuris humani, statuti vel ordinationis alterius quomodolibet nominato, licite se possint ac valeant in matrimonio copulare. Absolutos etiam eosdem, ipsorumque legitimos filios, & filias, ac hæredes, nunc & in perpetuum, à pœna qualibet reali personali, & infamiæ, & alia quauis quomodolibet nominata, siqua foret imposita contrahentibus matrimonium infra consanguinitatis gradus aliquos nominatos, per quemquam Principem Romanum etiam, vel per leges, aut communitatem aliquam, collegium vel singularem personam, cuiuscunq; auctoritatis vel dignitatis existant. Quibus omnibus & singulis, & à quibus excipimus casum prædictum, de præfatis videlicet personis, Ludouicum, & Margaretham iam dictos. Et in quantum huic nostro rescripto sine dispositioni, concessioni nostræ contradicunt totaliter aut in parte, per hoc ipsum præsens nostrum rescriptum derogamus, & volumus derogari, eodem nihilominus semper in suo robore duraturo.* an. 1342

MORS BENEDICTI PONTIF. SVCCESSIO CLEMENTIS IV.
Ann. 1342.

CCI. Mense Aprile moritur Pontifex *Benedictus*, Maximus, Optimus. Pacem plurimum sectatus habere non potuit, Gallo prohibente. *Clementem VI.* successorem habuit; Is in *Ludouicum* renouato anathemate, mandauit omnibus Europæ Episcopis, quot diebus festiuis populo in concionem vocato, *Ludouicum* hostem Ecclesiæ, nec vnquàm reconciliatum pronunciari, & ad sonum campanæ lugubresque faces, impium, & mortalium societate indignum proclamari. Eiecit insuper piorum cœtu omnes, & singulos, qui *Ludouico* adhæserunt; inter quos Mogunt. Archiep. Cogitabat insuper Electores vrgere ad creandum nouum Cæsarem; sed Francorum Rege per Argẽtin. *Ludouicum* admonito, si quid tristius sibi accidisset, ita accepturum, tanquàm à Rege procuratum, qui iras dictaret Pontifici, vltra Pontifex (ita iubente Gallo) non process-
CCII. sit. Proximo anno (hoc est 1343.) pax ma-
an. 1343 ximis tentata est conatibus, sed frustra. Quomodo res se habuerit, audi *Argentmensem*.

Missisq; iterum per Principem literis et nuncijs ad Curiam & ad Francum, ad sciscitandum causam impedimenti reformationis, cùm ipse paratus esset omnia facere quæ sibi iniungerentur à Papa: datoque responso per Francum, quod diceretur per Papam, quòd non peteret eo modo gratiam, quod deberet. Nuncijsque (prout in mandatis habebant) dicentibus, quòd daretur eis forma Procuratorij, Papæ placens, secundum quam, qualiscunque esset, se petituros, dicebant. Conceptumque est procuratorium turpissimum, & rigidissimum, quod non credebant Ludouicum sigillaturum, etiamsi capeus fuisset. Dabatur enim in eo potestas, Humberto Delphino, auunculo principis, item Augustensis, & Babenbergensis ecclesiarum præpositis, item M. Vlrico cancellario suo, in solidum confitendi omnes errores, & hæreses. Item resignandi imperium, nec resumendi, nisi hoc fieret de gratia Papæ, & se ac filios suos, ac bona, ac statum suum in manus voluntatem Papæ ponendi, & multa insolita faciendi. Verùm Princeps mandatum huiusmodi non solum sigillauit, sed etiam coram tabellione, misso per Papam, se seruaturum, nec reuocaturum iurauit. De quo Papa ipse, & Collegium mirabantur, dicentes intra se: iste homo diffidentia est perplexus. Illisque quatuor procuratoribus iuxta formam mandati iurantibus, ac pro articulis iniunctionis, & pœnitentiæ denuo instantibus, nec sine articulis abire volentibus: tandem Papa consilio Collegij, arti-

articulos quos Principem facere voluit, qui non tangebant personam eius, sed statum Imperij, assignauit. Quibus articulis Principi præsentatis, ipse eorum copiam vniuersis Principibus, præsertim Electoribus, & magnis ciuitatibus destinauit, omnes Principes & ciuitates, & oppida totius Alemanniæ ad Parlamentum publicum super eiusmodi facto in Franckfort conuocando. Electores autem Principes, & inferiorum partium magnates, octo diebus ante huiusmodi terminum Coloniæ conuenerunt, huiusmodi articulis se opponere concorditer decernentes.

CCIII

COMITIA FRANCOFVRTI. An. 1344.

CONuenientibus ergo Francofurti Principibus, Magnatibus, & Imperialium ciuitatum nuncijs, in hanc sententiam eos allocutus est Imperator. *Abundè opinor, socij, & amici, vobis testatus sum, quam cupidus sim pacis & tranquillitatis Ecclesiæ, quid fecerim, quid passus sim. Et omnium fere bellorum, quæ hactenus gessimus, finem fuisse potissimum pacem dignitatemque Ecclesiæ, & Imperij. Singulorum à nobis gestorum causas, fines, destinataue recenserem, nisi scirem vos, quæ vestra est prudentia, & sapientia, omnia scire, & pro vestro candore nihil in aliam partem rapere, quam factum est. Audiuistis quid Romanus Papa petat; ex quibus facile potestis intelligere voluntatem eius erga nos, & Imperium. Quanquam autem omnia sint iniquissima, quæ exigunt a nobis Pontificij: tamen propter Ecclesiæ pacem, et vitanda scandala paratus sum facere, quicquid vestra prudentia suadet. nec enim committam vt vsquam videar publica commoda posthabuisse meis. Paratus sum deponere Imperium in manus Pontificis, etsi satis abunde probatum est iamdudum, Papæ iuris in Imperium, & Imperatorem nihil esse. Sed si aliter videtur, vt resistamus Pontificis iræ, & perseueremus in proposita Appellatione, sumus parati quidlibet pati, quoduis subire periculum propter Imperij dignitatem.*

2 *Tum præsentium Principum multi, & Legati eorum irati propter Papæ postulationes, adhortati sunt Imperatorem, ne quid humilius, quod non deceat Imperatorem, faciat.*

3 *Præter verò reliquos Magister VVigkerus, Protonotarius Archiepiscopi Treuerensis, in frequenti Principum consessu post multas variasque ex omnium consilijs & sententijs summam collegit, quæ omnibus placebat, quanquam alij plus, alij minus rogati dixerant. Concludendo igitur breuiter, iussus per Imperatorem, sic incepit habere verba: Gratiose Domine Imperator, Domini nostri Principes Electores, et alij Imperij fideles, * non pridem Coloniæ congregati, recensentes articulos † reformationis vestræ, quos Papa requirit, & in quibus intentio Apostolicæ Sedis residet, concorditer decreuerunt, illos articulos in perniciem, et destructionem Imperij esse conceptos; & quod nec vos, nec ipsi, virtute iuramenti Imperio præstiti, annuere valeatis; & quod ipsi Nuncios, & literas dirigere velint Papæ & Collegio Cardinalium, cum petitione vt ab his desistant. Quod si nolint, & recusarint, iam alium terminum conueniendi in Rens super Rhenum ad octo dies statuerunt, vbi vobiscum deliberare volunt, qualiter in euentu tali huiusmodi conatibus resistatur. Quo dicto per illum finito, quæsiuit ipse Protonotarius à Moguntino præsente, & à Legatis aliorum Principum, si ita esset in facto, & num hæc esset omnium sententia? Illi concorditer responderunt, ita esse, & omnes polliciti sunt se propter vllum periculum aut timorem mutaturos propositum aut sententiam, sed Imperij præsentem statum defensuros, quemadmodum deberent.*

* octo sc. dieb. ante terminum Frãcofurtensem † h. e. reconciliationis.

4 *Tunc quæsiuit Imperator de Ciuitatibus Aquensi, Augustensi, & Vberlingensi, & alijs, si adessent? Et dicto, quòd sic; dixit Nuncijs Ciuitatum: Vos audistis decretum, & consilium Principum. Vos igitur Nuncij exite, nobisque vestram deliberationem refere. Illique exeuntes, diuque deliberantes, ad Principes rediere, & per ciuem Moguntinum de mandato omnium taliter responderunt: Domine, Ciuitates aduerterunt, qualiter Papa cum articulis ad læsionem Imperij nititur. Et cum Ciuitates non possint stare, nisi cum Imperio, & Imperij læsio earum sit destructio: si Dominus Papa in talib. persistere vellet, nos inopes omnib. vijs, quas cogitauerũt Domini Principes Imperij, ad manutenendum iura, honorem et integritatem Imperij, erimus obedire et manutenere parati. Et quærente illo Ciue a Nuncijs, si ita esset? omnibusq; Nuncijs dicentibus, quòd sic: Imperator grates multiplices referens, ait illis: Post octo dies ego, & Principes conueniemus in Rens super*

Renum,

an. 1344 *Renum, & auunculus noster Carolus Marchio Morauiæ, & deliberationem nostram cum vobis scripserimus, circa honorem nostrum, & Imperij (vt confidimus) faciatis. Qui hoc facere concorditer premiserunt.* an. 1344

ELECTIO CAROLI BOHEMI IN CAESAREM. *An.* 1334.

CCV. Diuturnior tamen non fuit communis iste consensus: Nam proximo Renseano conuentu (*Bacharensem* nominat *Rebdorfius*) alij cultus, aliæ voces in diuersa tendentium promicuère. Vnius Regis Bohemi artes amorem auertit à Bauaro. Illius querelæ in Cæsarem sibi pietatem conciliauerant, eius cæcitas omnium oculos in se conuertebat, senectus fidem merebat. Filius eius vxore, & principatu quasi per iniuriam spoliatus (quam Cæsar non patrare sed vindicare in quouis alio debuisset) erat stimulus in vindictam aduersus eum, qui solutis connubiorum vinculis, adulterio iura videbatur dedisse: Et alieno principatu ditasse sobolem suam. Id si impunitum, quid cuiquam tutum sperare liceret? Tantæ tyrannidi sola noui Cæsaris obstare posset electio. Ita coniuratum in *Ludouicum*, & coniurationis auctor *Rupertus Palatinus* fuit, licet arctissimis consanguinitatis vinculis cum *Ludouico* teneretur. Cum eo erant *Gerlacus* filius Ger. Comitis de *Nassau*, nepos quondam *Adolphi* Regis, quem deposito *H. de Virnenberg*, in Moguntinum Archiepiscopum *Clemens* euexerat; *Balduinus* Treuerensis, *VValderamus* de Iuliaco, Colo-

CCVI. *Maultaschia diuortium côprobatur.* niensis, & *Ioannes* Rex Bohemiæ. Principum tamen deliniuit iram *Ludouicus*, diuortij causam denuò Treuirensi Electori patruo Bohemi committendo, qui minimè reintegrandum decreuit connubium. Hostem quò dulciùs opprimeret *Ludouicus*, prò Tiroli Lusatiam Bohemo obtulit, argenti marcarum insuper viginti millia, tribus Marchiæ Brandeburgensis primarijs viribus pignori oppositis, quoad pecunia exigeretur. Tanta lenitas *Iohannis* ipsi admirationi fuit, qui ex accusatore laudator

Carolus Bohemus ad imperium inhiat. factus, lite destitit; sed *Carolus* filius non laudauit; causatus senem cæcum, & prodigum nihil pensi habuisse, quantillo argento, sed mox dilapidando, pater causam filiorû prodidisset. Neminem tamen latebat, *Carolum* aspernari Lusatiæ principatum, vt assequeretur imperium, *Clemente* Pontifice ita instigâte, postquàm desperata abdicatione *Ludouici*, Legatos Germanorum audierat.

an. 1345 CCVII. *Onus pecuariũ impositũ à Ludouico.* Tantis obstrictus *Ludouicus* insidijs cum ad tolerandum onus imperij pecuniam nô haberet, tributum pecuarium vtrique irrogauit Bauariæ. Asses septuageni quini in singulos equos imperati sunt; in Bouem quadrageni octoni: ouem, & porcum deni seni. Interim paratis per *Clementem*, quæ ad *Ludouici* depositionem videbantur satis, Anno XLVI. Idib. April. recurrente memoria Cœnæ Dominicæ, prò concione coram vniuerso Purpuratorum Senatu, & populi multitudine, diras omnes *Jo. XXII.* in *Ludouicum* renouauit, tanquam impium, hæresum fautorem, & pertinacem. Inde Electoribus imperauit, vt aliud Reipublicæ caput imponerent: id ni facerent, fore vt suo iure spoliarentur. *Carolum* Marchionem Morauiæ, Regis Bohemiæ filium Auinionem euocauerat, imperio exhibito, si is sequentia iurasset. *Non modò Ludouici, sed etiam aui sui Henrici VII. acta in Regem Apuliæ, & Guelphos rescissurum: arbitrium de causis inter Imperium, & Galliæ regnum controuersis, Pontifici permissurum: Ludouico Bauaro hostem futurum: Italiæ populos à fide Imperatori iurata absoluturum, vt legibus viuerent Pontificijs.* Filij iusiurandum periurus probauit pater. Ambitione fouente Regis perfidiam: auaritia verò Archiepiscopum Coloniensem, & Ducem Saxoniæ: nam ei octo marcarum millia data sunt: Saxo duobus millibus fidem vendidit. *Argentin.* Ab his in Cæsarem electum *Carolum* Pontifex sequentibus confirmauit.

CCVIII. *Deponitur Ludouicus.* *Pacta inter Clementem & Carolum IV.* CCIX.

CCX. *Suffragia emit.*

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum Illustri salutem, & Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex, cui Rex æternus, & summus, in persona B. Petri Apostoli æterni vitæ clauigeri, cælestis simul & terreni iura Imperij, & plenitudinem potestatis concessit, super cunctos fideles suæ curæ commissos, considerans, & intendens circa ea quæ fidelibus ipsis ampliora pacis, & iustitiæ offerre commoda existimat, tanto diligentioribus se tenetur impen-

impendere studijs quanto ad hoc iniunctæ desuper Apostolicæ seruitutis officium ipsum stimulat & perurget. Et quia regnantium recte ordinata regimina nutrire consueuerunt iustitiam & Christiano populo pacem dare, Pontificis eiusdem authoritas cui dictum legimus à Domino per Prophetam: Ecce constitui te super gentes, & super regna, vt euellas, destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes ad erigenda & dirigenda huiusmodi regimina, prout ad suam spectat sollicitudinem, nequaquam debet tepescere, sed potius operosas apponere, cum expedire conspicit manus suas.

Sane dudum Imperio Romano, per obitum claræ memoriæ Henrici vltimi Rom. Imperatoris vacante, duo videlicet Fridericus quondam Austriæ, & Ludouicus tunc Bauariæ, Duces, in Regem Romanorum in discordia electi, vt dicitur, extiterunt: denique Friderico prædicto humanis rebus exempto, Ludouicus prædictus, propter ipsius excessus, culpas, crimina, & alia demerita detestanda, quasi totum diuulgata per orbem, per felicis recordationis Ioann. Papam XXII. prædecessorem nostrum, de Fratrum suorum consilio extiterit omni iure, si quod eidem Ludouico ad Regnum vel Imperium Rom. ex electione discordi prædicta, vel alias competere poterat quoquo modo, iudicio iusto priuatus, & subsequenter de hære. si & schismate sententialiter condemnatus. Nos autem postmodum licet insufficientibus meritis ad apicem summi Apostolatus assumpti, attendentes quod ex his Regnum, & Imperium prædicta diu vacauerant, & vacabant: & ob hoc sancta Romana mater Ecclesia per longa tempora suo caruerat & carebat speciali Aduocato & legitimo defensore, in Catholicæ Fidei, & eiusdem Romanæ, ac Ecclesiarum aliarum, & libertatis Ecclesiasticæ reique publicæ grande præiudicium, multiplex detrimentum, & multarum periculum animarum; ac huiusmodi discordijs, & periculis quæ tollerare salua conscientia non poteramus, vlterius occurrere paternæ sollicitudinis studijs cupientes, Principes tam Ecclesiasticos, quam Seculares, ad quos ius eligendi Regem Romanorum, & Imperatorem postmodum promouendum pertinebat, Apostolica authoritate monuimus, eis districtius iniungentes, vt pro electione Regis Romanorum, & Imperatoris vt prædicitur promouendi, de Persona idonea facienda conuenirent inuicem, & ad electionem huiusmodi procedere non differrent. alioquin Apostolica Sedes, à qua ius & potestatem huiusmodi electionis ad Principes peruenisse constat, super hoc de opportuno remedio prouideret. Præfati vero Principes salutaribus nostris monitis huiusmodi deuota se promptitudine conformantes, ac certis die, & loco pro electione huiusmodi celebranda, illi videlicet qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse conuenientes in vnum post diligentem deliberationem, & tractatus, prout tanti magnitudo negotij requirebat habitos inter eos, te Marchionem Morauiæ, nunc etiam Regem Boemiæ, in Regem, promouendum postmodum in Imperatorem Romanorum vnanimiter, & concorditer elegerunt: Tuque deliberatione præhabita super hoc, ad instantiam electorum prædictorum, & aliorum multorum, electioni huiusmodi consensisti. Post hoc autem Venerabilis Frater noster Ernestus Archiepiscopus Pragen. & dilecti filij Magistri, Ioannes de Pistorio Decanus Sancti Ioannis Traiecten. & Nicolaus de Luczenburgo Præpositus Saczen. Pragen. Decanus, aut Geraldus de Magnaco Archidiaconus de Balthesio Constantien. Ecclesiarum Capellani nostri, necnon nobilis vir Ademarus de Pictauia miles, procuratores, & Nuncij tui ad nostram præsentiam super hoc destinati, habentes ad infrascripta omnia plenum sufficiens, & speciale mandatum, sicut per patentes literas tuo sigillo munitas nobis extitit facta fides, coram nobis & Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in solemni & publico Consistorio, præsente tam prælatorum, & Clericorum aliorum quam laicorum multitudine copiosa fidelium constituti, pro parte tua inter cætera proponere curauerunt, electionem ad Regem Romanorum de te ad Imperium postmodum promouendo, ab omnibus principibus tunc in electione huiusmodi vocem habentibus, qui vt præfertur, debuerunt, potuerunt & voluerunt interesse, fuisse concorditer, & vniformiter celebratam, Teque vt prædicitur, electioni huiusmodi consensisse, filialem reuerentiam quam tu ad nos, & eandem Romanam Ecclesiam matrem tuam gessisti, gerebas, & geris, & proponis in futurum sinceris affectibus exponentes, ac inter alia supplicantes, tibi nostros fauores, & gratias exhiberi, necnon inunctionem, & consecrationem per manus nostras impendi, Teque Imperia-

li

li diademate coronari, offerentesque se paratos, & promptos, super te, & animam tuam præstare debita nobis, & eidem Ecclesiæ fidelitatis, & cuiuslibet alterius generis iuramentum. Tandem autem prædictis procuratoribus per se & vna cum dilectis filijs, & nobilibus viris, Henrico Comite de Salinis Gaucherio de Montilio, Gerardo de Vfflis, & Ioanne de Aspero monte militibus, Treueren. & Valentinen. Virdunen. Diœces. ac Rudolpho dicto Loff officiali Traiecten. procuratoribus & nuncijs tuis, vna cum eis per alias litteras tuas similiter constitutis, hæc omnia pluries petentibus ac deuote offerentibus coram nobis. Nos præmissis per eosdem procuratores, & Nuntios tuos propositis diligenter auditis, factaque nobis de huiusmodi electione concordi, & vnanimi plena fide, eaque, nec non persona tua, inquantum tua patiebatur absentia, diligenter examinatis, ac de tuis fide, probitate, ac conditionibus omnibus quæ requiruntur in illo qui est electus ad Imperialis culminis apicem sublimandus, cum pluribus Prælatis, alijsque magnæ authoritatis viris, qui tuos mores, conditiones & statum plenius nouerant, inquisitione facta, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatæ ac Gloriosæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ, Beatorum quoque Apostolorum Petri, & Pauli, & exaltationem, & honorem Ecclesiæ, & bonum, & promotionem Imperij prædicti, & prosperum statum mundi, de Fratrum eorundem consilio, Te in specialem nostrum, & Ecclesiæ filium suscepimus, Tibi nostros fauorem, & gratiam concedentes, personaque tua, cuius nos, & ijdem Fratres nostri specialem prius notitiam habebamus, idonea reputata, Te denominamus, denunciamus, declaramus, & assumpsimus in Regem Romanorum promouendum in Imperatorem, eandem tuam approbantes personam, & sufficientem, & habilem declarantes ad suscipiendum Imperialis Celsitudinis dignitatem, ac innunctionem, benedictionem, consecrationem, & coronationem Imperialis diadematis tibi per manus nostras opportune loco, & tempore impendendam, supplentes quoque omnem defectum si quis aut ratione formæ, seu tuæ aut electorum prædictorum, personarum qui electioni tuæ interfuerunt, seu ex quauis alia ratione siue causa in eadem electione interuenit quouis modo, ex certa scientia, & de Apostolicæ Sedis plenitudine potestatis. Præcipientes etiam omnibus fidelibus, & Vasallis Regni, & Imperij prædictorum, vt tibi tanquam Regi Romanorum in Imperatorem promouendo pareant efficaciter, & intendant. Et nihilominus ibidem a Procuratoribus prædictis & Nuncijs tuis, ad hoc, vt præmittitur plenum, sufficiens, & speciale mandatum habentibus, prout ipsi nobis frequenter obtulerunt fidelitatis recepimus iuramentum.

Attende itaque fili charissime quæsumus, & intra præcordia tua diligenter reuolue dona magnifica, & multiplicia beneficia, quibus te largitor bonorum omnium in suis benedictionibus dignatus est præuenire, illaque sibi deuotione humili, & operosis affectibus recognoscens, ad eius mandata, & beneplacita in omnibus te coapta, & vitare stude summopere, quæ suos offenderent oculos maiestatis. Pone gressus tuos semper in semitis mandatorum eius, & eius ministros condigna honorificentia prosequi non omittas. Præfatam quoque Romanam Ecclesiam matrem tuam, qua internæ charitatis officio & affectu, de tuis statu, & honoris augmento sollicita redditur, filiali veneratione reuereri semper stude, iustitiam dilige, veritatem ama, sectare pacem, æquitatem serua, & Clementiam quæ amicos, & deuotos multiplicat amplexare; vt inde lætentur cœli, & exultet terra, & de tuis benignis, & virtuosis actibus, vniuersa Respub. populus hucusque vehementer afflictus hilarescat. Iugo tuæ dominationis, superbæ mentes hostium comprimantur, contriti & depressi subditorum tuorum animi, ope tua misericordiæ releuentur: te virtus cœlestis gratiæ terribilem tuis inimicis faciat, pietas subditis benignum ostendat, tuisque felicibus temporibus in pulchritudine pacis populus Christianus conquiescat, & in tabernaculis fiduciæ habitet, & in requie opulenta quiescat, Tuque his, & alijs tuis bonis operibus in conspectu diuinæ Maiestatis acceptus, post multorum annorum curricula, de terreno ac temporali Regno, ad cœlestis, & æterni Regni prouehi gloriam merearis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum, concessionis, monitionis, denunciationis, declarationis, assumptionis, approbationis, constitutionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum

Petri

an. 1346 *Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Auinione VIII. Idus Nouemb. Pontificatus nostri anno Quinto.*

Inde coronandus Aquas cum pergeret, negarunt ciues se in vrbe recepturũ. Aquésibus animos addebat Imperatrix, quæ vicina, Batauorum viribus *Carolum* aggredi decreuerat, ni ab Aquisgrano diuerteret. *Ludouicus* interim eodem die, quo de ipsius dignitate Comitia acta sunt, cum *Ludouico*, & *Stephano* filijs Tirolim ingressus, cum *Ludouico* Hungariæ Rege, & *Mastino Scaligero* habiturus colloquium. Sed ab Episcopo Tridentino commeatus intercludente prohibitus; Nuncio accepto de sua depositione, statuit fortunæ suæ periculum facere,

Margarita Imperatrix Bataniam adit.

CCXI. & amicorum animos experiri. Ad ciuitatum explorandas voluntates Spiram indictis comitijs, ibi à legatis Rheni, Sueuiæ, Franconiæ iussus rebus suis non diffidere, ad copias contrahendas animum adiecit. Basileenses, qui ad *Carolum Bohemum*, sic instigante Episcopo defecerant, publico victi consensu, ad officium redacti, perstitere constantes. *Carolo*, nono post regnum die,

CCXII. suppetias ferenti Leodiensium Episcopo ad coprimendam ciuium insolentiam, triste accidit exordium. Stipabat eum egregia nobilitas, spes secuta fortunæ. *Ioannem* patrem cingebat ostro fulgens prætoriana cohors. Credebantur sola Maiestate victi Leodienses, cum gloriæ excitati cupidine, quòd gloriosiùs cum duobus Regibus, quàm cum vno Episcopo essent pugnaturi, siue caderent, siue cæderent, tanto ardore irruerunt in hostem, vt *Carolum* in fugam conijcerent. Ea clades, maioris omen fuit in proximum mensem. Anglorum Rex *E-*

CCXIII. *duardus* rursus in Gallos transmiserat. Congressus, memorabilem retulit victoriam, in an. 1346

quà *Ioannes* Bohemiæ Rex occisus, *Carolus* filius rursus fugatus. Cum ad Anglos inclinaret victoria, ductoribus memoratur imperasse Bohemus, qui ei instar oculorum erant, vt qua parte periculum plurimum esset, eo ducerent. Vbi nouo Andabatæ, & inaudito exemplo pugnanti, honesta mors obtigit. Fugitiuus *Carolus* Bonnam se recepit, vbi à Coloniensi fuit coronatus: dum re

Io. Rex Bohemiæ occiditur

CCXIV. *Carolus coronatur.*

ducem ex Batauia coniugem *Ludouicus* Francofurti recepit, quæ cum nouenni filio, in Hannouiam penetrauerat, fratri *VVillelmo* sine prole defuncto successura. Agnouerunt hæredem Hannouij ea conditione, vt patriam ære alieno liberaret. Filio verò ob imparem rebus gerendis ætatem repudiato, *VVillelmus* natu maior est euocatus.

CCXV. *Anglorũ legati.* Venere postea Anglorum legati, vt fœdera cum *Ludouico* renouarenr. Viciniores amicitias ipse per se Cæsar firmauit; qua causa ad *Albertum Austrium*, anno sequenti Viennam profectus. *Carolus* & ipse cuncta mouebat. Tirolim furtim mercatoris habitu

CCXVI. irreptus, inter Tridentinos saltus, Lombardorum excepit auxilia. *Iacobus Carrarius*, Mastinus *Scaliger*, *Luchinus Vicecomes* Mediol. homines iuxta fortunam venales, primi

CCXVII. tulere suppetias. Prospera omnia cedebant *Carolo*, vsq; dum adueniente Cæsare, maiori celeritate quæ acquisierat, amisit. Fugienti non institit *Ludouicus*, sed reliquias, quæ inter saltus syluarum latebant, more venantium velitabat. Curiensis Episcopus interceptus; plurimi Germaniæ Principes animo collapsi, non audebant in partibus *Caroli* permanere, inter quos Treuirensis Archiep. Hæc in Germania, dum

Fugatur Carolus.

Argẽtin.

(*LVDOVICI HVNGAR. REGIS EXPEDITIO IN SICVLOS.*)

CCXVII. IN Italia nouas turbas excitauerat cædes nefaria *Caroli* Siciliæ Regis. Nupserat ei *Iohanna* neptis *Roberti Pij*, fœmina insolentiæ, temeritatis, ac indomitæ libidinis. Imperare potiùs quàm parere cum viro contenderet, eoque viuente liberè haud posset debachari, cum cognatis conspirauit in Regem, Auersæ serico laqueo eum necari consentiens. Infandam mortem rumor velox detulit in Pannoniam. Paucis post diebus tentauit *Ioanna* datis ad *Ludouicum* literis se suspicione purgare, dolorem simulando, & ad vindictam prouocando aduersus eum, qui tanti sceleris conscius appareret. Nupserat hæc prius *Ludouico* Tarentino

CCXIX. Principi *Philippi* filio, Is *Roberti* Regis frater fuit, & regnandi cupiditate illectus, vnà cum *Ioanna*, quam vxorem duxit, in *Andreæ* cædem pariter coniurauit. Talia verò *Ludouicum* respondisse ferunt: *Impetrata fides præterita, ambitiosa continuatio regiæ potestatis, neglecta vindicta, & excusatio subsequuta,*

an. 1346 *ta, te viritui necis arguunt conscium, & fuisse participem, neminem tamen humani, diuinique iudicij pœnas, nefando sceleri debitas, euasurum.* Itali ob regiam mortem indignati, *Ioannam* omnes in inuidiam adducebant: iudicandam probi Regis mortem omnes exclamantes, totiusque Italiæ interesse nefas vlcisci. *Ludouicum* vt excitarent: multi ad eum Principes, Italiæque Reguli scripsere, orantes *vt armatus in Apuliam traijceret, regnum sibi debitum vindicaret, non pateretur à nefarijs parricidis indignè possideri, ipsi in Italia, neque auxilia, neque commeatus, neque opem, neque supplementa vnquam de futura.*

CCXX. *Ludouic. Rex Hungar. in Italiam descendit.* Tantis excitatus questibus *Ludouicus*, in Italiam contendit; honorificè vbique acceptus, ferè omnes Cisalpinæ Galliæ Regulos obuiam habuit. Regni fines ingressus, primò Salmonenses offendit infensos, quod *Ioannæ* partes palam sectabantur: acerrima vrbem Rex obsidione circumuenit, & futuram hinc auspicatur victoriam. Obsessi pugnabant constantes à Romano Tribuno expectantes auxilia.

CCXXI. *Gabrinus Roman.* Fuit iste infimæ sortis homuncio, nomine *Nicolaus Gabrinus*; incertum, ex Popina, an ex pistrino in ludum literarium egressus, vbi antiquitatis notitiam, edoctus, alta cœpit cogitare, Studia plebis captando, diuites criminando, veterem Romam cum noua componendo, & dulce libertatis nomen iactando, ad summum Vrbis conscendit imperium, eiectis Senatoribus, qui Pontificis auctoritate vrbem regebant. Dicunt alij ciuem fuisse Romanum, Scribam publicum, nomine *Nicolaum* filium *Laurentij* filium. Is Romanum populum, & totam fermè ità dementarat Italiam, vt publicæ natum crederent saluti. Hic ergo cum vnus omnia posset, titulis publicis, quibus se *candidatum Spiritus S. militem, seuerum & clementem liberatorem Vrbis, Zelatorem Italiæ, amatorem Orbis, & Tribunum* appellabat *Augustum*, furiosum plebiscitum proposuit: *Romam caput Orbis, & fundamentum fidei Christianæ, Italiæ vrbes omnes omnino liberas, earumque incolas ciues Romanos esse, terrarum imperium populi Romani proprium, sine cuius suffragatione ad nullum mortalium posse deferri.* Ludouico proinde Cæsari, & Regi Bohemiæ, totique septemuirum Collegio diem dixit, vt sua iura demonstrarent, quæ suo iniussu in Romanam Rempublicam sibi sumpsissent. Verùm an. 1346 cum eius insolentiam Roma tandem fastidiret, ferocienti falcem eodem, quo dederat, anno detraxit, eiecitque in exilium. Eum *Carolus* Rex interceptum, ferro onerauit, CCXXII. *Capitur.* & ad Pontificem vinctum deduxit. Dicunt alij, nulla vi Pontificis, Romanorumuè compulsum, ab vrbe, clam mutata veste, ad *Carolum* Imperatorem declarauisse, in Bohemiam profectum, vt cum illo fœdus percuteret; *Carolus*, pusilli animi, Tribunum Pontifici vinctum donauit. Decepti itaque Salmonenses Romanorum auxilio, deditionem *Ludouico* Hũgarorum Regi fecere: qui superatis Apenninis montibus, & facile regno potitus vniuerso, *Ioannam* in eum timorem adduxit, vt deserta Neapoli; vna cum *Ludouico Tarentino* viro suo, Auinionem nauigaret. *Hungari regnum Neap. occupant.* *Dyrrachinum* Ducem regno præfecerat, Comitis Grauiensis filium, CCXXIII. *Ioanna fugit.* quem *Roberti* Regis fratrem fuisse affirmãt. Ingressum vrbis cum Hungaris prohibere tentaret, capitur, & vltimo damnatur supplicio, Rege iubente. Occupata Neapoli, ab omnibus Rex Hierusalem, & Siciliæ salutatus, quæstionem de parricidis instituit. Ferè omnes licet Regij consanguinei polluti essent, paucorum sanguine Nemesim placauit: reliquos in Hungaria exulare iussit. Sequitur ipse *Ludouicus*, timore luis, quæ per CCXXIV. totam Italiam grassabatur. Eo cedente, continuo *Ioannæ* suscitatur factio. Neapolitani, Campani simul coniurarunt, vt *Ioannam* cum adultero restituerent. *Ioanna tẽtat recuperare regnum.* Videbatur aspirare Fortuna: nam eiecto *Volfardo* Neapolitanæ vrbis Præfecto, continuò in *Stephanum* Regni Præfectum itum est. Inter Auersam, & Neapolim conuenere Neapolitani, & Campani Hungarum ferè occlusum inter vtramque vrbem, haud difficulter superati posse confidentes. Is verò minimè territus, in vtrumque acie deducta, cruento Marte pugnauit. Cæsis tandem plurimis Italiæ optimatibus victor euasit. Victoria hæc quamuis etiam nutantes in partes Hun- CCXXV. *Hungarorum victoria.* garorum traxisset: Paulò post *Ludouicus Tarentinus* bellum reintegrauit aduersùs *Stephanum Vaiuodam*, cuius miles numero quidem inferior, sed robore, ac fide validior. Ægre ferebant Itali parere alienigenis, ac vel maximè Hungaris, quorum asperitatem abominabantur. Contra illi pertinacius *Caroli*

Caroli

An. 1347 *roli* fatum vlcisci, malle mori, quàm infidæ
cedere genti. Vltro citroque certatum diu,
cum multi cecidissent, Itali tandem palan-
tes, in fugam conuersi; instantibus à tergo
Hungaris, partim cæsi, partim capti sunt.
Parta victoria, in rebelles seuerè animaduer-
CCXXVI. sum. Regina *Ioanna* cum *Tarentino* (quem
virum vel adulterum vocare veritas non re-
sistit) quum obstinatè à Pannonibus, Apu-
liæ regnum retineri accepissent, ne per igna-
uiam tantum imperium deseruisse, viderentur,
è Narbonensi prouincia, & Auinione,
quò confugerant, profecti, in Italiam non
sine magnis copijs rediere, iam in eorum
partes inclinante Pontifice. *Ludouicus* im-
CCXXVII minenti periculo suscitatus, in Italiam re-
uertitur. Sequitur miles; ad Cannas castra-
metatus, dum oppidum expugnat obses-
sum per admotas scalas subiens, tot lapidi-
bus deturbatus obruitur, vt ad necem vsquè
contereretur. Motis hinc castris, plurima
oppida in deditionem accepit, expugnauit.
Regno potitus, datis Præfectis iterum in pa-
triam recessit; Non per hoc cessabat *Ioanna*
CCXXVIII. Auinione agens, Pontificem vrgere, ne pa-
ternæ successionis iure, vi aliqua barbaro-
rum, defraudari pateretur. Quod vt faci-
lib. x. liùs assequeretur (scribit *Bonfinius*) Auinio-
nem vrbem, in Narbonensi Gallia præstan-
tissimam, quia patrimonij sui, se vltrò con-
Fœdus Pōtificis cum Ioanna. cessuram Ecclesiæ pollicetur, si eius ope in
regnum restitueretur paternum. Et ne re-
gnum mercari videretur, vrbem dono da-
tam, se vendituram ostendit, contra Ponti-
fex minimum quid, ex annuis vectigalibus,
precij loco, *Ioannæ* penderet. Hisce conuen-
tis, *Clemens* honesti specie, regni curam su-
CCXXIX. scepit, quod vt iure facere videretur, *Guido-*
Papa rogat Hungarum, ut regno cedat. *nem* Portuensem Episcopum, Cardinalem,
Sedis Apostolicæ Legatum in Italiam misit,
vt inter *Ludouicum* Regem, & *Ioannam* Re-
ginam pacem ageret. Regi scribit, & orat, An. 1347
vt *obsecrantis Ecclesiæ, Sacrique Collegij gra-
tia Ioannæ indulgeret, Italiæ pacem daret, &
potius quid ipsum deceat, quam quod mulieris
ingenium, & facinorosorum mereatur auda-
cia, secum reputet. Satis in Italiam sæuitum,
instare tempus pacandi regnum, & benefitio
suo non modò regnum, sed Romanam sibi Ec-
clesiam perpetuò obligare. Quid Romanæ Ec-
clesiæ dignitas postulet, è qua progenitores re-
gnum hoc precariò possidendum impetrarunt,
secum cogitet. Existimet aliquid Summo Pon-
tifici tribuendum, cuius est omne ius regni. Sa-
tis illi esse regnorum, neque duobus regnis tanto
locorum interuallo seiunctis, maximæ molis,
& periculi, vnum Regem sat præesse posse.
Reminisceretur Dei Vicarium, in Galliam
Narbonensem relegatum esse, Roma eiectum,
plus pietatis apud Barbaros, quàm Italos, &
Romanos inuenisse. Longè commodiorem Chri-
stianæ Reipublicæ in Pannonijs Ludouicum
fore, quàm in breui Apuliæ regno conieclum,
aut ingrato ocio emarcescere, aut Italis factio-
nibus implicitum, nihil immortalitate dignum
agere. Proinde etiam, atque etiam Ludouicum
obseruare, vt pacandæ Italiæ gratia, ius omne
regni, quodcumque suum esse possit, Ioannæ cedat,
Ludouico Tarentino ignoscat, Regulos Italicos,
quos in Hungaria tenebat captiuos, missos fa-
ciat, bello abstineat, & quod Pontificiæ ditionis
est, rogante Pontifice, suo sanguini dimittat.*
Persuasum epistola *Ludouicum* ferunt Hi-
storici, porrò de tempore non conueniunt.
Rem ita ferunt compositam: vt *Ludouicus* *Ludouic. Hūgarus regnum Apuliæ cedit Ioannæ.*
ius suum *Ioannæ* concederet, vltro regnum
illi resignaret, eaque & regni titulo *Ludoui-
cus* siue maritus, siuè adulter potiretur. Mira
Ludouici pietas, vt nobilissimum regnum
legitimo iure possessum summo instante
Pontifice, proditoribus indulgeret. Ad Cæ-
sarem reuertamur.

LVDOVICI BAVARI MORS. *Anno* 1348.

CCXXX. CArolus inter Tirolenses opera perdi-
ta, instauraris copijs, in inferiorem
irruperat Bauariam. Sed *Ludouico* obstante,
recessisset, ni iunioris Cammerauij perfidia
arcem Halsteiniam in Nariscis prodidisset.
Fuga seruauit auctorem sceleris. Suspicio
perdidit fratrem innocentem, qui culpæ
reus videri poterat, quia cum germano con-
cors. Eodem tempore *Ioanna Feretana*
vxor *Alberti Austrij*, rebus in Alsatia compo-
sitis, *Ludouicum* ex itinere salutauit. Cum
ea familiariter conuersari solitum, est qui
scribat. Hæc siue calamitatem *Friderici
Pulchri*, quem Imperij competitorem *Lu-
douicus*, captiuum tenuerat, & squalore car-
ceris vexauerat; siue amores vlcisceretur
contemptos, quanquàm honorificè à *Ludo-
uico* haberetur, veneno eum tollere tentauit.

Villa-

an. 1348 *Villanus, Rebdorfius, & Argentinensis* suo silentio *Ioannam* nonnihil defendunt. Non omnino continentem *Ludouicum* fuisse, ex eo suspicatur *Bzouius*, quia *Ioanna* abeunte, Burggrauiam Norimbergensem, quam amabat, accesserit. Porrò in itinere, nonnihil punctionum circa cor persentiens, se veneno petitum agnouit. Cumque vomitionem frustra incitasset, venatum perrexit, vt labore corpus calefaceret, & toxicum dissolueret. Syluam ingressus, inusitatæ magnitudinis vrsum fortuitò offendit; in quem vehementiore impetu incursans, de equo præcipitatus crus fregit, & corpus graui collisione concussit: subitaque apoplexia percussus, circa meridiem diei, qui Diuo Gereoni sacer est, v. Id. Octob. decessit: secundo lapide à Monachio, non longè à vico *Buech*, vbi diua *Edigna* humata colitur.

In Parochia (ait *Rebdorf*) B. Virginis Monachij sepelitur, non absolutus ab excommunicatione, quam in eum *Io: XXII.* fulmi-
CCXXXI. nauit. *Diuina plaga* (idem Rebdorf) *non sine causa interijt, quia aliquot annis ante obitum suum officijs, & iudicijs suis præposuit tyrannos, & excoriatores pauperum, minimam iustitiam facientes. In expeditionibus suis permisit terram, & pauperes excoriari: in hospitijs, ecclesijs, monasterijs, secularibus, & religiosis prælatis, ipse & filij sui grauissimi fuerunt. Clerum secularem odio cordis habuit, immo expressè pluries dixit; Quod si thesaurizaret thesaurum de luto, collegia secularia*
CCXXXII. Mortuo Ludouic. Clerus canit. *non fundaret*. Eo mortuo, gratias agens Deo, Clerus *Te Deum laudamus*, cecinit præsentibus *Carolo IV.* Archiepiscopis Moguntino, Treuirensi, Coloniensi; Episcopis Herbipol. Spirensi, Argentin. & Bambergensi: cum antea in more esset, propter rerum angustias, amictam stola crucem in medio templi ponere, & coram ea quotidie canere Psal. *Deus laudem meam ne tacueris*. Cognita morte *Ludouici*, lætatus Pontifex, absolutionem excommunicationis latæ in fautores *Ludouici*, Pragensi & Bambergensi commisit; hac conditione, vt Clerici & laici, absolutionem postulantes iurarent: 1. *Se credere, quod non spectat ad Imperatorem, Papam deponere, & alium creare: & oppositum esse hæreticum.* 2. *Nulli deinceps vt Imperatori se velle obedire, nisi prius foret per Ecclesiam approbatus*. an. 1348

Ferunt alij eum rerum omnium, præterquàm æternitatis immemorem, vltima Cælo vota fecisse; & Dei iudicis clementiam, Patronæ Virginis misericordiam implorasse. Monachium deportato, *Ludouicus Branderburgicus* apud Augustinianos Cænobitas tumulum optauit, sed illis diras excusantibus Pontificias, D. Virginis Ædes exuuias accepit: quas Elector *Maximilianus* Mausolæo nobilissimæ artis, ac splendoris verè egregij nobilitauit. Moritur *Ludouicus* Ætatis anno 63. cum imperasset. 32. Mens. x. CCXXXIII. Negatur tumulus. CCXXXIV. Mausoleo donatur.

Eius filij *Innocentio* indulgente Pontifice, à censuris absoluti sunt per *Paulum* Ep. Gurcensem, & Frisingensem, qui *Ludouici* Cæsaris manibus veniam impertiri noluit, causatus, id sibi à Summo Pontifice non esse concessum. Ipsius vrnam ex æde D. Virginis extracturus fuisset, nisi excubantium diligentia obstitisset.

Ludouici Symbola.

Sola bona, quæ honesta. Aliud, Aquila ad CCXXXV Solem versa sub lemmate, *Deo, & Cæsari*. iuxta illud Christi, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Quæ Dei, Deo*. Aliud *Morte beata nil beatius*. Aliud *Globus terrestris*, vel *melogranatum*, sed *diuisum, & apertum* in vnguibus Aquilæ, sub lemmate *Diuisum iungam*. Hæc vide pag. 132. Aliud, *Nauis fluctibus, ventisque agitata*, sed astro protegente *Deiparæ*, quæ ex nube refulget, iactatur, non submergitur, sub lemmate; *Ad hanc cynosuram*.

Inscriptio ex *Sabino*

Regibus incessit discordia magna duobus
Summa quibus rerum tradita cura fuit.
Aspera collatis inierunt prælia signis,
Qua celer humectat Neccarus arua vadis.
Attulit optatam Bauaro victoria palmam,
Austriaci vires succubuere ducis.



CAPVT TERTIVM

Ex Brandeburgiei Electoris voto, legati perfidia deluso, in *Friderici*, & *Ludouici* Imperatorum electione, sed paulò post lucente Veritate detecto, nobis contemplandus obijcitur

SOL VERITATIS.

1. *Humana superbia quanta.*
2. *Adulatio quanta.*
2. *Veritas difficile panditur.* 3. *neque eam Prophetæ dicere audent.* 4. *non est de hoc mundo.* 5. *opus diuinum in aulam veritatem inducere.* 6. *&* 16. *filia temporis.* 7. *abscondi erubescit.* 8. *columba symbolum veritatis.* 9. *insidias patitur à mendacio.* 11. 25. *opprimi nequit.* 12. *auro, argento comparata.* 13. *surgit, cum deprimitur.* 14. *de terra oritur.* 15. *vbique est.* 16. *stabilis est.* 17. *odore panditur.* 18. *veritate Deus pascitur.* 19. *veritatis vindex.* 20. *sine patrono numquam.* 21. *S. S. Trinitas veritatis patrona.* 22. *mendacio quandoque veritas cognoscitur.* 23. *natura pro veritate sollicita.* 26. *veritas an detur?* 27. *semper sibi consona.* 28. *veritatis ethimologia.* 29. *nemo peccaret, si veritatem putaret abscondi non posse.* 31. *omnia vincit.*
8. *Dæmon cur serpentis spetie Adamum tentarit?*
10. *Christi religio persecutione promulgatur.*
23. *Neronis fratricidium imbre detectum.*
24. *Sanguis fluens è cadauere interfecti homicidam accusat.*
25. *Pasquilli & Marforei Statuæ labia dicta veritatis.*
26. *An detur scientia, & veritas?*
30. *Luna notat nocturna piacula.*

I. *Humana superbia quanta.* SPiritus tam elatos homo gerat, vt elementa etiam verberibus audeat laniare cruentis, quis credat? tamen non minus ludit in Cœlo homo, quàm in orbe terrarum Deus. Cogitat ille mundos æternos; ex lapidibus reparat genus humanum; cæcos illuminat natos, vt de Vespasiano memorat Tacitus: & tantas fabulas est, qui teenseat inter historias. Hæc si de Christo referat Euangelista: Sophista disputat, & credere formidat. Si de gentili adulator, patronum habet; qui minus credat de Christo, quàm de Cæsare. Hanc veritatem insequitur humana cognitio, præter fabulas non
II. *Adulatio.* habet, quod audiat, vel recitet. Fremunt aduersus Xerxem immani murmure venti: assiliunt fluctus; imoque vertitur à gurgite pontus; quia natura subuersa, calcaret ille maria, & nauigaret terras; & ecce Titanes superbi, qui compedibus audent stringere fluctus. Caligulæ tyranni Romana sub gladio numina cadût: citat ille inter scorta Lucinã;
Veritatē pandere difficile. nec est, qui insimulet. Sceleri iura canunt; deficiunt, qui suadeant, cum suadere periculum sit. Solum hoc dicere gentile? sed vtinam solum esset. Hierusalem Romæ associatur: vbi & Salomon Prophetas persequitur; nec tamen Diogenis lingua, sed Spiritus Sancti tuba insanias carpunt, & dictis ca-
III. stigant. Natham Regem non increpat, nisi sub larua; quia nec manu Prophetæ absque persona in orbem terrarum veritas intruditur. Cum in Bethlem (quæ ciuitas florum) de Cœlo prospicit Deus; & de terra veritas nascitur; aula turbatur, sciens veritatis nomen Regibus non placere. Nonum mensem Sol veritatis fixus in Virgine, vindemiam excitat sanguinis, ipsis portendens innocentibus necem. Herodis aula cum ei Verbum appropinquat, obmutescit: Lupum quia viderat, agnus tacet. Mentiri nesciens, vel potens, Veritas interrogata de patre: intonuit se filiam Dei. Miratus aulicus est nomen nouum. Qui consenuerat inter
Principes, Veritatis nec definitionem audierat. Meritò sibi persuadens, eam de hoc mundo non esse, sed à nouo mercatore inuectam, qui iusto fœnore non vænalem faceret, sed donaret. Optimum porrò præceptorem dedignatus malus audire discipulus; interrogatione contentus, non sustinet expectare responsum. Sat illi, veracis famam aucupari, quærendo. Sat etiam Christo vsque ad ianuam Regum, veritatem duxisse. *IV. Veritas non est de hoc mundo.*
Huic si Deus nequijt recludere portas; quis hominum audebit coram Regibus sistere, habens veritatem in manibus? Opus est diuinæ potentiæ, vel nomen veritatis in aula V.
inmune relinquere. Adeò itaquè veritas est homini aduersa, vt odio instet implacabili?

li? Non est aduersa veritas, sed inuisa. Veritas odium parit, & adhuc virgo. Non ipsa nobis, nos ipsi aduersamur. Granum est frumenti, quod etsi in terram cadat, altius resurgit. Flos dicitur campi, non seritur, nec
VI. putatur, sine cultura fœcundat. Filia dicitur temporis, quia nil occultum, quin sciatur: nil absconditur, quin reueletur. Dies diei eructat verbū: & nox nocti indicat scientiā *Falsa cū veri speciē ferant. Dandū est semper tēpus: veritatem dies aperit*, ait Seneca de ira *lib. 2. c. 22.* Sicut Sol tenebras dissipat: & in tenebris lucet: Ita Veritas inter dolos malignātiū. Odiosa sit, vel infensa; celare eā non potes. Omnia tēpus habent: etiam veritas tēpori seruit. de terra surgit, cum de Cœlo clamantem non audis. Radijs suis ostia pulsat, per rimulas intrat, sine corpore sonum excitat adeo grauem, vt manes excitati resurgant. Vitiosa *Ludouici Bauari* electio perfidi *Nicolai Boch* legati electoris Brandeburgici doloso fulcita voto (vnde tot cædibus, ac rapinis vastata, & penè concussa Germania) *Friderici* exprimitur hieroglyphico. Vbi è specu mali-
VII. gnantis inuidiæ, manu Temporis Veritas vindicata nobis obijcit elucubrandum, etiā sine patrono, imò orbe toto inuito prodire, nihilque erubescere, nisi abscondi.

Veritas filia temporis.

Inuidia percitus dæmon, hominis dominationem subripere, aut obscurare saltem exambiens, quibus possit faciliùs studia consequi, secum alta meditatione discurrit: tandem serpente personatus accedit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, &c. Genes. 3.* Sed cur nocendi æstuās desiderio, speciem serpentis votis suis repugnantem assumit? Lentè per tellurem adrepens serpens, & tortuosas admouens spiras; nonne citius, columbinas alas mutuatus accederet? Candida insuper columbæ simplicitas videbatur simulando dolo opportu-
VIII. nior, vt calliditas serpentis ineptior? Hoc facto (Tertullianus respondet) vafritiem suam clariùs ostendit. Ad Principes humani generis aditum quærens, lucifugæ bestiæ, non simplicis columbæ, ac veritatis amicæ speciem assumit. Columba veritatis symbolum in editis habitans, ad Deum in Iordane facilem habet accessum. Serpens verò Deum ignorans, detrusus in abditis, & veritati semper aduersus, conciliator est dæmoni, cum palpare principum aggreditur animas. Diabolus, quo facilius gratas Euæ inuenerit aures, quo longiora miscent colloquia, mendacij induit imaginem. Speciem auersatur columbæ, quæ simplex in editis semper, & apertis ad lucem inhabitat: nihilque veritas erubescit, nisi solummodò abscondi. Poten- IX.
tissima res cum veritas sit, multas à mendacio patitur insidias. Tetris nebulis sæpè circundata, suæ pulchritudinis radios spargit, & tenebras vincit. Quid Sole nitidius? Pater est lucis, & tamen aliquando ecclypsis subit deliquium, lumine inoffenso natiuo. Nube abscondi potest audaci, nullo tamen imbriū profluuio valet extingui: nam radijs terebrans nubem, vapores resoluit. Non aliter veritas nebulas, quas maligna spargit inuidia, reducit in nihilum. *Quod enim à Deo est, non tam extinguitur* (ait Tertullianus) *quàm adumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus, extingui non potest, quia à Deo est.* Quàm inuisum Christianorum no- X.
men sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano fuerit, idque funditus eradicare viribus omnibus contenderint, Inscriptiones testantur, quas *Adolphus Occo* recenset.

Veritas insidias patitur à mēdacio.

Nomen Christi promulgatur persecutione.

Diocletianus Iouius Maximian. Herculeus Cæs. Augg. Amplificato per Orientem, & Occidentem Imperio Rom. nomine Christianorum deleto. Quia Remp. euertebat.

Diocletiano Cæs. Aug. Galerio in Oriente adopt. Superstitione Christi vbique deleta, & cultu Deorum propagato.

Ita calamus exarauit palpantium. Tantum tamen abfuit, vt acerrimis persecutionibus suis, & lanienis Christianorum nomē expungerent, vt eorum successor Constantius Chlorus, filius adoptiuus Maximiani, Christianos ad summos honores extulerit, eiusque filius Constantinus Magnus, ipsemet Christo nomen dederit. Diocletianus verò cum Christi nomen se deleturum, vti cupierat, sibique persuaserat, desperaret, insania fatigatus, imperio secessit. Salone vixit (qui nunc Spalatrum dicitur) sectans ocium annis decem, resignato imperio, miserè tamē, palatium eius, ac domus fulmine depascente: vt sapientes planè prædixerant.
Veritas namquè (vt ait Constantinus apud XI.
Eusebium) licet expressa videatur, tamen opprimi nequit: sed velut aromata magis redolent, quanto magis conteruntur: ita ea

quanto magis conteritur, & oppugnatur, tanto clarius in ipsis tribulationibus in lucem progreditur. Vt verè dictum sit, Martyrum sanguinem fuisse seminarium Ecclesiæ. Aurum veritas est, quod in fornace probatur: sic veritas malleo contradictionis refulger. Argentum veritatem Richardus Victorinus dicebat. *Illud quò frequentiori visu atteritur eò clarius redditur. Sic veritas quò magis discutitur, eò melius comendatur.* Christi fides cum Apostolorum fœlix propagaretur eloquio, conuenerunt Principes Sacerdotum, vt Apostolos tollerent; *conferebant adinuicem, dicentes: quid faciemus de hominibus istis? Act.*4. Quid inde factum? Chrysostomum accipe *homil.*7. *de laudibus Pauli*. Quæ putabantur impedimenta prædicationis, fortia erant auxilia. Persecutio est veritatis suffragium. Percutitur non concutitur. *Quid gloriosius fratres, quàm subijci, & vinci veritate? superet veritas volentem: nam & inuitum superabit*, aiebat Augustinus *Psal.* 57. Mordaci consumptus inuidia Cain, quòd Abelis hostijs feliciùs succederet, ira exardescens hostili, fratrem mactauit hostiam. Vtquè facinus tegeret, seorsum produxit in campum. Sed cum videri non credidit: Primus flagitiorum institor mortem inuenit, & inuexit Cœlo teste. Fratrem sperans simul, & fratricidium sub terram fodere, effodit. Satisque se declarauit agrestem, cum ignouit arborum more veritatem consurgere; altiusque ramos expandere, quantò profundius radices demiserit. Plantæ tunc virescunt cum putantur. Flumina vndique erumpunt; & imbres non tam è Cęlo, quàm è terra tumescunt. Sic veritas non solum de Cœlo refulget, sed de terra nascitur, *Veritas de terra orta est; & de Cœlo prospexit*. Rusticus ille Cain cum inter agri flores, & poma grassatus florem innocentiæ impia manu decussisset; forum nactus syluam suam, testem mortuum, Apparitorem vmbram, carnificem culpam, iudicem Deum: noluit is reum conuincere veritate de Cœlo euocata, sed de terra, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me terra Genes.*4. vt posteros edoceret, vbique timendam veritatem, quæ velut vmbra mendacium sequitur, & de inferis euocatur in testimonium sui, vnde cum Psalmista canas, *si descendero in infernum, ades.* Nolite itaque (ait Augustinus) *sperare super iniquitatem. Vana est iniquitas, nihil est iniquitas, potens non est, nisi iustitia. Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest; florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest. Psal.* 61. Habebat veritatem Antiquitas ceu temporis filiam, & virtutis matrem. Romani illius parentem statuere Saturnum: vnde non nisi Tempore, & Saturno assistentibus eam exprimebant. Causam subdit *Plutarchus*, quia Saturnus tempus est: veritas verò tempore inuenitur; vnde prouerbium, *Veritatem in lucem agit, & adducit dies*. Stabilis, & firma veritas est, vt instabile claudicat mendacium. Festiuè id colligunt Hebræi, vel ex literarum forma, quibus veritas scribitur apud illos, & quibus mendacium. Literæ namquè quibus veritas scribitur, aut duos pedes habent, aut basim, qua sustinentur, Quibus verò mendacium, in cuspide desinunt, vt ex figura conspicitur אמת Veritas: שקר Mendacium. Nec prodest verborum cultus, vel lenocinia, quibus ornare falsitatem contendunt praui doctores. Omnia depereunt, vbi Veritas incipit apparere. Quomodo appareat? inuestigabiles sunt viæ eius. Spiritus est, vbique residet, quocumq; penetrat, & clausis ianuis ingreditur. Spiritus est, veruntamen modo refulget corporeo: solo odore quandoque nitescit. Lilium dicitur de terra ortum, super terram nitens; in terræ floribus eminens, flagrans super odorem aromatum. Hoc Lilio cælestis pascitur sponsus. Hoc lilium, è quo species decoris eius. *Quæ sunt lilia* (quærit Bernardus *ser.*70. *super Cant.*) *quibus speties decoris eius? Procede* (inquit) *& regna propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam. Lilia sunt, lilia inquam, orta de terra, nitentia super terram, eminentia in floribus terræ, fragrantia super odorem aromatum. Ergo inter hæc lilia Sponsus, & omninò ex his speciosus, & pulcher. Alia enim* (*quod quidem ad carnis infirma spectat*) *non erat ei species neque decor. Bonum autem lilium veritas, candore conspicuum, odore pracipuum.*

Denique candor est lucis æternæ, splendor, & figura substantiæ Dei. Lilium plane, quod ad nouam benedictionem terra nostra produxit & parauit ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium. Donec sub maledicto fuit terra, spinas, & tribulos germinauit.

Marginalia: XII. *Auro cōparata.* — XIII. *Veritas tanto sur git, quanto deprimitur.* — XIV. *De terra oritur.* — XV. *Vbique veritas est.* — XVI. *Filia temporis.* — *Veritas stabilis.* — XVII. *Solo odore pandi tur.* — XVIII. *Veritate Deus pascitur.* — *Isai.* 53. — *Sap.*7. — *Luc.* 2.

Ps. 84. nit. At nunc Veritas de terra orta est, Domino benedicente, speciosus omnino quidem flos campi, & lilium conuallium. Agnosce lilium ex candore, qui mox in ipso exortu floris pastoribus de nocte emicuit, dicente Euangelio, quia Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei
Luc. 2. circumfulsit illos. Bene Dei, quia non Angeli, sed lilij candor ille aderat, sed illuc micabat adusque Bethleem. Agnosce lilium & ex odore, quo & longe positis innotuit Magis. Et quidem stella apparuit, sed eam minime viri graues sequuti fuissent, nisi intima quadam suaueolentia orti lilij traherentur. Et vere lilium veritas, cuius odor animat fidem, splendor intellectum illuminat. Leua etiam oculos nunc in ipsam personam Domini, qui in Euangelio
Io. 14. loquitur: Ego sum veritas. Et vide quam competenter veritas lilio comparetur. Si non aduertisti, aduerte de medio floris huius quasi virgulas aureas prodeuntes, & cinctas candidissimo flore pulchrè ac decenter dispositio in coronam: & agnosce auream in Christo Diuinitatem humanæ coronatam puritate naturæ, id est, Christum in diademate quo coronauit eum mater sua.

XIX. Deus veritatis vindex. *Ego sum Veritas* (insonat Christus) prout Diuinæ Substantiæ Verbum Æternum. *Ego sum veritatis* idest veritatis vindex, & patrocinium, prout caro Verbum est factum. Hoc vobis dico, quia neminem lateat, vel inter malorum accusationes, & calumnias erumpere semper aliquod pro veritate suffragium. Cæco nato Christus lucem restituit; sed statim liuor Phariseorum insimulat, *Num hic homo à Deo: qui Sabbathum non custodit? Alij autem dicebant: Quomodò potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Io. 9.* Quando veritatis causa cecidit: quando etiam inter impios homines non inuenti sunt aliqui, qui veritati subscribât: sed impijssimi Pharisæi à Diabolo Christum uenire dicant: Sunt tamen qui aliquale

XX. Nūquam veritas sine patrono. ferant veritati suffragium, dicentes, *Quomodò potest homo peccator hæc signa facere?* Inter mille calumnias, & innumerabilia mendacia, quæ spiritus nequam disseminat, vt veritas comprimatur, non adeo deserta manet veritatis causa, quando cælestis pater prouidit nobis in terris aduocatum Spiritum Sanctum, vt omnino desit aliquale prò veritate suffragium. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*, ait Dominus *Matth. 18.* In ore duorum? aberrare videtur diuinum proloquium, quia inuenti sunt duo falsi testes, quorum impudica lingua infamaretur Susanna pudica. Nota quod additur. *In ore duorum, vel trium*: Non enim otiosè adiungitur *Trium* Verbo Sanctæ Trinitatis insinuatur officium, cuius est prò veritate stare, XXI.
ita vt nusquam deficiat aliquod veritati suffragium. Stabit quidem veritas in ore duorum, vel si quando contingat, duorum testimonio veritatem opprimi, prò illa stabit Diuinà Trias, aduocatum prouidens, qui excitet, & educat veritatis suffragia. *Per hoc mysterium* (ait Augustinus *in c. 8. Io:*) *Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis. Vis habere bonam causam? Habete duos, vel tres testes, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Denique quando Susanna casta fœmina fidelisque coniunx duobus falsis testibus vrgebatur, Trinitas illi occulte fauebat: illi Trinitas de occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit.* Nunquàm veritas sine patrono, siquidem cælestis pater, imò tota Trinitas illi prouidet. Est nobiscum aduocatus in terris, qui non sinat veritatem suffocari calumnijs, sed vbiq; faciat veritatis exilire scintillas etiam inter pessimos viros. Audi Nicetam apud Nazianzenū, *orat. 40. Vnde cumque veritatis lumen irradiat, tum a mundo, tum à scripturis, tum à nobis ipsis*: nam & in cordibus humanis non deficit aliquale veritati suffragium. Natura prouida nil permittit absconditum, quin sciatur. Ipsum quandoque mendacium XXII.
vigilem excitat ueritatis, & delatorem. Aulicus quidam cum *Carolo V.* Imperatori horologium surripuisset; & percontanti Cæsari negaret sibi furem innotescere, & furtum: dum negat, en tempus quod ueritatis est parens, pulsans, & tinniens, ueritatem pandit in sinu mendacij, remque furtiuam excitat delatricem furis. Sic natura solicita, ueritatem librauit tempore, & minimo mensurauit quadrante; ut inde agnosceres ad omnem temporis gradum, ueritatem pandi. Testes si nô habeat uiuentes, mortuos XXIII. Natura de veritate sollicita.
excitat, lapides suscitat, nil intentatum relinquit, quo in lucem ueritas exeat. Veneno cum Nero fratrem sustulisset Britannicum, ita. stupro priùs quàm ueneno pollutum supremum illum Claudiorum sanguinem, hocque fratricidium apparentibus liuoribus, &

macu-

quanto magis conteritur, & oppugnatur, tanto clarius in ipsis tribulationibus in lucem progreditur. Vt verè dictum sit, Martyrum sanguinem fuisse seminarium Ecclesiæ. Aurum veritas est, quod in fornace probatur: sic veritas malleo contradictionis refulget. Argentum veritatem Richardus Victorinus dicebat. *Illud quò frequentiori vsu atteritur eò clarius redditur. Sic veritas quò magis discutitur, eò melius comendatur.* Christi fides cum Apostolorum fœlix propagaretur eloquio, conuenerunt Principes Sacerdotum, vt Apostolos tollerent; *conferebant adinuicem, dicentes: quid faciemus de hominibus istis?* Act. 4. Quid inde factum? Chrysostomum accipe *homil. 7. de laudibus Pauli.* Quæ putabantur impedimenta prædicationis, fortia erant auxilia. Persecutio est veritatis suffragium. Percutitur non concutitur. *Quid gloriosius fratres, quam subijci, & vinci veritate? superet veritas volentem: nam & inuitum superabit*, aiebat Augustinus *Psal.* 57. Mordaci consumptus inuidia Cain, quòd Abelis hostijs felicius succederet, ira exardescens hostili, fratrem mactauit hostiam. Vtquè facinus tegeret, seorsum produxit in campum. Sed cum videri non credidit: Primus flagitiorum institor mortem inuenit, & inuexit Cœlo teste. Fratrem sperans simul, & fratricidium sub terram fodere, effodit. Satisque se declarauit agrestem, cum ignouit arborum more veritatem consurgere; altiusque ramos expandere, quantò profundius radices demiserit. Plantæ tunc virescunt cum putantur. Flumina vndique erumpunt; & imbres non tam è Cœlo, quam è terra tumescunt. Sic veritas non solum de Cœlo refulget, sed de terra nascitur, *Veritas de terra orta est; & de Cœlo prospexit.* Rusticus ille Cain cum inter agri flores, & poma grassatus florem innocentiæ impia manu decussisset; forum nactus sylua suam, testem mortuum, Apparitorem vmbram, carnificem culpam, iudicem Deum: noluit is reum conuincere veritate de Cœlo euocata, sed de terra, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me terra Genes.* 4. vt posteros doceret, vbique timendam veritatem, quæ velut vmbra mendacium sequitur, & de inferis euocatur in testimonium sui, vnde cum Psalmista canas, *si descendero in infernum, ades.* Nolite itaque (ait Augustinus) *sperare*

XII. *Auro comparata.*

XIII. *Veritas tanto fur git, quanto deprimitur.*

XIV. *De terra oritur.*

XV. *Vbique veritas est.*

super iniquitatem. Vana est iniquitas, nihil est iniquitas, potens non est, nisi iustitia. Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest; florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest, Psal. 61. Habebat veritatem Antiquitas ceu temporis filiam, & virtutis matrem. Romani illius parentem statuere Saturnum: vnde non nisi Tempore, & Saturno assistentibus eam exprimebant. Causam subdit *Plutarchus*, quia Saturnus tempus est: veritas verò tempore inuenitur; vnde prouerbium, *Veritatem in lucem agit*, &c. *& adducit dies.* Stabilis, & firma veritas est, vt instabile claudicat mendacium. Festiuè id colligunt Hebræi, vel ex literarum forma, quibus veritas scribitur apud illos, & quibus mendacium. Literæ namquè quibus veritas scribitur, aut duos pedes habent, aut basim, qua sustinentur, Quibus verò mendacium, in cuspide dessinunt, vt ex figura conspicitur אמת Veritas: שקר Mendacium. Nec prodest verborum cultus, vel lenocinia, quibus ornare falsitatem contendunt praui doctores. Omnia depereunt, vbi Veritas incipit apparere. Quomodo appareat? inuestigabiles sunt viæ eius. Spiritus est, vbique residet, quocumq; penetrat, & clausis ianuis ingreditur. Spiritus est, veruntamen modo refulget corporeo: solo odore quandoque nirescit. Lilium dicitur de terra ortum, super terram nitens; in terræ floribus eminens, flagrans super odorem aromatum. Hoc Lilio cælestis pascitur sponsus. Hoc lilium, è quo species decoris eius. *Quæ sunt lilia* (quærit Bernardus *ser.* 70. *super Cant.*) *è quibus species decoris eius? Procede* (inquit) *& regna propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam. Lilia sunt, lilia inquam, orta de terra, nitentia super terram, eminentia in floribus terra, fragrantia super odorem aromatum. Ergo inter hæc lilia Sponsus, & omninò ex his speciosus, & pulcher. Aliâ enim (quod quidem ad carnis infirma spectat) non erat ei species neque decor. Bonum autem lilium veritas, candore conspicuum, odore pracipuum.*

XVI. *Filia temporis.*

Veritas stabilis.

XVII. *Solo odore pandi- tur.*

XVIII. *Veritate Deus pascitur.*

Isai. 53.

Denique candor est *lucis æternæ, splendor, & figura substantiæ Dei. Lilium plane, quod ad nouam benedictionem terra nostra produxit & parauit ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium. Donec sub maledicto fuit terra, spinas, & tribulos germinauit,* *Sap.* 7. *Luc.* 2.

Ps. 84. *uit. At nunc Veritas de terra orta est, Domino benedicente, speciosus omnino quidem flos campi, & lilium conuallium. Agnosce lilium ex candore, qui mox in ipso exortu floris pastoribus de nocte emicuit, dicente Euangelio, quia Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei* Luc. 2. *circumfulsit illos. Bene Dei, quia non Angeli, sed lilij candor ille aderat, sed illuc micabat adusque Bethleem. Agnosce lilium & ex odore, quo & longe positis innotuit Magis. Et quidem stella apparuit, sed eam minime viri graues sequuti fuissent, nisi intima quadam suaueolentia orti lilij traherentur. Et vere lilium veritas, cuius odor animat fidem, splendor intellectum illuminat. Leua etiam oculos nunc in ipsam personam Domini, qui in Euangelio* Io. 14. *loquitur: Ego sum veritas. Et vide quam competenter veritas lilio comparetur. Si non aduertisti, aduerte de medio floris huius quasi virgulas aureas prodeuntes, & cinctas candidissimo flore pulchrè ac decenter dispositio in coronam: & agnosce auream in Christo Diuinitatem humanæ coronatam puritate naturæ, id est, Christum in diademate quo coronauit eum mater sua.*

XIX. Deus veritatis vindex. *Ego sum Veritas* (insonat Christus) ptout Diuinæ Substantiæ Verbum Æternum. *Ego sum veritatis* idest veritatis vindex, & patrocinium, prout caro Verbum est factum. Hoc vobis dico, quia neminem lateat, vel inter malorum accusationes, & calumnias erumpere semper aliquod pro veritate suffragium. Cæco nato Christus lucem restituit; sed statim liuor Pharisæorum insimular, *Num hic homo à Deo: qui Sabbathum non custodit? Alij autem dicebant: Quomodò potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Io. 9.* Quando veritatis causa cecidit: quando etiam inter impios homines non inuenti sunt aliqui, qui veritati subscribât: sed impijssimi Pharisæi à Diabolo Christum uenire dicant: Sunt tamen qui aliquale XX. Nûquam veritas sine patrono. ferant veritati suffragium, dicentes, *Quomodò potest homo peccator hæc signa facere?* Inter mille calumnias, & innumerabilia mendacia, quæ spiritus nequam disseminat, vt veritas comprimatur, non adeo deserta manet veritatis causa, quando cælestis pater prouidit nobis in terris aduocatum Spiritum Sanctum, vt omnino desit aliquale prò veritate suffragium. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*, ait Dominus *Matth. 18.* In ore duorum? aberrare videtur diuinum proloquium, quia inuenti sunt duo falsi testes, quorum impudica lingua infamaretur Susanna pudica. Nota quod additur. *In ore duorum*, vel *trium*: Non enim otiosè adiungitur *Trium* Verbo Sanctæ Trinitatis insinuatur officium, cuius est prò veritate stare, ita vt nusquam deficiat aliquod veritati suffragium. Stabit quidem veritas in ore duorum, vel si quando contingat, duorum testimonio veritatem opprimi, prò illa stabit Diuina Trias, aduocatum prouidens, qui excitet, & educat veritatis suffragia. *Per hoc mysterium* (ait Augustinus *in c. 8. Io.*) *Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis. Vis habere bonam causam? Habete duos, vel tres testes, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Denique quando Susanna casta fœmina fidelisque coniunx duobus falsis testibus vrgebatur, Trinitas illi occulte fauebat; illi Trinitas de occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit.* XXI. Nunquàm veritas sine patrono, siquidem cælestis patet, imò tota Trinitas illi prouidet. Est nobiscum aduocatus in terris, qui non sinat veritatem suffocari calumnijs, sed vbiq; faciat veritatis exilire scintillas etiam inter pessimos viros. Audi Nicetam apud Nazianzenū, *orat. 40. Vnde cumque veritatis lumen irradiat, tum a mundo, tum à scripturis, tum à nobis ipsis:* nam & in cordibus humanis non deficit aliquale veritati suffragium. Natura prouida nil permittit absconditum, quin sciatur. Ipsum quandoque mendacium XXII. vigilem excitat ueritatis, & delatorem. Aulicus quidam cum *Carolo V.* Imperatori horologium surripuisset; & percontanti Cæsari negaret sibi furem innotescere, & furtum: dum negat, en tempus quod ueritatis est parens, pullans, & tinniens, ueritatem pandit in sinu mendacij, temque furtiuam excitat delatricem furis. Sic natura solicita, ueritatem libtauit tempore, & minimo mensurauit quadrante; ut inde agnosceres ad omnem temporis gradum, ueritatem pandi. Testes si nō habeat uiuentes, mortuos XXIII. Natura de veritate sollicita. excitat, lapides suscitat, nil intentatum relinquit, quo in lucem ueritas exeat. Veneno cum Nero fratrem sustulisset Britannicum, stupro priùs quàm ueneno pollutum supremum illum Claudiorum sanguinem, hocque fratricidium apparentibus liuoribus, & macu-

maculis, quas toto corpore venenum excitarat, abundè proditum esset: Nero ad contegendas eas, corpus gypso liniri iussit. Verum quum id efferretur, decidente copioso imbre, deterſum eſt tectorium, & ſceleris immanitas omnibus patuit. Veritas nuda eſt, & aperta hanc ſi fucatis obuoluas coloribus, Cœlum facile paucis purgat imbribus, & lympha detergit. Quoties mortuos ipſos natura legauit, veritati ſuffragaturos, ne inter viuos periret? In ſubſidium innocentis, occiſum de ſepulchro vocauit Macarius *Fulgoſ. lib. 1. c. 6.* Spiridon Cyprius depositum à filia repopoſcit defuncta, *Ruffin. lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. c. 5.* Stanislaus Ep. Cracouienſis pagi venditorem citauit de tumulo, *Breuiar. Rom.* aliosque prætereo, quia miracula non inquirimus. Frequens occurrit pro veritate in natura portentum, vel ſuffragium, cum occiſi cadauer ſanguinem emittit homicida præſente, vt de Cardinali titulo S. Crucis legitur. Quemadmodum magnes trahit ferrum, ita veritas ſanguinem; quæ tot linguis, quot vulneribus clamat, & vindictam poſcit. O magna vis veritatis, quæ cõtra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſam defendat; aiebat Cicero, *Oratio pro M. Cœlio.* Hinc eſt (aiebat Sobæus *ſer. x1. de veritate*; *quod venit veritas in lucem, interdum non quæſita.* Ipſaque lingua aberrans verum loquatur. Habet natura vigiles, & cuſtodes qui diù noctuq; excubant pro veritate. Hos autem ne vſus, ac tempus abſumeret, fecit lapideos. Exemplum præcipuè Romæ habemus in *Paſquillo, & Morforio* (labia veritatis appellant ſtatuas has, nec aliundè forſam veritatem habet aula audite Romana) quorũ clandeſtini internũcij minuta quæque, quæ à Romano Põtifice, & Cardinalib. aliiſq; aulicis cõmittuntur, licet remotis arbitris fiãt, dicterijs ſuis in lucem proferunt. Ita vt non abſurdè aliquis miratus fuerit, cum ibi hominibus loquendi libertas adempta fuerit, lapideis tamen ſtatuis os obturari nõ poſſe. *Alexander* enim *ſextus* cum ſtatuas illas in Tyberim demergi iuſſiſſet, obſtit; Seſſanus Dux, dicens: *etiam ſub aquis coaxare ranas.*

Iuſſit Alexander Paſquinum in flumine mergi
Altius influidis Rana coaxat aquis.

Vel

Vt ceſſent ſatiræ, mergi Romanè Sacerdos
Paſquini ſtatuas, Marforijque iubes?
Iræ parce precor, præceptaque tradita dele,
Maiorem ſatiris ſic dabis ipſe locum.
Nec falſum canimus; quin immò vera fatemur;
Nam magis in media rana coaxat aqua.

Veritas nec mergitur, nec vritur, non tenebratur, nec diſperditur. Calumniantium nebulis etſi quãdoq; obumbrari patiatur Deus, extingui numquam permittet. Proiecerat Moyſes iubente Domino virgam, vt in Pharaonem (qui cum nolet rationi parere, ad miracula geſtiebat recurrere) pro veritate certaret. Virga in colubrum vertitur, vt vel iniquis animis omnem ſuſpicionem auferret, hæc ſcilicet non vafrimentis fieri: ſed diuina virtute patrari. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Pharao, eiuſque aulici miraculum infamauere præſtigio, Magoſque vocant, vt clariſſimæ luci denſiſſimas incantamentorum offundant tenebras: *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Initur certamen, ſed virga Aaronis deuorauit virgas eorum, quæ rurſus conuerſa eſt in uirgam, *& virgam, quæ conuerſa eſt in draconem, tolles in manu tua.* Ægyptiorum uirgæ an in dracones (ut uetè uirga Moyſis conuerſa eſt) uerſæ fuerint? quæritur, & Origenes negat *hom. 13. in Num.* Audi etiam Tertullianum *lib. de anima. Solent Dæmones phantaſmata præſtare, & corpora fingere, quibus exteriores oculos circumueniunt: ſed Moyſis veritas mendacium eorum deuorauit.* Hinc habes inter mendacium, & ueritatem diſcrimen. Certant: & mendacij cruore quandoque ueritas cruentatur, ut & pretioſo ueritatis ſanguine quandoque mendacium rubeſcit. Vincit tamen mendacium ueritas, ut uirga Moyſis uirgas deuorauit Egyptiorum. Veritas deſperationem non admittit; ſalebroſæ ſemitæ eius: in puteo ſaltem inuenies, ubi in profundo natura abſtruſit, non demerſit. Demerſam dicebat Democritus (ut referr Tullius *Acad. quæſt. lib. 1. edit. 2.*) quia *Nihil ſciri poſſe* dixerunt omnes Accademici. *Anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, & vt Democritus, in profundo veritatem eſſe demerſam, opinionibus, & inſtitutis omnia teneri, nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe dixerunt. Quibus de cauſis nihil oportere profiteri,*

neque

XXIV. *Mortui vocati in veritatis ſubſidiũ.*

XXV. *Paſquillus, & Morforius ſtatuæ veritatis.*

XXVI *An detur Scientia.*

neque affirmare quemquam, neque assertione approbare, cohibere semper, & ab omni lapsu continere temeritatem; quæ tum insignis esset, cum aut falsa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam esse turpius, quàm cognitioni, & perceptioni assertionem, approbationemque præcurrere. Falsa hæc sunt, cum ad rerum scientiam, vitæq; constantiam aptissima sit mens hominis, quæ vsu frequenti à sensibus exordiendo artes efficit, quasi sensus alteros. Vel si hæc falsa, opinioque vera democriti, ergo veritatem abstrusam inuenit

XXVII. *Veritas sibi consona.* in puteo, non desperauit demersam. Falsa proferat, vel vera; & victus victori veritatem obijcio de castris mendacij. Veritas sibi vbique consona est, nec à se, licet à mendacij habitaculo proferatur, vnquàm discordat. Sicut nec munditia, dum sui integritate viget, quantarumcumq; sordium vicinitate

XXVIII. *Veritatis ethymologia.* polluitur. Ipsa nominis ethymologia (nam à Vere veritatem dicunt) tardam facit, sed securam. Semel recurrit in anno, & venit optata de grauido palmite gemma tumens. Duo nobis abdita, & incerta natura conseruat, Mortem & veritatem. Certa sunt, & tamen incerta vagantur. Ventura credimus, sed tempus ignotamus soliciti; ne cum veniunt, nos imparatos inueniant. Viri Sapientis, aiebat Peregrinus Philosophus (apud Au-

XXIX. *Nemo peccaret, si omnia aperta prauideret.* lum *Gell. lib. 12. c. 11.*) est non peccare, etiã si peccasse eũ dij, atq; homines ignoraturi forent. Non enim penæ, aut infamiæ metu: sed iusti, honestique officio fugiendum est scelus. Si qui tamen non essent tali ingenio, vel disciplina prædíti: vti se sua sponte à peccando tecederent: eos peccaturos existimabat procliuiùs: quùm latere posse id peccatum putarent: & impunitatem sperarent ex latebra. At si scirent homines; nihil omnium rerum diutiùs celari posse: Suppressius, prudentiusque peccabitur. Propterea Sophocles suadebat resonanda carmina,

Hic nihil occulte: quando cuncta tuens:
Et cuncta audiens: omnia reuelabit dies.

Poetæ, quorum studium mendacium, Lunam mentientes in Cœlo positam, vt flagitia notaret nocturna (quamuis sileat, vt ipsa protestatur apud Lucianum *in Icaromenippo* XXX. *Luna notat nocturna piacula.*
& tamen quam multarum rerum illis sim conscia, quas noctu patrant turpissimas, & exe crandas, cum interdiu tetrici sint, & aspectu virili, habituque graues, & imperitorum oculos in se coniectos habentes. Atque ego cum ista videam, sileo tamen. Neque enim decorum arbitror retegere, atque in lucem efferre nocturnas illas diatribas, & quam quisque in operto viuat vitam) iniuriam grauem intulere veritati; quasi Sol facibus egeat, vt videatur. Non abscõditur Titan, etsi in Antipodas descendat: sic Veritas quàuis longè demigret, nulla suffragante luce refulget. *Forte est vinum* (inquit Esdra lib. 3. c. 3.) *fortior est Rex;* XXXI. *Omnia vincit Veritas.*
fortiores sunt mulieres; super omnia autem vincit veritas. Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt: & veritas manet, & inualescit in æternum. c. 4.

Hanc itaque time, vt à natura in speculam positam, & censuram.

Infandum patrare scelus desistite gentes,
Nam licet occultum, lumen adire volet.
Diffusis homicida necem committat in vmbris,
Lux veri toto pandet in orbe nefas.
Inuigilet latro tenebris immergere furta,
Diffugere haud poterunt crimina cæca diem.
Iustitiam multo sontes clam iudicis auro
Corrumpant, tempus deteget omne scelus.
Ergo cupis tutam, mortalis, ducere vitam,
In cunctis finem respice, tutus eris.

Io: Bap. Pon.



CA-

CAROLVS IV.
OCCIDENTIS IMP. XXXV.
LIBER TRIGESIMVS QVINTVS.
CAPVT PRIMVM.

1. Caroli IV. vitia. studium iustitiæ. 3. hieroglyphicum. 4. decoctor imperij. 5. emit suffragia electorum. 6. Gallis amicus. 7. viuente Ludouico eligitur Imperator. 8. libidinosus. renuit in Italiam descendere. 9. repudiatur ab Electoribus. 10. amulos auro vincit. 11. à lamone sistitur in iudicio. 12. eius insignia cano conspureantur. 13. Valdemari fabulam excitat. 14. fugit à Ludouico Brandeburgico. 15. Respub. & priuatorum expilator. 16. dissuadet Germanis in Turcas mouere. 17. emit suffragia pro filij coronatione. 18. cogit ad pacem Mediolanenses. 19. paciscitur cum Papa, vt in Germaniam regrediatur. 20. Pragam readificat. 21. amat literatos. 22. Mors.

2. Iustitia basis imperij.

10. Eduardus Rex Angliæ Imperium respuit oblatum.

I. CArolus IV. rerum sagax, atque intelligens, imperio adeò nocuisse dicitur, vt ei nomen denegetur Augusti. Aquilam deplumasse, alienatione regnorum scribunt Historici. Verùm Iustitiæ laude ita extollunt, vt in extirpandis sceleribus, & puniendis magnatibus ei parem non habeant. Herculem inde, cuius humeris innititur Orbis in hieroglyphico pingimus, debellatis monstris, quæ aulicorum sunt symbolum. Quasi in eo solum vigeat imperium, si minimè ad personas respiciens, vt omnium est Imperator, sit & omnium iudex.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

II. *CArole sis vitiũ quãuis tu pronus ad omne,*
Esse tamen iustum concupis Imperium.
Recta lance tenes ciuilis pondera causæ,
Respicit, & nullum vox tua iusta virum.
Justitia te laudat inops, te laudat, & auro
Maximus, edicis cum sacra iura foro.
Iustitiam esse polum mundi quicumq; suadet?
Tolle humeris Mundum Carole, iustus ades.

I.B.P.

ALIA

SEmiferos inter partus, quis iure negarit
Quin meritum teneat Carolus orbe locum;
Hic solutus laxos noxis admittere frænos
Attamen alterius crimina nulla tulit:
Monstrũ sanè ingens, monstrũ intolerabile, solis
Herculeis pondus, sufficiens humeris.

Franc. Franzinus. S.Th.D.

ALter an Alcides, Humeris modò sustulit Or
Atlas an fessus, linquere pondus auet? (bẽ?
Herculis Aspectum præfert, qui mõstra subegit;
Ac Vitia Edomuit, qui pede mõstra premit.
Prodigus, ast Alijs Iustus benè diuidit Æquum:
Haud tamen est Æquũ, demere Regna Sibi.
Suscipiens Orbem Alcides, Atlasq; vicissim;
Jus nemo Imperij cedit in Orbe, suum.
Nobilitare Viros, Res Cæsare digna; sed Ipsos
Efficere Imperio, non decet vsque, Pares.
Crescit & Ambitio; quæ si sit Cæsare maior;
Vmbra vel est Cæsar, vel ruit Imperium.
Diuidat Imperium vir Cæsar cum Ioue tantum:
Cætera Pars Hominum, Subdita semper erit.

M.Ant.Moles Neap.S.Th.D.





CAROLVS IV. BOHEMIÆ
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXV.

IV. *Carolus IV. decoctor imperij.*

Præclarum ouium custodem do tibi, Lupum:
Carolum IV. Bohemiæ Regem.
Omnium retrò principum libetalissimus, latro

V. *Suffragia Electorum emit.*

Libertatem Germanam iure vendidit, quia emit.
In *Caroli* Gallorum Regis aula educatus,

VI. *Gallis amicus.*

Didicit, Gallis posthabere Germanos
Illis ita obstrictus, vt & nomen oppignorasset.
Augustus, imperium fecit angustum.

VII. *Viuente Ludouico Bauaro; eligitur Imperator.*

Inter belli rudimenta, hoc tulit à patre, 1331.
Imperij armis imperium vsurpare, viuente Cæsare;
Et in thoro alieno thronum quærere.

VIII. *Renuit in Italiam descendere cum Patre.*

Suæ conscius libidinis
Parmam à patre vocatus, iuuentutis obiecit parmam,
Regnum abijciens, quod iam perdiderat. 1334.

IX.

A Septemuiris electus, & reiectus
Cupidine excæcatus regnandi, cæcitatem contorsit in patrem
Quia in iniusto filij ambitu iustitiam non videret, quæ non erat.
Erubuit Magnus, quòd *Caroli* vsurparet nomen,
Hinc æmulos excitauit, [a] Comitem, [b] Marchionem, [c] Regem.
Sed is toto diuisus ab Orbe Britannus

a *Rupert. Palatin.* b *Frider. Marchio. Misniæ.* c *Eduardus Rex Angliæ.*

X. *Eduard. Rex Angliæ imperium respuit oblatum.*

Sat esse, dixit, *Orbem Atlanti; quin nouum adijceret.*
Reliquos *Carolus* haud ferro vicit, sed auro vinxit.
Quantæ fuerit Maiestatis? pende

XI. *Non habēs vnde Lanioni debitum solueret, sistitur in iudicio.*

Appensus in statera, inuentus est minus habens,
Vt post laniatum patrimonium, lanioni lanienam solueret.
Obtorto collo, à creditore sistitur
Decoctor non minus substantiæ, quàm Regiæ fidei.

XII. *Eius insignia cæno conspurcata.*

Hinc Cœlo volitantes Aquilas, cæno volutatas passus, 1348.
Ad fabulam se conuertit, quam in tragediam vertit.

XIII. *Valdemarū Brandeburgicum rediuiuum fingit aduersus Ludouicū Brandeburgicum.*

Viuum viuis nequiens lacessere, mortuum suscitat,
Valdemarum in *Ludouicum*.
In pistrino molitorem molitur in Principem,
Qui Brandeburgicum repetat principatum.
In hanc laruam *Ludouicus* educit arma,
Iurium magis quam virium fiducia.

XIV. *Fugit Carolus à Ludou. Brandeb.*

Puduit primipilares, & manipulares umbris litare sanguinem:
Vnde *Carolus* cum *Ludouico* fuga certauit.

XV. *Reipublicæ, & priuatorū expilator.*

Auram redimens auro
Hoc solùm pugnauit, & uicit.
Expilata Republica, Domos spoliauit priuatas.
Regium ducens, aliena subducere,
Rapinę genius ipsi genero non pepercit.
Hoc illi debent Ecclesia, atque Romana Respublica:
Quòd duos Marchionatus Brandeburgiæ, & Lusatiæ
Tres ducatus Silesiæ, Bauariæ, Mechelburgæ

XVI. *Dissuadet in Turcas mouere.*

Vt Bohemiæ adiungeret, ab imperio disiunxit:
Turcas Græcia cum prohibere posset, noluit. 1364.
Tantam plagam in Plaga Orientis aperuit,

Ferrum

Ferrum negando Germanis, vt aurum daret Bohemis.
Nunquam sine vitijs diuitiæ:
Crimine rara suo, plena crumena caret. XVII.
Tanta flagitia coronauit empta filij coronatione, *Emit suffragia pro*
Forsan vt comparatione deterrima sibi gloriam pararet; *filij coronatione.*
Sapuit tandem, serò tamen, nec satis.
Mediolanensi contrito Colubro sed sine sanguine XVIII.
Romam venit, & secures fascibus illigauit. *Cogit ad pacem*
Capitolium penè vidit, ponè Pragam reuisit, *Mediolanenses.* XIX.
Quam imperij cæmentis *Pacifscitur cum*
Nouam condidit, Veterem instaurauit, Paruam muniuit, *Papa vt regrediatur*
Montes flectit in pontes *in Germania.* XX.
Et inter æquoreos vortices arcuatis montibus *Pragam reedifi-*
Orbem trina ligauit in vrbe. *cat, ornat, iungit*
Væ illi, ni Musas habuisset amicas, *veterem noue.* XXI.
Et nouus Iupiter auri pluuia nobilitasset, *Amat literatos.*
Vt aureo calamo laudarent seculum ferreum.
Conuicia vt fugeret, ad Sapientum confugit conuiuia,
Quorum disceptationes, *Cœnas suas* appellabat.
Palladem nunquàm Bohemia viderat:
Et hanc auro conduxit *Carolus.*
Sic post Deos Deum vincire aggrediens in Sanctis suis;
Amicos sibi fecit de mammona iniquitatis. XXII.
Initium cum Veneri dedisset, Midæ medium, finem Virtuti: *Mors.*
Ter decimo in aula emenso Anno, Pragæ tumulatur
Patriæ pater, imperij vitricus, tyrannus omnium.
Praga ipsa erubuit plagam suam
Cruore sanari innocentium:
Et quamuis nuda, spolijs operiri alienis:
Tyrannus, vel Rex decesserit? pende viator:
Obijt acceptator munerum, non personarum.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM.

1. *Caroli IV. Imp. genesis. 2. VVenceslaus eius est nomen. 4. vxores, liberi. 10. Mortuo Ludouico Bauaro ab Electoribus reprobatur. 12. à creditoribus sistitur. 14. fugitiuus, Rupertum Palatinum aggreditur. 18. turbas excitat in Hollandia in VVillhelmum Bauarum. 19. eius insignia luto aspergũtur. fabulam VValdemari fouet in Ludouicum Brandeburg. 20. milite superior pugnare non audet cum Ludouico. 21. vxorem duxit Annam Palatinam. cum Ludouico reconciliatur. 24. coronatur Aquisgrani. 25. insignia Imperij accipit à Ludouico Brandeburg. 32. Palatinatum Rheni, & Electoratum Ruperto fratri dat in præiudicium Ludouici Bauari. 33. legem edit de successione Palatinorum. 70. mouet in Bauaros. 75. negat Pontifici collectionem decimarum. 91. generum iniustè spoliat Marchia Brandeburgica. 93. bellum sacrum dissuadet. 95. in Italiam descendens, ad pacem cogit Bernabouem Viscontem. 96. citò regreditur in Germaniam, pactus cum Papa, ne Romæ sisteret. 97. dissidium cum Casimiro Rege Poloniæ. 98. emit vota Electorum prò electione Venceslai in Cæsarem. 99. vectigalia Imperij Electoribus pignori tradit. 100. 118. Imperium dilapidauit. 106. leges edit prò libertate Ecclesiastica. 107. Mors. 108. epitaphia. 109. symbola. 110. moneta. 111. literatos amauit. 112. fundator Accademiæ Pragensis. 113. cænobium instituit. 114. fe-*

stum lanceæ celebrat. 115. auream bullam condit. 116. iustus. 117. VVenceslaũ corripit, et nomẽ negat Aug. 119. vitia, virtutes.
3. Blanca vxor Caroli IV. Imp.
3. Margar. filia Caroli IV. Imp. vxor Ludouici Hung. Regis.
3. Elisabeth filia Caroli IV. vxor Io. Galeatij.
4. Agnes vxor Caroli IV. Imp.
5. Anna vxor Caroli IV. Imp. 21.
6. Elisabeth vxor Caroli IV. Imp.
9. Ludouicus Bauarus etiam post mortem à Basileensibus dicitur Imperator aduersus Papam. 74. adhuc insultatur eius exuuijs.
11. 15. Eduardus Anglus Imperium respuit.
15. Frid. Marchio Misniæ, Imperium respuit.
15. Ludouicus Brandeburgicus Imperium occupare potens, cur destiterit? 16. Rex salutatur. 19. agitatur fabula rediuiui VValdemari. 24. Sceptrum Cæsari gestat. 73. eius coniugium dispensatur à Papa. 26. Cani Scaligero dat Sororem in coniugem. 77. obit.
17. Albertus Austrius tentat reconciliare Carolum IV. cum Ludouico Brandeburg. 88. pugnat cum Stephano Bauaro.
19. Rudolphus Saxo fabulam VValdemari excitat in Ludouicum Brandeburg. 20. capit Rupertum Iuniorem Adolphi filium.
21. Guntherus Schvvarzenburgicus eligitur in Cæsarem. 22. veneno tollitur. vendit Carolo spem imperij. 23. more regio sepelitur.
27. VVilhelmus Hollandus arma sumit in matrem. 71. furore agitatus, moritur.
28. Margarita Hollanda crudelis. 29. à filio victa. 32. reconciliatur.
30. Ludouicus Romanus matri Margaritæ fert auxilia. fugit. 31. Ingenburgem filiam Alberti Megalopolitani in vxorem accipit. 70. in præiudicium familiæ subscribit Carolo IV. auferenti Electoratum Palatinum. 86. moritur.
30. Rupertus minor Palat. liberatur. 88. pugnat cum Stephano Duce Bauariæ.
32. Rudolphus Palatinus moritur.
73. Albertus Bauarus fit Comes Hollãdiæ. 104.
70. Io. I. Rex Gallorum capitur in bello ab Eduardo Anglo. effigies, simbolum.
73. Meinhardus Ludouici Brandeburgici filius ducit Margaritam filiam Rudolphi Austrij. 87. eius tutela, causa dissidij. 89. impius in matrem. 90. veneno à matre tollitur.
76. Canis Scaliger à fratre occisus.
78. Elisabeth vidua Scaligeri nubit Vdalrico
79. Sophia VVirtenbergica nubit Io. duci Lotharingiæ.
80. VVenceslaus filius Caroli IV. sacrum fontem fœdat. 82. appenditur in statera. 98. vitia. 99. Cæsar coronatur. 101. à Papa confirmatur. 102. edictum de primis precibus.
83. Imperij insignia quæ?
86. Othonis Bauari mors. 91. Marchiam Brandeburg. cedit.
87. Fridericus Bauarus mouet in patrem.
88. Stephanus Dux Bauariæ in tutores Meinhardi feliciter pugnat. 104. obit. symbolũ.
90. Margarita Maultaschia an veneno filium sustulerit. eius mors. effigies.
91. Ludou. Regis Neap. obitus.
91. Ioanna Regina nubit Iacobo Regi Maioricarum postea Otthoni Brunsuicensi.
94. Vrbanus Papa fœdus init cum Carolo IV. in Bernabouem Visconte. 95. filium Bernabouis capit.
90. Rudolphi audacis mors, effig. symbolum.
90. Friderici 4. mors, effig. symbolum.
90. Leopoldi III. mors, effigies, simbol.
104. Io. Ducis Bauariæ effigies, symbolum.
105. VVillelmi Comitis Hollandiæ, filij Alberti effigies, successio, posteritas.

CAROLI IV. IMPER. GENESIS.

1 EX patre *Iohanne*, filio Imperatoris *Henrici VII.* Lutzelburgici, Rege Bohemiæ; & *Elisabetha* filia *VVenceslai* Regis Bohemiæ nascitur *Carolus IV.* Pragæ A. C. 1316. die 21. Maij. hora prima diei. Habes hic maternã genealogiã.

Ottocarus, Rex Bohemiæ
|
VVenceslaus Rex Bohemiæ. Vxor Iuta filia Imperatoris Rudolphi
|
Elisabetha vxor Ioannis filij Henrici VII. Imper. Lutzelburgici
|
Carolus IV. Imperator

Genesis Paterna
Henricus V. Comes Lutzelburg. Imperatorum *Sextus*, Vxor Margareta filia Io. Ducis Brabantiæ.
|
Iohannes Rex Bohemiæ. Vxor *Elisabetha* filia *VVenceslai* Regis Bohemiæ
|
Carolus IV. Imperator

Car-

II. *Carolus* dicitur (quamuis *VVenceslai* nomen ei in baptismate datum fuerit) quia cum in aula *Caroli* Francorum Regis fuisset educatus, Rex ei in chrismate nomen suum imposuit, & *Carolum* appellauit. *Quartus* dicitur, quia ante ipsum tres huius nominis Imperatores praecesserunt.

V X O R E S.

III. Quatuor habuit. Prima fuit *Blanca* Comitissa Valesiae filia *Caroli Valesij*, soror *Philippi Valesij*, qui postea in Francia regnauit. Hanc vix septennem ei in aula versanti, *Carolus* Rex Franciae despondit. Filij ex Blanca fuere.

I. *Margareta* vxor *Ludouici* Hungarorum, & Polonorum Regis. II. *Elisabetha* vxor *Jo. Galeacij* Vicecomitis Mediol.

IV. Secunda vxor fuit *Anna* (alij *Agnetem* dicunt) filiam *Rudolphi* iunioris Palatini ad Rhenum, quae improlis decessit.

V. Tertia fuit *Anna* filia *Bulconis* Ducis Suidnicensis; cuius dos fuit pars *Silesiae* montibus Bohemicis contermina. Tulit ex Anna.

VVenceslaum, qui patri in imperio successit. II. *Sigismundum* Imperator. III. *Iohannem*, cui pater Gorlicium Lusatiae, adiunctis aliquot vicinis vrbibus, assignauit. VI.

Quarta fuit *Elisabetha* filia *Bugislai* Ducis Stetinensium, consobrina *Ludouici* Regis Hungariae; neptis *Casimiri* Regis Poloniae, cum qua celebrauit nuptias Cracouiae An. 1363. Adstantibus Regibus *Casimiro* Poloniae, *Ludouico* Hungariae, *Petro* Cypri. VII. VIII.

IMPERII ADMINISTRATIO.

IX. Viuente *Ludouico*, Caesaris nomen tulit non imperium *Carolus IV.* Eo defuncto, *Clemens* Papa mandauit Bambergensi Episcopo, vt qui *Carolo* Regi per Pontificem approbato parerent, eos à poenis ea conditione absolueret, vt si in pristinos relaberentur errores, rursus in eas inciderent. Dura cum Basileensibus videretur conditio, *Conradus Bornuelsus* ciuitatis Consul palàm Episcopo Bambergensi edixit, Senatum, populumque Basileensem numquàm credituros, *Ludouicum* Romanum Imper. fuisse haereticum. Eos pro Romanorum Rege habituros, quem Electores, vel eorum maior pars dederit, etsi à Pontifice non sit approbatus. Orationem Consulis sequente populo, coactus est Legatus temperare rigorem, & sacra dare. Sic VVormatiae, domum *Caroli* obsidente populo, sacra omnia Clero, & populo absque conditione reddidit. *Basilea reijcit cõditiones Põtif.*

X. Interim Imperij Principes Francofurti conuenientes, inter quos *Henricus VVirnebergius* elector Mogunt. *Ludouicus Brandeburgicus*, *Rupertus Palatinus*, & *Ericus Saxo*, suum esse ius suffragandi contendentes, de creando Imperatore contulere consilia; *Carolum* accusabant intrusum, quia nec Electorum suffragarentur vota: locus deesset; & tempus discreparet immaturum. Publica non apparebat vtilitas, imò priuata vindicta sacra alienantium temerabat iura, & captiuam fecerat imperij libertatem. Propterea ad imperium aspirare autumantes *Eduardum* Angliae Regem Gallicis nobilem triumphis, nuntijs sollicitarunt Tabellarijs vtrinque commeantibus, res tacita haberi non potuit *Carolus* loca, hominesque suspectans, fugienti similis à Rheno in Sueuiam ascendit, tam exigua in vulgus gratia, vt VVormatia digredientem lanio morari ausus sit, regiam fidem sugillans, debitoremq; suum non nisi numerato carnium pretio, dimissurus. Rotenburgi nouum dedecus accepit. Equestribus ludis, *Carolus* cultu corporis Rechbergensem Regulum mentitus, in arenam ab Heroe *Stamio* effusus, victori suo praemia victoriae ex lege persoluit. Vlmae cum partem Sueuiae in fidem accepisset à captiuitate vix abfuit, nisi mutato itinere, *Ludouici Brandeburgici* vitasset insidias. Tantis malis natura, elementa, Coelum in perniciem humani generis conspirare videbantur. Lues vniuersa viduauit domos, vrbes; squalida rura, arua cadaueribus angusta, vbique gemitus, & mortis imago occultis, tamen causis vt neque astra accusare, neque de elementis mortales queri possent. Nam non solùm in homines, & iumenta, sed & in ele- *Carolus reprobatur.* XI. *Eduardus Anglus eligitur Imper.* XII. *Caroli 4. casus.* XIII. *Lues.*

an. 1348 clementa sæuitum. Montes instar pilarum
iactati mutauere solum. Quadraginta ar-
ces non longo tractu procubuisse *Argenti-
nas* testatur. Triginta nouem eiusmodi rui-
nas Carni, & Carinthij videre. Asiæ, Euro-
pæque funera *Joannes* memorat *Cantacu-
zenus*. Non propterea homines bello ces-
sabant: sed cum peste conspirantes, vlti-
mam tentabant Germaniæ vastitatem. Fe-
bruario mense *Engelmarus Vilandrius* Ti-
XIV. roliorum dynastarum potentissimus à *Lu-
douico Branderburgico* ad supplicium tra-
ctus; accusatus prodendi *Ludouici* cum *Ca-
rolo* agitasse consilia. *Carolus* elusis Boiorum
insidijs, Bohemiam ingressus, volaticum ag-
men in *Ruperti Palatini* agrum immisit. In-
uidiam tamen auxit, non extinxit. Tantò
æquiores *Ruperto* videbantur causæ irascen-
di, quòd vi lacessitus, Cæsarem non impu-
gnaret, sed hostem repelleret. Quare vbi
Eduardi Anglorum Regis imperium ab-
nuentis ob timorem Pontificis, responsa re-
lata sunt; nouum *Carolo* æmulum *Fridericum*
XV. *Anglus imperiũ respuit.* Misniæ Marchionem, *Friderici* ab nepotem
produxit, spemque fecit, si imperij fasces
non aspernaretur, ducendæ Imperatoris *Lu-
douici* Viduæ; Verùm cum Marchio se oneri
Frider. Marchio Misniæ imperiũ respuit. imparem crederet, Imperij, & coniugij
spem decem marcarum millibus *Carolo*
vendidit. Longius erat progressurus *Ruper-
tus*, nisi benignioribus ad eum expugnan-
dum machinis *Carolus* vsus esset. Poterat
Brandeburgicus sibi vel agnato quærere im-
perium, cum Principes hostem Carolo su-
scitare studerent: & Insignia Imperij teneret,
quibus inde à multis sæculis nil auspicatius
Germania haberet, neque legitima crederé-
tur inauguratio, quæ his signis non confir-
maretur. Terruit tamen horror tempesta-
tis paternæ, & popularium iudiciorum re-
uerentia, ne domesticis suffragijs imperium
XVI. *Ludouicus Branderburg. Rex salutatur.* carpere diceretur. *Ludouicum* nihilomi-
nus, nihil prò se ambientem, Norimbergæ
pleraque opificum Collegia *Carolo* infensa
Regem optarunt. Orta à fabris ferrarijs con-
spiratio, cæteros tribules ita concitauit, vt
vrbis primores in capitis discrimen vene-
rint, quia plebi non plauderent ferocienti.
Plerique sibi consuluere, fugiendo. Interim
de reconciliando cum *Ludouico Carolum*
cogitabat *Albertus Austriacus*. Vtrumque
XVII. Passauium contraxit ad colloquium. Ad fuit
Ludouicus VI. Cal. Aug. cum duobus equi- an 1348 *Agitur de reconciliando Carolo cũ Ludouico*
tum millibus. Ex Episcopis Salisburgensis,
& Passauiensis germani fratres. Legati Regis
Hungarorum cum nobilissima Principum
corona studia sua contulere. Concordia spe-
rabatur, sed apertam renouauit discordiam *Turbę inter Holãdos excitantur à Carolo.*
rumor deficientis Bathauiæ (quæ *VVilhel-
mo* obtigerat *Ludouici* fratri) ad Anglos &
Iuliacenses, auctore *Carolo*, qui vanis fœderi-
bus irretitos Bauaros, faciliùs spoliare spera- XVIII.
bat. *Ludouicus* Punicas detestatus insidias,
negauit dexteram dare ei, qui pacem ore,
sæuitiam animo ferret. *Carolus* ob versutiam
in contemptum adductus, Romanas Aqui-
las sui hospitij vestibulo affixas cæno viola-
ri, conspiciens, tacuit: vindicare non potens,
ad fabulam se conuertit, vt cum vires defi-
cerent, hostem ludendo agitaret. Dolebat
æmulis *Ludouici* Electoralem dignitatem, XIX.
& Brandeburgicum principatum à *Ludo-* *Fabulã rediuiuũ*
uico occupari, qui in locum *VValdemari* *VValdemari.*
Branderburgici sine masculis mortui à *Ludo-
uico* Cæsare fuerat surrogatus. Vt deturba-
rent, ipsum *VValdemarum* refodi placuit ex
tumulo, sed infami artificio. E pistrino redi-
uiuus surgit, manu *Rudolphi Saxonis*, & *Otte-
nis* Archiep. Magdeburgici, molitor non
pessimi vultus, imo specie oris *VValdemaro*
similis. Indoles non deerat, qua mentiri
Principem posset: ei *Iacobus Rebock* nomen
erat. Plausibili commento fulcitur menda-
cium: numquàm desijsse viuere, sed sanctio-
ris vitæ desiderio latebras quæsijsse, quam vt
inueniret, se mortuum finxit. Ad suos redi-
re, non libidine imperij, sed paterni amoris,
vt libertatem redimeret populo suo, & iugo
subtraheret alieno. Hæc cum molitor non
incommodè dissereret, plebem nouarum
rerum cupidam sibi conciliauit. Fauebat
Carolus, & mirum commendabat amicis:
præcipuè Megapolensibus Comitibus *Al-
berto*, & *Ioanni*, quos Ducum insignibus au-
xerat; descendit & ipse cum copijs Bohemo-
rum, & nutantem prouincialium fidem, ad-
moto armorum terrore labefactauit. Tam
subita rerum inclinatione perturbatus *Lu-
douicus*, eo magis dolebat, quod cum larua
luctandum esset. Curas augebat, quòd par
extinguendo dedecori copia non esset. Mo-
ra verò hostes firmaret. Auxit tamen auda-
ciam necessitas; Cum pauculis intra mœnia
Francofurti ad Viadrum se recipit, vt præ-
sentia

an. 1348

Pugnare nō audet cum Ludouico.

sentia sua ciues confirmaret. Aduolat *Carolus* cum exercitu. Castra locantur castris. Pugnam obtulit *Ludouicus* causæ magis, quàm virium fiducia. Refugit *Carolus* quãuis numero longè superior; amicis ipsis renuentibus, imò & manipularibus in gratiam molitoris sanguinem fundere, licet secura foret victoria. Digrediente *Carolo Rupertus* iunior *Adolphi Palatini* filius, cum Comite *Gunthero Schuuarzenburgio* opportunas *Ludouico* suppetias adduxit: & dum declamante *Gunthero*, ferocior, perferuida gloriæ cupiditate, se in pericula impellit, victor subijcitur victo, & captus à *Rudolpho* Saxone, carceri datur.

an. 1348 XX. *Rupertus iunior Palatinus capitur.*

GVNTHERI IN CAESAREM ELECTIO. Anno 1349.

XXI. SChuuarzenburgium è prælio seruatum inimica (hoc anno) *Carolo* factio Cæsarem Francofurti salutauit. Is protinus legem edidit sequentem. *De Imperij excellentia, & Potestate Electi Imperatoris.*

Cum prædecessor noster, Dominus Lud. felicis recordationis Roman. Imperator, legem condiderit, in qua decreuit, Electum in Francofurt in Regem Romanorum à Principibus Electoribus, aut maiori eorum parte, administrationem Imperij ante confirmationem Papalem habere plenam & omnimodam, Nos habitu Principum nostrorum consilio, tam spiritualium quam secularium, post electionem nostram ab omni Clero & Populo probatam, & confirmatam, eandem legem hoc edicto nostro in perpetuum valituro renouamus, & ratificamus, renouatamque & ratam esse iubemus, decernimusque omnes processus aduersus illam institutos fuisse, & esse nullos, Pontificumque Romanorum acta, & dogmata aduersus eam habita Christianæ doctrinæ, & Apostolicæ repugnare, cum ipse Pontifex secundum omnia iura diuina, & humana debeat subesse Imperio, nec Imperator in temporalibus illi aut vlli personæ in terris subiectus esse noscatur. Quæ nam ergo hæc superbia est, quæ noua, & inaudita tyrannis, vt Principes Romanorum, legitimis suffragijs Electus, publicæ libertatis author, libertate priuetur, vt cuius esse debent omnia, ipse non sit suus?

**In primis Carolum Bohemũ, à Colonienſi, Treuirẽſi & Bohemo electũ à Pontifice confirmatũ, & Rege Frãciæ adiunctũ: quẽ*

2 *Quapropter ex dictorum Principum ac fidelium Imperij maturo consilio, & instantibus precibus iura imperij aduersus, quamcunque * personam, quæcunq; aliquid in perniciem & destructionem eius attentare, aut huic nostro edicto, & confirmationi contrauenire ausus fuerit, strenue viriliterque propugnanda suscepimus, ipsis Principibus ac fidelibus firmum auxilium fideliter promittentes, & suscipientes declaramus omnes eos, qui contra hanc nostram confirmationem aliquid dicere aut facere, vel dicentibus aut facientibus consentire præsumpserint, tanquam nostros & Imperij rebelles, omnibus beneficijs, gratijs & dignitatibus, quæ ab Imperio tenent, ipso iure & facto esse priuatos, sicuti nunc & extunc eos priuamus: insuper crimen læsæ Maiestatis eos incurrisse sancimus, & pœnis omnibus in criminis læsæ Maiestatis reos statutis subiacere. Datum in oppido nostro Frankofurt, VI. Idus Martij, anno ab Incarnatione Domini millesimotrecentesimo quadragesimo nono: anno vero Regni nostri primo.*

Gũthero Moguntinus Saxo & Brãdẽburgius Electores & Rex Angliæ Imperij Vicarius fauerẽt & adhærerẽt.

Eum *Carolus* palam aggredi non ausus, ingenio euertit, flagrantissimis amicorum ab eo alienatis, & pretio corruptis. Primus omnium *Rudolphus Palatinus* manus dedit. *Carolus* vt eum sibi deuinciret, *Annam* ipsius filiam in consortium regni, thorique petijt, & accepit. Ea conditio *Rudolpho* digna visa est, vt *Carolo* qualescumque condonaret iniurias. *Ludouicum* etiam vt sibi deuinciret, à Pontifice impetrauit, vt Curiensi Episcopo potestas daretur, approbandi diuortij, quòd *Margarita Ludouici* coniunx cum *Ioanne* fratre fecerat. Egrotantem interim *Guntherum Scuuarzenburgicum*, perfidia medici sustulit. *Tridancus* illorum primarius, vitam ægro pollicitus, mortem propinauit, incertum propria, an seruili fraude. Poculum, in quo medicamentum diluerat, a *Gunthero* medicus libare iussus, cunctantiùs prægustauit, quàm si metus aut conscientia veneficij abfuisset. *Guntherus* reliquias exhausit. Medicus verò confestim pallore suffusus, scelus vel errorem suum prodidit, & intra triduum extinctus, culpam luit forsam alienam. *Guntherus* viridi etiam æuo, aduersus vim morbi, mensem integrum luctatus, non vitæ modò, sed etiam spem Regni retinuit mordicus. donec *Ludouicus Brandeburgicus* inutilem moribundo ambitionem excussit, persuasitque vt

Argent. Rebdorf.

XXII. *Guntherus moritur.*

More regio sepelitur.

Regium

an. 1349 Regium nomen *Carolo*, viginti duobus mar-
carum argenti millibus venderet. Extincto
XXIII. Francofurti, sexto, postquàm se prò Cæsare
gesserat, mense, more Regio parentatum
est. *Carolus* funus duxit, publici luctus spe-
XXIV. *Carolus coronatur.* ctator in Ecclesia S. Bartholomæi. *Carolus*
ergo iam sinè riuali, cum noua nupta Aquis-
granum profectus, natalitijs D. Iacobi ferijs,
iterum coronatus, Caroli M. solium con-
scendit. Orta inter *Branderburgicum* & *Iulia-
censem* disceptatio, vter deberet Cæsari sce-
ptrum gestare, *Carolus* prætulit Branderbur-
gicum: Ipse verò Augustalia cimelia, inter
quæ Lancea quà Christi latus perforatum,
claui, ac Magni Caroli gladius, paludamen-
XXV. *Imperij insignia Carolo dantur.* tum *Carolo* reddidit, ea conditione nè Pra-
gam asportarentur, licet violata fide fue-
rint auecta. Sancita tamen inter vtrumque
Principem hoc pignore amicitia, & *Pseudo
VValdemaro* dicta dies. Videbantur omnia
fœliciter cedere. Iam multæ vrbes ad offi-
XXVI. cium redactæ. *Cum Mastino Scaligero*, cuius
opibus in bello Branderburgico insigniter
adiutus fuerat, affinitatem contraxerat: fi-
lium eius *Canem Grandem* sororis suæ con-
tentus honorare coniugio. Interim *VVilhel-
XXVII. *VVilhelmus Hollandus armat in matrem.* mus Hollandus* frater *Ludouici* arma sump-
sit in matrem. Hic absentis matris nomine
ius diceret Batauis, ius imperij penes ipsum;
insignia & *dominæ* nomen matri relictum.
Discordiæ causam incertam scriptores refe-
runt; an tedio vicariæ sub fœmina potesta-
tis, an intempestiua matris cupiditate, dege-
neri coniugio inhiantis, *VVilhelmus* offen-
sus, summam imperij ad se trahere conare-
tur. Audaciam consilij iure primùm de-
fendere instituit, æquius dictitans, prouincias
à filio Cæsaris, quàm à vidua iura petere.
XXVIII. *Margareta Hollãda crudelis.* Contra mater ius sanguinis pro se adducere.
Diuisa prouincia vtrumque armauit. *Mar-
gareta* se matrem oblita, efferata scripsit, *da-
turam se operam, nè filius integer periret: Vo-
tum suum esse, vt in quatuor partes sectum
quamprimum aspiciat*. Rescripsit VVilhel-
mus, *se illi vitam debere. Litem sibi cum ea
non bellum esse; si maximè ad arma cogatur,
ferrum in matrem non stricturum. Victoriam
ita exposcere, non vt de matre, sed cum matre
triumphet*. Humilitas hæc causam ipsius
meliorem fecit. Noluere superi victoriam
elargiri ei, quæ victoria tam crudeliter esset
vsura. Anno sequenti, nauali pugna in Mo- *An. Sal. 1351.*
sa concursum est. *Margareta* toto Hanno-
num robore, & Anglorum, Francorumque XXIX.
freta auxilijs partiarios suos armauit. Certa-
tum diù, & licet fortior mater, ac iustior,
barbarie polluta succubuit. *Ludouicus Ro-* XXX. *Ludouicus Romanus fugit.*
manus, qui posthabitis rebus Branderburgi-
cis, ad matris auxilium descenderat, venit in
maternæ fortunæ consortium. Ab *Alberto
Neapolitano* fugerat, cum *VValdemaro* Regi
Daniæ ferret auxilia. Arbitro tamen litis
Magno Rege Sueciæ accepto, *Saxoni*, &
Othoni Magdeburgico Antistiti, septemde-
cim marcarum millia promissa sunt, vt *Ru-
pertus minor* Comes Palatinus, libertati red-
deretur. Cum *Alberto Neapolitano* contra- XXXI. *Pax.*
cta affinitas: nam Ludouicus Romanus *In-
gemburgem* eius filiam nuptum accepit.
Pseudo-VValdemarus peracta fabula rogo
perijt impositus; & malis hominibus exem-
plum fuit, bellorum præmia pænes Princi-
pes sistere; penes ludionem supplicia. *Mar-
gareta* Augusta cum filio *VVilhelmo* in gra-
tiam redijt anno sequenti. Mors tamen *Ru-* XXXII. *Rudolphi Palatini mors.*
dolphi, qui *Caroli IV.* socer erat, cuncta tur-
bauit. Septemuiratus *Ludouici* filijs debe-
batur vi pactorum Ticinensium. Eorum
æquitatem de alternandis suffragij vicibus,
imperij proceres agnouerant, & probaue-
rant. *Carolus* Cæsar nihilominus vel odio in
posteros *Ludouici*, vel cupidine euehendi
suos, *Rupertum* fratrem septemuirali digni- *Rupertus frater Caroli Cæsaris Elector fit Palatinus.*
tate auxit, Boijs exclusis, factumque sequen-
ti anno. VI Cal. Iun. in publicas tabulas re-
tulit, & biennio post Norinbergæ S. Consul-
tum edidit, nè præter Palatinatus Rheni
possessores in Collegium Electorum quis-
quam Archidapifer cooptaretur vt ex se-
quenti.

DE IVRE, ET SVCCESSIONE ELECTORVM PALATINORVM. XXXIII.

Anno 1354.

CAROLVS Dei gratia Romanorum Rex Semper-Augustus, & Bohemiæ Rex; notum facimus vniuersis, quòd constitutus in nostra præsentia Illustris Rupertus senior Comes Palatinus Rheni, sacri Imperij Archidapifer & Dux Bauariæ, sororius & Princeps noster

noster dilectus, nobis quasdam literas claræ memoriæ Illustris Iohannis quondam Bohemiæ Regis, genitoris nostri dilecti, curauit ostendere, ut de tenore ipsarum dignaremur testimonium perhibere. Quarum tenor sequitur in hæc verba.

Nos Iohannes Dei gratia Bohemiæ Rex ac Lucenburgensis Comes, notum esse volumus tenore præsentium vniuersis, nos vidisse & plenè perlegisse literas Serenissimi Principis, D. Ludouici Romanorum Imperatoris, & Domini Ludouici Marchionis Brandenburgensis, continentes ordinationem & tractatum de Comitibus Palatinis Rheni, quis ipsorum ius seu vocem electionis in Romano Imperio seu Rege Romanorum quamplurimùm eligendo habere meritò deberet. Ex quibus siquidem literis prædictis liquidè apparet, Excellenti Principi Domino Rudolpho Comiti Palatino Rheni ac Duci Bauariæ, quamprimùm opportunitas ad hoc se offeret, vt Romanorum Rex eligi deberet, competere ius & vocem in electione duntaxat, & nulli alteri personæ. Eo igitur per dictum Dominum Rudolphum supplicatum nobis extitit, vt ordinationi præfatæ in prædictis literis contentæ nostrum præbere vellemus consensum beneuolum & assensum. Nos itaque tanquam is ad quem hoc de iure, sicut ad Principem & Electorem Imperij, spectare dinoscitur, supplicationibus prædicti Domini Ducis annuere cupientes, præfatam ordinationem factam per literas prædictas ratificamus, & nostrum ei præbemus consensum, assertionem & assensum expressum, recognoscentes ipsum in prima electione futuri Regis Romanorum eligendi facienda habere vocem eligendi, tanquam Principem & nostrum in ipsa electione Coelectorem, harum nostrarum testimonio literarum. Datum Franckfurt, quinta feria proxima ante diem Palmarum, Anno Domini MCCCXXXIX.

Nos igitur ad vniuersorum noticiam volumus peruenire, quòd easdem literas sub proprijs figuris & elementis, & sub sigillo maiori consueto dicti genitoris nostri in vera figura sigillatas vidimus, & de veritate & integritate ipsarum testimonium perhibemus, præsentium sub nostro sigillo testimonio literarum. Datum in Keysersperg, Anno Domini MCCCLIV. XI. Kalend. Iunij; Regnorum nostrorum anno octauo.

An. Christi 1354.

CAROLI IV. IMPER. AVG. MANDATVM.

De iure & successione Electorum Palatinorum.

Karolus Dei gratia Romanorum Rex Semper Augustus, et Boemiæ Rex, Rudolpho Saxoniæ Duci, &c. Princeps & auunculo dilecte, literas felicis recordationis Illustris Johannis olim Boemiæ Regis, genitoris nostri carissimi, vero suo sigillo pendenti sigillatas vidimus, expressè continentes, quòd felicis recordationis Illust. Rudolphus, olim Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ, Princeps & socer noster dilectus, ratione dicti Comitatus sacri Imperij esset Elector, & ex eo iustitia suadente rationabiliter declarauimus, Illustrem Rupertum antiquiorem Comitem Palatinum Rheni & Ducem Bauariæ, sororium et Principem nostrum dilectum, dicti olim Rudolphi soceri nostri germanum, verum Imperij Principẽ Electorem fore, & vnà cum alijs sacri Imperij Principibus Electoribus veram eligendi vocem Romanorum Regem in Imperatorem promouendum habere, prout in litera nostro sub appenso sigillo sigillata præmissa singula lucidius contineri videbis. Et quia præscripta rationem sapiunt, Dilectionem tuam attento studio requirimus, exortamur, vt super eadẽ materia literas tuo sub sigillo sigillatas præfato Ruperto Principi nostro iuxta formulam notulæ, quam tibi præsentibus mittimus interclusam, in qua nil aliud continetur, quàm in nostra litera est expressum, eo dumtaxat excepto, quòd nos sub certis modo & forma, & tua dilectio sub alijs, loquimur, prout conuenit, velis exhibere. Datum Oppenheim, anno Domini MCCCLIV. feria tertia proxima post ascensionem Domini nostri: Regnorum nostrorum octauo.

CAROLI IV. IMPER. AVG. CONSTITVTIO

An. Christi 1355. De incorporatione Ducatuum Poloniæ & Silesiæ, & Marchionatus Lusatiæ, quòd perpetuò Regno Bohemiæ sint indiuisibiliter counita.

XXXIV. *IN nomine Domini Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. CAROLVS Dei gratia Roma-*

norum Imperator Semper. Augustus, etc. ad perpetuam rei memoriam. Insignes laudabilis famæ titulos moderni temporis meretur gloriosa posteritas, si quod prædecessorum Illustrium circumspecta pridem instaurauit prouisio, vigilanti cura prosequitur, & gratæ solicitudinis munit officio, vt fructuosi laboris solertia perenni successorum commendentur memoriæ, & ex perfectione bonorum operum, quasi ex relucenti speculo vetustatis surgat de felicibus mortuis felix memoria rediuiua.

1. *Sanè licet pridem recolendæ memoriæ Diuus Fridericus Romanorum Imperator Augustus, prædecessor noster, de singulari suæ benignitatis munere, claræ recordationis Illustri Vladislao quondam Boemiæ Duci, qui Regnum Bohemiæ ante coronationem suam regebat, & suis heredibus Bohemiæ Regibus censum de terra Poloniæ, quem antecessores eius Duces Bohemiæ à Polonia multis temporibus accipere consueuerant, quemque Poloniæ, & Silesiæ Duces sacro Imperio soluere tenebantur, prout in literis Imperatoris præfati euidenter exprimitur, liberaliter duxerit erogandum. Ipsi quoque Duces Poloniæ, & Silesiæ eundem censum Illustribus progenitoribus, & prædictis nostris Bohemiæ Regibus, in signum subiectionis debitæ, & in recognitionem sui superioris Domini ritè persoluerint multis temporibus retroactis: tamen ad abundantius cautelæ præsidium, tractu temporis dicti Duces suorum heredum, & successorum nomine atque vice, Principatus, terras ac dominia sua, à claræ memoriæ Illustri Ioanne quondam Bohemiæ Rege, genitore nostro carissimo defuncto, & à Corona Regni Bohemiæ præstiterunt solemnitatis, obedientiæ, homagij, subiectionis & fidelitatis debita iuramenta corporalia.*

2. *Et licet insignis Ducatus Vratislauiensis, & Silesiæ, cum suis omnibus pertinentijs, ad vtilem, & immediatum Dominum Illustrem quondam Bohemiæ Regem, progenitorem nostrum, & Coronam Regni Bohemiæ spectauerit ab antiquo, sicut hoc literæ recolendæ memoriæ Domini Rudolphi Romanorum Regis, prædecessoris nostri, ostendunt. In quarum prima quandam ordinationem inter Illustrem Ottocarum quondam Bohemiæ Regem, proauum nostrum carissimum ex vna, & Henricum Ducem Vratislauiensem parte ex altera: videlicet quòd dictus Ottocarus Rex eidem Hērico Vratislauiensi et Silesiæ Duci, in casu, si Ducem premori contigerit, in præmisso Ducatu Vratislauiensi & Silesiæ, terris, & omnibus dominijs suis deberet succedere, per se factum adserit, & in sede ipsarum dicto Henrico Duci iam sublato de medio, prædictum Regem Ottocarum, heredes & successores suos, Reges Bohemiæ, de Ducatu Vratislauiensi & Silesiæ, terris & dominijs præfatis, tamquam actu vacantibus, propter multa grata seruitia, quæ Illustres Bohemiæ Reges sacro Romano Imperio fecerant, solenniter inuestiuit, lucidiùs attestantur: tamen Illustris quondam Iohannes Bohemiæ Rex: genitor noster præfatus, cum Henrico septimo, & vltimo Vratislauiæ & Silesiæ Duce, sororio nostro, dum vterque ipsorum vitam ageret in humanis, quandam ordinationem iniit, & tractauit; videlicet quòd dictus Dux Henricus terram & districtum Glacensem cum vasallagijs, feudis, dominijs & alijs omnibus pertinentijs suis, de consensu dicti genitoris nostri, ad vitæ duntaxat tempora habere deberet, vt tamen eo moriente, Ducatus sui, puta Vratislauiensis et Silesiæ, ad prædictum Glacensem dominum, ad vsum & possessionem genitoris nostri, heredum & successorum ipsius Regum, & Coronæ Regni Bohemiæ, sine difficultate qualibet reuenirent. Sic hoc processu dierum ad finem deuenit intentum. Eoque dictus genitor noster, dum viueret, moriente Duce præfato, Ducatum Vratislauiensem, & terram Glacensem præfatam tenuit, & possedit, & nos vti umque de præsenti, velut Bohemiæ Rex, in possessione tenentes, vtrobilibet dominamur.*

3. *Et quamuis Marchia Budisinensis, & Gorlicensis, quæ cum cæteris ciuitatibus, oppidis & pertinentijs suis ad Regnum, & Coronam, Bohemiæ ab antiquo pertinuerunt, per Illustrem Ottocarum quondam Regem Bohemiæ, proauum nostrum, in personas quondam Illustrium Brandenburgensium Marchionum, ex certis causis & rationibus alienata fuerit: aliquando tamē Marchionibus prædictis, absq; sexus masculini heredibus, decedētibus ex hac vita, Nobiles, Milites, Clientes, ciues, vniuersiq; incolæ Marchiæ Budisinensis & Gorlicensis præfatæ, animaduersione debita cognoscentes, qualiter ad Coronam & Regnum Bohemiæ, tanquam ad immediatum, & naturalem Dominum, dudum pertinuerant, ad subiectionem et obedientiam Illustris Ioannis quondam Bohemiæ Regis, genitoris nostri, tanquam ad ordinarium, legitimum & naturalem dominum suum, et ad*

Coro-

Coronam Regni Bohemiæ, de cuius gremio iamdudum constiterant, vt præfertur, deliberatione non improuida redierunt.

4. Nos igitur indefessam solicitudinis operam, & diligentiam exquisitam, quam sæpedicti proauus, pater, ac progenitores nostri carissimi, quondam Bohemiæ Reges, ad obtinendum subiectionis vasallagium, & obedientiam Illustrium Silesiæ, & Poloniæ Ducum, videlicet Lignicensis, Brigensis, Munsterbergensis, Olsnensis, Glogouiensis, Saganensis, Opuliensis, Falckenbergensis, Strelicensis, Teschinensis, Tolsnensis, Buthuniensis, Stenauiensis, Osuetiensis: Principatus Massouiæ, & Ducatus in Plotzka, Principum, & fidelium nostrorum; Principatus seu Ducatus Vratislauiensis et Silesiæ: necnon ciuitates, videlicet Vratislauia, Nouumforum, Franckenstain, Stinauiam, Gorauu, et mediam partem Glogouiæ, et pertinentiarum ipsius: & etiam Budisinensem, & Gorlicensem Marchiam, vt præfertur, non absque magnis impensis & infinitis laboribus habuerunt, in nostræ Maiestatis acie continuò reuoluentes, vt virtutum ipsorum frequentia, & solicitudo laborum, præteriti sub felice nostro regimine solidetur, sicut dudum de plenitudine Romanæ Regiæ potestatis statuẽdum duximus, ita & nunc ex certa scientia statuimus de nostræ Imperialis plenitudine potestatis, quòd omnes supradictæ sententiæ, & Clementiæ Imperialis, & Regalium literarum, quas ad probationem dictarum intentionum adduximus, semper & vbiq; in iudicio & extra, & in singulis actibus publicis, et priuatis, quotiens tenorem præsentiũ legi & publicari contigerit, eiusdem efficaciæ, vigoris & auctoritatis existant, ac si in signis proprijs originalia viderentur; & præcipuè cũ eadem originalia per nos ac nonnullos sacri Imperij Principes, Barones, Proceres, auscultata et examinata fuerunt diligenter; & demum communicato super omnibus præmissis nonnullorũ sacri Imperij Principum, Baronum & Nobiliũ consilio speciali, prædictis omnibus de verbo ad verbum, prout superius exprimitur, intellectis, & in examine deliberatè, & prouidè discussis adductis, ne ex interpretatione sinistra quorũlibet, nostris heredibus & successorum nostrorum Regum Bohemiæ, et Coronæ Regni eiusdem, iuribus, hominibus & statui valeat in posterum derogari: auctoritate Imperiali dictos Silesiæ, Poloniæ, & cæteros prædictos Duces, nostros Principes et vasallos, cum Principatibus, feudis & vasallagijs ipsorum, præsertim cum á Corona Regni præfati immediatè dependeant: dictum quoq; Ducatum Vratislauiensem, cum ciuitate Vratislauia, Nouiforensi, Franckenstain, Stinauiensi, Gorensi, Glogouiensi, & cæteris oppidis ibidem: necnon Marchiam Budisinensem et Gorlicensem, cum vasallis, vasallagijs, feudis, feudatarijs, vtilitatibus, fructibus, obuentionibus, iurisdictionib., iudicijs, honorib., iuribus, consuetudinibus, & omnibus dictorum Ducatuum et Marchiæ pertinentijs, velut vtile immediatum dominium nostrum, & Regni Bohemiæ præfati, eidem Regno, et eius felici Coronæ, in perpetuum adiungimus, incorporamus, inuisceramus, adscribimus, adpropriamus, & indiuisibiliter coniungimus, counimus.

5. Speciali etiam ex nomine interpretamur, pronuntiamus, deffinimus, protestamur, & dicimus, ac de certa nostra scientia declaramus, quòd præfati Duces Silesiæ, & Poloniæ, heredes, & successores ipsorum, in perpetuum, quotiens Ducatus eosdem aut alterum ex eis vacare contigerit, ipsos vel ipsum à nobis, heredibus & successoribus nostris Boemiæ Regibus, et Coronæ Regni eiusdem, homagij, obedientiæ, fidelitatis & subiectionis debitæ teneantur ac debeant præstare, et facere corporalia iuramenta, supplentes omnem defectum, si quis in literis vel priuilegijs dictorum Imperatorum, & Regum Roman. memoriæ recolendæ, aut etiam in ordinatione seu tractatu dicti genitoris nostri, quem cum præfato Henrico septimo, & vltimo Vratislauiensi, & Silesiæ Duce habuisse dignoscitur, seu in reditu Nobilium, Militum, clientum, ciuium, & incolarum Budisinensis, & Gorlicensis Marchiæ, quò ad Regnum Boemiæ, vt præmittitur, ex causis legitimis redierunt; vel in præsentibus nostris literis verborum defectus, interpretatione dubia, sententiarum obscuritate, vel alia quauis occasione, compertus fuerit, de certa nostra sciẽtia, ac de prædicta Imperialis plenitudine potestatis, non obstantibus legibus, consuetudinibus, vsibus, obseruantijs, iuribus municipalibus vel communibus, statutis seu edictis, publicis, vel priuatis, factis & editis in contrarium, quibuscumque; quas & quæ, quantum ad hæc, ac si nominatim de verbo ad verbum præsentibus inscripta, & inserta consisterent, etiamsi de his iure vel consuetudine deberet fieri mẽtio specialis, reuocamus, cassamus, irritamus, annihilamus, & de prædictæ Imperialis potestatis plenitudine decreuimus

firmitatis fore nullius penitùs & momenti.

6. Nulli ergò hominum liceat hanc nostræ adiunctionis, approbationis, coniunctionis, incorporationis, inuiscerationis, adscriptionis, interpretationis, pronuntiationis, deffinitionis, protestationis, declarationis, discreti defectus suppletionis, reuocationis, cassationis, irritationis & annihilationis paginam infringere. Contrarij verò facientes, si qui fuerint, quod absit, vltra indignationem nostræ Celsitudinis, quam ob hoc se nouerint incursuros, mille marcas auri puri nostre & Romani Regni fisco componant: ipsarum videlicet medietatem nostræ seu successorum nostrorum Curiæ seu Cameræ, reliquam passis iniuriam irremissibiliter applicandam.

Signum Serenissimi Principis ac Domini, Domini KAROLI Quarti Romanorum Imperatoris, Semper-Augusti.

Testes huius sunt:

Venerabilis Ernestus Pragẽsis Archiepiscopus. Illustris Rudolphus Senior Dux Saxoniæ sacri Imperij Archimarschallus, auunculus noster.

ac Venerabiles { *Pretzlaus Vratislauiensis, Cancellarius Aulæ nostræ,*
Iohannes Olmicensis,
Johannes Luthoniensis,
Theodoricus Mindensis,
Henricus Lumudensis, } *Episcopi.*

Illustres { *Rudolphus Iunior Saxoniæ*
& Ioannes Opauiæ } *Duces.*

Spectabiles { *Burghardus Magister Curiæ nostræ, Burggrauius Magdeburgensis,*
& Albertus de Anchtal. } *Comites.*

& Nobiles { *Johannes de Rosenberg,*
Iohannes de Sternberg,
Ztrincko de Hasenberg,
Gonstans de Schuuanberg,
Butzcko de Constat,
Dionysius de Romnitz,
& Vlricus de Visa: }

& alij quàm plures nostri fideles, præsentium sub Bulla Aurea. Datum Pragæ, Anno Domini 1355. Indict. octaua, 7. Idus Octob.

LITERÆ PRINCIPVM ELECTORVM

XXXV. Prò confirmatione incorporationis Poloniæ, Silesiæ, Lusatiæ cum Imperio.

An. Christi 1355. *NOS GERLACVS Dei gratia sanctæ Moguntinensis Sedis Archiepiscopus, & Sacri Jmperij per Germaniam Archicancellarius, ad perpetuam rei memoriam. Serenissimus ac inuictissimus Princeps & Dominus, Dominus Carolus diuina fauente clementia Roman. Imper. Semper-Augustus, & Boemiæ Rex, Dominus noster gratiosus, prouida sua circumspectione aduertens, prædecessorum Illustrium circumspecta pridem instaurauit prouisio, vigilanti cura prosequitur, ac grate solicitudinis munit officio, vt fructuosi laboris solertia, perenni successorum commendetur memoriæ, & ex consequentia bonorum operum quasi ex relucenti speculo vetustatis resurgat de felicibus mortuis felix memoria, rediuiua.*

2. Licet pridem recolendæ Serenissimus Princeps, Dominus Fridericus Rom. Imp. Semper-Augustus, prædecessor præfati Domini nostri Imperatoris, de singulari benignitate claræ recordationis, Illustri Principi Domino VVenceslao quondam Boemiæ Duci, qui Regnum Boemiæ ante coronationem suam regebat, & suis hæredibus Regibus Boemiæ, censum de terra Poloniæ, quem antecessores eius Duces Boemiæ à Polonia multis temporibus accipere consueuerunt, quamque Poloniæ, & Silesiæ Duces sacro Jmperio soluere tenebantur, prout in literis Domini Friderici Imp. præfati euidenter exprimitur, liberaliter duxerit erogandum. ipsi quoque Duces Poloniæ, & Silesiæ eundem censum Illustribus progenitoribus, & prædecessoribus prædicti Domini nostri Imperatoris in Regno Boemiæ, eisdem Regni Boemiæ Regibus in signum subiectionis, & in recognitionem sui superioris dominij ritè persoluerit multis temporibus retroactis: tamen ad abundantius cautelæ præsidium, tractu temporis dicti Duces, suo, hæredum & successorum nomine ac vice, Principatus, terras ac dominia á claræ memoriæ Illustri Principe, Domino Ioanne quondam Boemiæ Rege, genitore dicti Domini nostri Imperatoris, dum viueret, & demùm ab eodem Domino nostro Imperatore CAROLO, tanquã Boemiæ Rege, præfato ipsius genitore defuncto, & à Corona Regni Boemiæ, in feudum cum solemnitate debita susceperunt, dictoque Domino Imperatori, ac ipsius genitori, dum viueret, tanquam Boemiæ Regibus, & Coronæ Regni Boemiæ, præstiterunt solemniter obedientiæ, homagij, subiectionis & fidelitatis debitæ corporalia iuramenta.

3. *Et*

3. *Et licet insignis Ducatus Vratislauiæ, & Schlesiæ, cum suis omnibus pertinentijs, ad vtile, & immediatum dominium Illustrium quondam Boemiæ Regum, progenitorum & prædecessorum antedicti Domini nostri Imperatoris & Coronam Regni Boemiæ spectauerit ab antiquo, sicut hoc literæ recolendæ memoriæ Serenissimi Principis Domini Rudolphi quondam Romanorum Regis, prædecessoris dicti Domini nostri Imperatoris, in quarum prima quandam Ordinationem inter Illustrem Principem Dominum Ottocarum quondam Boemiæ Regem, proauum ipsius domini nostri Imperatoris ex vna, & Dominum Henricum Ducem Vratislauiensem parte ex altera; videlicet quòd dictus Rex Ottocarus eidem domino Henrico Vratislauiensi, & Silesiæ Duci, in casu, si Ducem præmori contingeret, in præmisso Ducatu Vratislauiensi, & Schlesiæ terris, & omnibus dominijs suis, succedere, prose factum adserit. Et in secunda ipsarum dicto Domino Henrico Duce iam sublato de medio, prædictum Regem Ottocarum, hæredes & successores ipsius, Boemiæ Reges, de Ducatu Vratislauiensi, & Silesiæ terris, & dominijs præfatis, tanquam actu vacantibus, propter multa grata officia, quæ Illustres Boemiæ Reges sacro Romano Imperio fecerant, solemniter inuestiuit, lucidiùs attestantur. Cum Illustris quondam Ioannes Boemiæ Rex, genitor dicti Domini nostri Imperatoris præfatus, cum Illustri Domino Henrico VII. & vltimo Vratislauiensi, & Schlesiæ Duce, sororio ipsius Domini nostri Imperatoris, dum vterque ipsorum vitam ageret in humanis, quandam Ordinationem iniit & tractauit, videlicet quòd dictus Dux Henricus terram, & districtum Glacensem, cum vasallagijs, feudis, dominijs, & omnibus pertinentijs suis, de consensu genitoris dicti Domini nostri Imperatoris, ad vitæ suæ duntaxat tempora habere deberet, vt tamen eo moriente Ducatus sui, Vratislauiensis, & Schlesiæ, ad prædictum dominium Glacense, ad vsum, & possessionem dicti genitoris Domini nostri Imperatoris, heredum & successorum ipsius, Regum Bohemiæ, et Coronæ Regni eiusdem sine difficultate qualibet reuenirent, sicut hoc processu dierum ad finem peruenit intentum: eò quòd prædictus Rex Ioannes, præfati Domini nostri Imperatoris genitor, dum viueret, moriente Duce præfato, & Ducatum Vratislauiensem, & terram Glacensem præfatam tenuit & possedit, & ipse Dominus Imperator de præsenti, veluti Boemiæ Rex, possessionem tenens vtrobilibet dominatur.*

4. *Et quamuis Marchia Budisinensis & Gorlicensis, quæ cum cæteris ciuitatibus, oppidis & pertinentijs suis ad Regnum, & Coronam Boemiæ ab antiquo pertinuerunt, per Illustrem Dominum Ottocarum quondam Boemiæ Regem, proauum dicti Domini nostri, in personas Illustrium Principum, & Dominorum quondam Brandenburgensium Marchionum, ex certis & rationabilibus causis, alienatæ fuerant; aliquando tamen Dominis Marchionibus prædictis, atque heredibus sexus masculini decedentibus ab hac vita, Nobiles, Milites, Clientes, Ciues, & vniuersi incolæ Marchiæ Budisinensis & Gorlicensis præfatæ, animaduersione debita cognoscentes, qualiter ad Regnum, & Coronam Boemiæ, tanquam ad immediatum, & naturale dominium dudum pertinuerant, ad subiectionem, & obedientiam dicti Illustris Domini Iohannis quondam Boemiæ Regis, genitoris antedicti Domini nostri Imperatoris, tanquam ad ordinarium, legitimum & naturalem Dominum suum, & ad Coronam Regni Bohemiæ, de cuius gremio dudum constiterant, vt præscribitur, deliberatione non improuida redierunt.*

5. *Supradictus itaque Dominus noster Carolus Imp. exquisitam diligentiam, & sollicitudinem, quam sæpedicti proauus, pater & progenitores sui quondam Bohemiæ Reges, ad obtinendum subiectionem, vasallagium & obedientiam Illustrium Principum Dominorum Schlesiæ & Poloniæ Ducum, videlicet Lignicensis, Brigensis, Munsterbergensis, Olsnensis, Glogouiensis, Saganensis, Oppolicnsis, Falckenbergensis, Strelicensis, Tessiensis, Gozlensis, Butinensis, Stinauiensis, & Osuuicensis: Principatus Massouiæ, & Ducatus in Platzk, Principum, & fidelium eiusdem Domini Imperatoris, tanquam Regis Boemiæ: Principatus seu Ducatus Vratislauiensem, & Schlesiæ; necnon ciuitates, videlicet Vratislauiam, Nouumforum, Franckenstein, Stinauiam, Sorouu, Glogouiam, Nambslauiam, & pertinentiarum ipsarum: & etiam Budesinensem, & Gorlicensem Marchiam, vt prefertur, non absque magnis impensis, & infinitis laboribus habuerunt, in sua mentis acie, intima meditatione reuoluentes, vt virtutis ipsorum frequentia, & sicut dudum eum plenitudine Romanę Regię pote-*

potestatis statuendum duxerat, ita & nunc ex certa scientia statuit, & de suæ Imperialis plenitudine potestatis, quòd omnes supradictæ sententiæ, & clausulæ Imperialium, & Regalium literarum, quas ad probationem dictarum intentionum adduxit, semper & vbique in iudicio & extra, & in singulis actibus publicis & priuatis, quoties tenorem præsentium legi siue publicari contigerit, eiusdem efficaciæ, vigoris, & auctoritatis existant, ac si in figuris proprijs originalia viderentur: eò præcipuè, cùm eadem originalia per eundem Dominum Imperatorem, nos ac nonnullos sacri Romani Imperij Dominos, Principes, Barones, Proceresque auscultata, & examinata fuerint diligenter: ac demum communicato per eundem dictum Dominum nostrum Imperatorem super omnibus præmissis, nostro & nonnullorum sacri Imperij Principum, Baronum & Nobilium consilio speciali, prædictis omnibus de verbo ad verbum, prout superius exprimuntur, & in examen deliberatæ, & prouidæ discussionis adductis, ne ex interpretatione sinistra quorumlibet prædicti Domini nostri Imperatoris, tanquam Regis Boemiæ, heredum & successorum suorum, Regum Boemiæ, & Coronæ Regni eiusdem, iuribus, honoribus & statui valeat in posterum derogari, ipse Dominus Imperator auctoritate Imperiali dictos Schlesiæ, & Poloniæ, & cæteros prædictos Duces, ipsius tanquam Regis Boemiæ Principes, & vasallos, cum Principatibus, feudis & vasallagijs ipsorum, præsertim cum à Corona Regni immediatè dependeant: dictum quoque Ducatum Vratislauiensem, cum ciuitate Vratislauia, Nouiforensi: ciuitates Franckenbergensem, Stinauiensem, Gorensem, Glogouiensem, & cætera oppida ibidem: necnon Marchiam Budesinensem, & Gorlicensem, cum vasallis, vasallagijs, feudis, feudatarijs, vtilitatibus, fructibus, obuentionibus, iurisdictionibus, iudicijs, honoribus, iuribus, consuetudinibus, & omnibus dictorum Ducatuum, & Marchiæ pertinentijs, velut vtile & immediatum dominium suum, & Regni Boemiæ præfati, eidem Regno & eius felici Coronæ, in perpetuum, nostro, & aliorum Dominorum Principum Electorum accedente consensu, adiunxit, incorporauit, inuiscerauit, adscripsit, appropriauit, indiuisibiliter & inseparabiliter couniuit.

6. Specialiter etiam, & ex nomine prædictus Dominus noster Imperator interpretatus est, deffiniuit, pronuntiauit, protestatus est, & dixit, ac de certa scientia sua declarauit, quod præfati Duces Silesiæ, & Poloniæ, heredes & successores eorum in perpetuum, quotiens Ducatus eosdem, aut alterum ex eis vacare contigerit, ipsos vel ipsum à præfato Domino nostro Imperatore, tanquam à Rege Bohemiæ, ac heredibus & successoribus suis Boemiæ duntaxat Regibus, & à Corona Regni Boemiæ præfati, absque renitentia seu difficultate in feudum tenenantur suscipere, dicto Domino Imperatori, tanquam Regi Bohemiæ, heredibus & successoribus suis Boemiæ Regibus, & Coronæ Regni eiusdem, homagij, obedientiæ, fidelitatis & subiectionis debitæ teneantur, & debeant præstare & facere corporalia iuramenta. Suppleuit etiam præfatus Dominus noster Imperator omnem defectum, si quis in literis, & priuilegijs, aut etiam ordinatione seu tractatu dicti genitoris, quem cum præfato Domino Henrico VII. & vltimo Vratislauiensi, & Silesiæ Duce habuisse dignoscitur; seu in reditu Nobilium, Clientum, Militum, Ciuium, incolarum Budisinensis, & Gorlicensis Marchiæ, qui ad Coronam Regni Boemiæ, vt præmittitur, ex causis legitimis redierunt; vel in consilijs, tenore, literis suis, verborum defectu, interpretatione dubia, sententiarum obscuritate, vel alia quauis occasione compertus fuerit, de certa sua scientia, ac de prædictæ Imperialis plenitudine potestatis, non obstantibus legibus, consuetudinibus, vsibus, obseruantijs, iuribus municipalibus vel communibus, statutis seu edictis, publicis vel priuatis, factis & editis in contrarium quibuscunque, quas & quæ, quantum ad hæc, ac si nominatim de verbo ad verbum suis literis inscripta & inserta consisterent, etiamsi de his iure vel consuetudine deberet fieri mentio specialis, reuocauit, cassauit, irritauit, annihilauit, & de dictæ Imperatoriæ potestatis plenitudine decreuit firmiter, fore nullius penitus momenti.

7. Inhibuit etiam præfatus Dominus noster Imperator Carolus, quòd nulli hominum liceat sui Imperialis indulti super præmissa editi paginam infringere, seu ei quouis ausu temerario contraire. Et voluit auctoritate sua contrafacientes quoslibet pœnam mille marcarum puri auri incurrere, & earum medietatem fisco Romani Imperij, residuam verò Regni Boemiæ, & successorum suorum Cameris irremissibiliter applicari, sicut in originalibus literis

ris dicti Domini nostri Imperatoris, quas sub Bulla Aurea, typario suæ Maiestatis desuper erogasse dignoscitur, plenius & distinctius est expressum.

8. Nos igitur, qui suprà, Gerlacus Sedis Moguntinensis Archiepiscopus, ex eisdem rationabilibus, & euidentibus causis, quibus antedictus Serenissimus Princeps, Dominus noster Imperator Carolus, circumspecta sua prouidentia motus dignoscitur, & ex omnibus prædictis, tanquam ex motiuis legitimis, sacri Romani Imperij statum, & augmentum prospicientibus, propensius animati, supradictis adiunctioni, incorporationi, inuisceratióni, adscriptioni, adpropriationi, communioni, interpretationi, pronunciationi, diffinitioni, protestationi, declarationi, decreto, defectuum suppletioni, reuocationi, cassationi, irritationi, annihilationi, pœnarum adiectioni, & omnibus alijs, quæ expressantur, aut sunt expressata superius, velut Archiepiscopus Moguntinensis, sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector, animo deliberato, & sano procedente consilio, nostrum beneuolum consensum, & assensum præsentibus adhibemus; ac supra dicta omnia, & eorum quodlibet, singulaque, in omnibus suis tenoribus, sentijs, punctis & clausulis de verbo ad verbum, prout suprà euidenter expressa, ex officij nostri debito, laudamus, approbamus, & de certa nostra scientia confirmamus plenissimè perpetuis temporibus valitura, præsentium sub nostro sigillo testimonio literarum. Datum in Nurenberg, anno Domini M. CCCLV. in die Beatę Lucię Virginis.

STATVTVM.

Vt nemo citetur extra Regnum Bohemiæ. & de auri fodinis.

XXXVI. An. Christi 1356. NOs Gerlacus Dei gratia sanctę Moguntinensis Sedis Archiepiscopus, sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius, omnibus in perpetuum. Cùm per recolendę memorię Diuos Romanorum Imperatores & Reges, Illustribus quondam Regibus Boemię claræ memorię, ac claro Regno Boemię, & eiusdem Regni coronę olim concessum fuerit & indultum sit, quòd in eodem Regno à tempore, cuius contraria hodie non extat memoria, consuetudine laudabili conseruata, diuturnitate temporum, & pręscripta moribus vtentium, sine contradictionis aut interpretationis obstaculo introductum, quòd nullus Princeps, Baro, Nobilis, Miles, Cliens, Burgensis, nulla denique persona eiusdem Regni, & pertinentiarum eius vbicunque existentium, cuiuscunque status, dignitatis, pręeminentię vel conditionis existat, ad cuiuscunque actoris instantiam, extra Regnum ipsum ad quodcunque tribunal seu alterius ius, pręterquam Regis Boemię Regalis Curię suę iudicium citari poterit, seu trahi vel vocari debeat, perpetuis in antea temporibus siue possit. Cumque Serenissimus, & inuictissimus Princeps, et Dominus, D. Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Boemię Rex Illustris, Dominus noster gratiosus, priuilegium, consuetudinem & indultum huius Imperiali auctoritate, & de plenitudine Imperialis potestatis, innouans & confirmans, duxerit statuendum, vt si quispiam prædictorum, puta Princeps, Baro, Nobilis, Miles, cliens, ciuis, burgensis seu rusticus, ac alia quæcunque persona, ad cuiuscunque tribunal extra Regnum prædictum Boemiæ in quacunque causa, criminali, ciuili, & mixta, seu super quocunque negotio citatus fuerit, quocunque tempore, vel citata comparere, vel in iudicio respondere non teneatur: sique aduersus huiusmodi non comparentes, vel non comparentem, à quocunque iudice extraneo extra Regnum Boemiæ constituto, iudicialiter procedi, processus fieri, seu sententias interlocutorias, vel diffinitiuam, vnam vel plures, in quibuscunque prænotatis causis siue negotijs quouis modo ferri vel promulgari contigerit, eadem auctoritate & potestate citationes, præcepta, processus & sententias huiusmodi, necnon executiones & omnia ex eis, vel aliquo eorum quouis modo secuta irritauerit penitus, & cassauerit: adijciendo expressè, & auctoritate simili decernendo, vt quemadmodum in prædicto Regno Boemiæ, à tempore, cuius contrarij non habetur memoria, iugiter obseruatum existit, ita nulli Principi, Baroni, Nobili, Militi, Clienti, ciui, burgensi, seu rustico, nulli denique personæ seu incolæ Regni Boemiæ sæpedictis, cuiuscunque status, præeminentiæ, dignitatis

tatis vel conditionis existant vel existat, a quibuscunque processibus, sententijs interlocutorijs vel definitiuis, siue praeceptis Regis Bohemiae, aut Iudicis Curiae suae, necnon executionibus eorundem contra se in Regali iudicio seu coram Regis, Regni & Curiae praedictorum Iudicibus, factis, latis seu habitis, vel ferendis in antea seu fiendis, ad quodcunque aliud iudicium liceat appellare: prouocationes quoque seu appellationes, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso iuribus non subsistere, & appellantes ipsos poenam perditionis causarum ipso facto statuens incurrisse.

2. *Necnon auctoritate Imperiali, & de certa sua scientia declarauit, quòd ipse & omnes successores sui Boemiae Reges, vniuersas auri & argentifodinas, atque mineras stanni, cupri, ferri, plumbi, & alteriuscunque metalli grauis, ac etiam salis, tam inuentas, quàm inueniendas in posterum quibuscunque temporibus in Regno suo Boemiae praedicto, ac terris, dominijs, territorijs & districtibus eidem Regno subiectis, & omnibus pertinentijs suis, tenere iustè possint, & potuerint in perpetuum, & legitimè possidere: necnon Iudaeos iusto titulo habuisse & habere; & telonia à praeterito instituta seu indicta percipere, et noua rationabiliter instituere posse & potuisse: necnon monetas auri, & argenti in omni loco, & parte Regni sui Bohemiae praedicti, & subditarum eidem terrarum & pertinentijs vbique, si heredes aut successores sui Bohemiae Reges decreuerint, ipsisque placuerit inde facere, & mandare, sub omnibus modis, & forma, in praedicto Regno Bohemiae circa talia consuetis vsque ad haec tempora laudabiliter obseruari, &c.*

3. *Quòd virtute Imperialis edicti, & consuetudine diutius introducta, liceat Boemiae Regibus perpetuo tempore à quibuscunq; Principibus, Magnatibus, Comitibus ac personis alijs quibuscunque, terras, castra, possessiones, praedia siue bona, emere, comparare, & in donum vel donationem ex quacunque causa, aut in obligationem recipere, sub talium castrorum, terrarum, possessionum, praediorum, seu bonorum conditione consueta, vt videlicet propria recipiantur, & comparentur vt propria, libera vt libera, & ea quae dependent in feudum similiter emantur in feudum, seu donata ac comparata taliter teneantur: ita tamen quòd ipsi Reges Boemiae de his, quae hoc modo comparauerint vel receperint, & Regno Bohemiae applicanda duxerint, ad consueta & debita iura de talibus sacro explenda, & reddenda Imperio perpetuò sint adstricti, sicut in forma praedicti Domini nostri Imperatoris, quas desuper nostro, & aliorum Principum Electorum consilio edidisse dignoscitur, plenius est expressum.*

4. *Nos igitur praemissa omnia, & eorum quodlibet, sicut in solennibus Curijs Nurnbergae celebratis in commune consilium nobiscum, & cum caeteris Principibus Electoribus nostris habitum, per ipsum Dominum nostrum Imperatorem deducta, multoque studio ventilata, & rationabilia fuerint iudicata, recognoscimus de nostro consilio, & pleno processisse consensu; ratificantes, ac singula, & omnia rata habentes & grata, beneuolum nostrum eis adhibemus consensum ex certa scientia, pariter & assensum. In cuius rei testimonium praesentes literas fieri, & nostri sigilli appensione fecimus communiri. Datum in Nurnberg, anno 1356. in crastino Epiphaniae eiusdem.*

An. Christi 1356.

CAROLI IV. IMPER. AVG. DECRETVM

De iure & successione Electorum Palatinorum.

XXXVII. NOS KAROLVS *Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiae Rex, recognoscimus publicè per praesentes, & notificamus cunctis ipsam intuentibus seu legi audientibus, quòd nos cum omnibus Principibus Electoribus, Ecclesiasticis & saecularibus, & ipsi nobiscum, voluntate communi & vnanimiter, in Imperiali nostra Curia Nurenbergae deliberauimus, & concordanimus, & cum iure & sententia inuenimus: inuenimus, declaramus & pronunciamus pro iure, tanquam Rex Bohemiae, sacri Imperij Romani Archipincerna, & Coelector praefatorum Principum; Ex quo magnificus Rupertus senior Comes Palatinus Rheni, sacri Romani Imperij Archidapifer, Dux Bauariae, est in possessione vocis & electionis, in electione Romanorum Regis futuri Imperatoris, & etiam in possessione & dominio seu vsu habet Principatum Palatinatus, Archidapiferiam, terras,*

vasal-

vasallagia, cum omnibus pertinentijs, super quibus electio, & vox Comitatus Palatini Rheni fundata est, sicut hoc nobis, & omnibus Principibus præfatis, & cuilibet liquidum est & notum, sine hæsitatione quacunque; quòd merito dictus Rupertus admittendus est, & nos ipsum de iure admisimus, & admittere volumus & debemus, ad quaslibet causas, & ad omnia facta, quæ nos et antefati nostri Coelectores tractabimus vel faciemus pro honore, & vtilitate sacri Romani Imperij, & eius fidelium subditorum, omnimodè sicut de iure & de honesta laudabili consuetudine Comes Palatinus Rheni, Archidapifer sacri Imperij, & Princeps Elector, meritò admitti debet.

2. *Etiam inuenimus, & pronunciamus tanquam ius & pro iure, si ita contingeret, quod aliquis antedictum Ducem Rupertum pro eisdem electione, & voce electionis Romani Regis futuri Imperatoris impetere vellet, quòd huiusmodi impetitionem facere non posset nec deberet, nisi priùs impeteret Principatum & terras prænarrati Palatinatus, Archidapiferiam seu officium Dapiferia, vasallagia, & quidquid ad huiusmodi Palatinatum pertinet, & eam obtineat, sicut iuris est. Quia nos cum iure, & per sententiam inuenimus, quòd electio, & vox super Principatum, & super terras Palatinatus, & super Archidapiferiam taliter fundatæ sunt, quòd vnum sine alio persistere non potest: sed oportet ea simul in omni impetitione tam in damno, quam in lucro inseparabiliter permanere. Harum testimonio literarum, nostro Imperiali sigillo sigillatarum. Datum Nurimbergiæ, anno Domini MCCCLVI. quinta feria post Epiphanias Domini; Regnorum nostrorum anno decimo, Imperij verò primo.*

Simili per omnia tenore literas suas ediderunt Electores.

Nos Gerlacus D.g. Archiep. Moguntinus.
Beymundus D.g. Archiep. Treuirensis.
VVilhelmus D.g. Archiepiscop. Coloniensis.
Rudolphus D.g. Dux Saxoniæ Iunior, &c.
Ludouicus, qui nuncupatur Romanus, Marchio Brandenburgensis.

BVlla Aurea Caroli IV. Imp. hic transcribenda veniret; sed quia circa eam plurimi magni nominis viri insudarunt glossematibus exornando, lectorem remittimus. Redeamus ad *Carolum* Imp. Electoralē dignitatem cum à Bauaris extorquere tētaret; *Ludouic. Romanus* Cæsaris *Ludouici* filius, odio fratrum, à quibus dissidebat, nulla posteritatis cura, subscripsit, *Ludouicum Brandeburgicum, & Stephanum*, quorum maximè intererat, à Conuentu Norimbergico ab fuisse, rectè notauit *Rebdorfius*. Non contentus *Carolus* nocuisse literis, arripuit arma. *Petrus Echerus*, suadente *Carolo* in *Stephanum, & Albertum* fratres noua machinabatur. Moniti Principes, coacto repente exercitu, *Echerum* obsident. Accurrit obsesso *Carolus*, in obsidentes ferrum offert, & aurum: quo corrupta nobilitas in aciem descendere detrectauit. Vnde ad pacem inclinarunt coacti. *Echero* vita donata. Arx Principibus tradita, quoad *Echerus* obiectis satisfaceret. Hæc in Germania: Quid in Gallia? videamus,

Numeri marginales intercisi sunt; quia Bulla Aurea est prætermissa.

Echeri perfidia.

PHILIPPI MORS. CAPTIVITAS IOANNIS FRANCORVM REGVM.

LXX. PLurimis affectus cladibus Rex Francorum *Philippus* ea præcipuè in qua *Iohannes* Rex Bohemiæ, *Caroli IV.* Cæsaris pater occubuit, cum de inuadenda Anglia, cum suis consilia conferret, tot anxius curis, in morbum incidit, quo fatigatus, breui succubuit. Successit patri *Ioannes* Dux Normaniæ. Huius principatus initia *Delphini* nouo honore aucta se feliciter dederunt; cum antea iuris esset imperij. Regni non minùs quàm odij paterni hæres in Anglos, Francorum vires in vnum collegerat, vt *Edouardo* VValiæ principi, annum agenti XXIV. (Hunc & indole animi, & virtutum fiducia ferocem, cum valido militum robore in Aquitaniam miserat pater *Edouardus III.* Rex Anglorum) sæuienti opponeret. Ad Turones conuenere, pari ardore pugnandi. Castra castris opposita, tria millia passuum tantummodò distantia segregabat. Dies erat XII. Cal. Octob. Anno Sal. 1356. quo die Pontificis adfuere legati, qui varias pacis conditiones vtrique Principi præponentes, magnopere studebant iniurias reuellere. Petebat Rex, antequam pax fieret, multa inhonesta, quo pauca honesta obtineret, illud scilicet, vt princeps datis obsidibus, se se cum toto exercitu, velut victus suæ fidei committeret. Contra Princeps offerebat se paratum loca restituere,

an. 1358 quæ iam antea cæpiſſet, vnà cum captiuis. Noluit Rex, qui à ſuo malo genio ducebatur, vt periret. Deſperata pace, receſſere legati. Inde edito vtrinque ſigno, prælium committitur: In quo diſſipato Francorum exercitu, capitur *Rex Iohannes cum Philip-*



po eius filio, ac nobilibus mille ſeptingentis, cæſis eo die ſex millibus Francorum. Parta victoria *Ioannem* Regem cum reliquis captiuis in Angliam ducit. Vbi quadriennium captiuus moratus; anno tandem 1360. in libertatem aſſertus. In Hollandiam nos reuocat.

FVROR VVILHELMI HOLLANDI. Anno 1358.

TAm Sanctam filijs parentum eſſe per-
LXXI. ſonam, vt nunquam fas ſit, honorem temerare paternum, dementia edocet *VVilhelmi Hollandi*. D. Georgij ferijs delirare cæpit. Inſania ex pharmaco, vel ex crudelitate prouenerit? incertum. Infami in matrem bello, *Gerardi VVerteringhij* Dynaſtæ cædes acceſſit iniuſta, quem ſua manu iugulauit; Traiectenſi agro, nulla prouocatus iniuria, intulit vaſtitatem. Hueſdinũ *VVenceslao Brabanto* ereptum, ipſe in foro ſuo teſtis, vindex, & iudex ſibi aſſeruit. Nil ſani agentem publico prohibuere domeſtici, clauſum liberaliter habuere, Principis nomen etiam in amente venerati. Decimo nono poſt anno furere, & viuere deſijt, Valencenis honorificè tumulatus. Succeſſorem non habuit. Plurimi *Mathildem Lancaſtriam* eius vxorem dominam ſaluta-
bant. Euicere tamen qui *Albertum* mortui fratrem præferebant. Fortuna non defuit. LXXII.
In Hollandiam profectus, omnium Ordinum conſenſu, tutoris nomen accepit, præfuitque rebus agendis, eodem tempore, quo *Meinardo* filio *Ludouici* nupſit *Margarita*
filia *Rudolphi Auſtrij* cognomento *Magnanimi*, Innocentio Pontifice diſpenſante, vt LXXIII.
quarto gradu diſſidentes iungerentur. Eiuſdem indulgentia, confirmatum connubium *an. 1359*
inter *Ludouicum* & *Maulthaſchiam*, ne *Meinardo* exindè prognato quiſquam obiectare poſſet, non legitimo eſſe propugnatum coniugio.

An. 1348 Rebdorf. LXXIV. Bauari Duces à censuris absoluti. niugio. In piorum cætum restitutis omnibus *Ludouici* Cæsaris posteris per Episcopum *Paulum Gurcensem*, manibus tamen *Ludouici* Cæsaris venia est denegata, caufantem sibi id à Summo Pontifice non esse concessum. Ipsius vrnam ex æde D. Virginis extracturus fuisset, nisi obstitissent excubiæ.

INNOCENT. PP. PETIT A CESARE SVBSIDIA PECVNIARIA. An. 1359.

LXXV. MOguntiæ comitia indixerat Imperator. Eò venère legati Papæ *Innocentij VI.* petentes in subsidium Apostolicæ Sedis aduersus Turcas, & imminentes hostes fructum ecclesiasticorum decimas à clero soluendas. Quod vt facilius impetraret, *Innocentius* Legato potestatem fecerat, veniæ faciendæ omnibus sacri ordinis hominibus, qui sacerdotia, dignitates, aut officia contra Sacrorum Canonum præcepta adepti essent, vtquè ea citra perceptorum fructuum restitutionem retinere possent. *Carolum* insuper Imperatorem vt demulci-
Bzouius. ret, denarium S. Petri à Bohemis, & Polonis Romanæ Ecclesiæ soluendum *Innocentius*
Carolus negat Pōtifici decimas. remisit. Legatus cum in Senatum admissus perorasset, Cæsar respondit, missum quidem eum esse in Germaniam ad pecuniam exigendam, idque ex ipsius oratione satis constare, sed nihil de Cleri reformatione adhuc auditum. Rem. ita *Mutius* enarrat. *Circa idem tempus misit Innocentius legatos suos in Germaniam ad Carolum Imperatorem, pro subsidio Cameræ. Quod vt concederet Imperator, multa iura dedit Pontifex illi in ecclesiasticis rebus: verum Imperator solus in ea re neque permittere, neque negare volens, conuocauit Moguntiam Principes multos, Episcopos Treuerensem, & Coloniensem, ducem Bauariæ, & ducem Saxoniæ, & alios: quibus congregatis, iussit Imperator apostolicos legatos coram Principibus mandata sua exponere. Episcopus igitur Caluacensis Legatus Pontificius multis orauit. Fine orationis facto, dixit Imperator, se mirari quo ore audeant tantam pecuniam petere, cum tam male viuant, & nefandis modis dilapident pecunias. Cur non, inquit ad legatum, prius reformatis clerum vestrum, & ostenditis vitam Christo sanctisque eius dignam, vt corda fidelium piorum; hominum vltro inclinentur ad dandum etiam si non petatis? Considerate prædecessorum vestrorum vias, quantum absitis ab illis? Iudicium Domini non feret diutius. Aderat forte canonicus ecclesiæ Mogunt. nomine Cuno de Falckenstein, cum tapitio serico aureis ligaturis intextis. Hoc capitium petit Imperator sibi dari, & imponit capiti, suo viliore deposito, & conuersus ad præsentes Principes dixit, Vtrum militi an sacerdoti similior in hoc capitio videor? Subridebant præsentes omnes, canonicus rubore suffusus, tacuit. Imperator vero seuero vultu exorsus est dicere longa oratione de officio clericorum, quod debeant esse exemplaria gregis, quantum malorum in totam plebem emanet ex corruptis moribus sacerdotum: rursum docet, quantum bona exempla valeant. Prædicit illis quid futurum sit illis nisi mutent mores, seruiantque Domino, non ventri: nihil enim stare posse diu, quod non obit functiones suas a Deo, & natura institutas, demonstratque quomodo sancte & inculpate vixerint in monasterijs, & collegijs primi patres, quibus beneuoli homines facti, tantas facultates in eos contulerunt. Vbique orationem finiuit, ad Archiepiscopum conuerso vultu, grauiore voce dixit, Domine Archiepiscope, mandamus qua possumus maxima autoritate, vt clerum vestrum omnem reducatis in viam, quo præsint & ministrent ecclesiæ, vt ædificentur homines, eorumque vita sit illiteratis liber viuus, in quo discant rectum, & pietatem veram: præcipimus vero, inquit, vt quam primùm abusus vestium & calceorum, ludorum & computationum tollatur, & in ieiunijs, & orationibus toti sint. Quod nisi fiat, minatur se mutaturum personas, operamque daturum, vt pij viri, & digni fruantur beneficijs ecclesiasticis, nam in pios vsus esse contributa illa bona. Hunc animum, & hoc iudicium in Imperatore audientes pontificij legati, excusare se conantur, inquientes, Pontificem in hoc esse, vt corrigat quæ emendanda sunt per ecclesiam, & quotidie emendare: sed nullum hominum statum posse irreprehensibilem esse, homines esse, non angelos, in hac vita; & multa in hanc sententiam locuti legati, conscenderunt nauem, in qua secundo flumine Coloniam vecti sunt, ibi ciuitate & Episcopo permittente, magnam collegerunt pecuniam. Imperatori autem non placuit animus eorum cum hoc iudicio de ecclesiasticis personis. Hoc tempore, quantumuis resisteret Carolus Impe-*rator,*

an. 1359 *rator*, *apostolici legati magnam ex Germania pecuniam Romam pertulerunt. Sub idem tempus misit Pontifex Innocentius Spiram literas, quibus precepit ad apostolicam cameram mitti mediam partem omnium fructuum beneficiorum vacantium aut vacaturorum duobus annis in tota diœcesi Spirensi. & apud alios episcopos quoque tentauit: sed noluerunt consentire.*

LXXVI. *Canis Scaliger occiditur à fratre.* Porrò Germania atq; Italia tumultu non vacabant. Veronæ *Canis Signorius* fratrem *Canem Scaligerum* post paululam altercationem, ferro sustulerat, quia cum nullam legitimam prolem *Scaliger* ex *Elisabetha Bauara* suscepisset, nothum filium fratri in principatu prætulerat, & Prætorianæ fidei commendauerat. Fugit percussor, sed à ciuibus

LXXVII. *Ludouici Brandeburg. obitus.* reuocatus, dominatum tenuit. *Elisabetha* verò fratri *Ludouico* reddita, qui Mense Octobri diem clausit extremum, incerta mortis origine.

Querebantur in Sueuia Ciuitates XXIV. an. 1359 LXXVIII
ad Imperium pertinentes, immodicis *Eberhardi VVirtenbergici*, in cuius præfecturam, iubente Cæsare concesserant, exactionibus opprimi. Tentauit *Carolus* verbis *Eberhardum* ad meliorem frugem reducere, *Auaritia Eberhardi.* cum frustra laboraret, coegit armis. Illum ad extremum discrimen adductum *Rudolphus* Dux Austriæ gener Imperatoris Cæsari reconciliauit. Eius filius *Vdalricus*, *Elisabetham Scaligeri* viduam vxorem duxit. Anno sequenti filia *Eberhardi* VVirtenbergici LXXIX. *Nuptiæ*
Sophia nupsit *Ioanni* Duci Lotharingiæ. Hastiludijs decorantur nuptiæ, quibus interfuere Sturgardiæ, Dux Austriæ *Albertus*, alijque Duces, & comites sanguine clari. Inuitatus est Cæsar, sed vbi tantam hominum multitudinem adfuturam agnouit, quid insidiarum suspicatus, hæsit Norimbergæ, vbi LXXX.
Anna Imperatrix *VVenceslaum* edidit futurum Imperatorem. *VVenceslai ortus.*

Io. Lotharingiæ.

ORTVS VVENCESLAI FILII CAROLI IMPER. *Ann.* 1362.

LXXXI. *Sacrum fontem fœdat.* Monstra sua Germania habet. Omnium deterrimum fuit *VVenceslaus*. Tale præmonstrat omen, quod sacro fonte præludit. Lustralibus vndis tingen- *Rebdorf.* dus suo eas lotio respersit; nihilo honestior, cum bimus regio Bohemiæ diademate redimitus, aram ipsam alui sordibus conspurcauit, malo omine futuræ ignauiæ, qua Bohemiam neglexit, Imperium non mediocriter afflixit, incuriosus præsentium, præteritorum immemor, futuri socors, homo non tantùm ab imperio alienus, quàm ab omni honestate. De Sacro fonte infantem susceperunt tres Archiepiscopi Moguntinus, Coloniensis, Pragensis, Episcopi sex, quinque Abbates. *Carolus* incredibili affectus gaudio,

LXXXII. ipsum octiduum omni splendoris, & publicæ lætitiæ genere voluit haberi festiuum; appensumq; in bilance filium, cum sexdecim auri marcas æquaret, B. Virgini Aquisgrani, submisso auro, deuouit. Palam fecit LXXXIII. *Insignia Imperij.*
eadem die *Carolus* Imperatoris insignia, quæ Bohemia asportari fecerat. Erant ferrum lanceæ, quæ perforauit latus Saluatoris. Clauus cum ligno Crucis; Gladius Caroli M. quem Imperator gestabat in manibus. Corona, quà in Imperatorem à *Leone III.* Pontifice coronatus est. Gladius Mauricij martyris. Pars brachij Sanctæ Annæ matris Mariæ Virginis, dens Iohann. Baptistæ. Pars funis, quà Christus fuit ad columnam ligatus. Spongia, quà fuit in cruce potatus; & aliæ plures Sanctorum reliquiæ.

MEINARDI TVTELA. *Ann. Sal.* 1362.

LXXXIV. Periodica sunt omnia mortalia, Terminum felicitati natura constituit. Cuique Regno, & Principatui fatalis est terminus. Domus Boica opibus, gente, titulis clarissima siue hominum, siue fatorum inuidia diminutionem passa, postquàm *Ludouicus* tot filiorum pater, plurimis principatibus dominatum auxerat Bauaricum, Branderburgicum, cum Electorali dignitate, Tirolensi, Hannonia, Hollandica, Scelandica, Frisia ditione, à *VVilhelmi* dementia exorditur decrementum. Sequitur *Ludouicus Romanus Kunegundæ* Regis Poloniæ filiæ desponsus, sed Anno 1359. sine prole LXXXV.
mortuus. *Otto* è duabus vxoribus, *Margarita* filia *Alberti II.* Austriaci, & *Catharina* LXXXVI.
Caroli IV. Imper. filia, nulla accepta prole, fato fungitur Anno 1379. *Ludouicus Branderburgicus* cum *Margarita Christophori* Danorum Regis filia steriles egit nuptias. *Ma-*

ulta-

an. 1362 *ultaschia* ipsum *Mehinardi* fecit patrem. Hunc imparem rebus gerendis moriens *Ludouicus* reliquit. *Otho* frater *Ludouici* iure hæreditario Marchiam occupauit Branderburgicam, Tirolensem Comitatum, ius ferendi suffragium in comitijs Cæsareis. De tutela *Meinhardi* ortum dissidium an *legitimi* iure sanguinis essent præferendi tutores; vel *datiui* iuxta tabulas *Ludouici*. Quæ an confectæ? sub iudice adhuc. In hoc rerum conflictu, Boici Principes cum suspectum haberent Cæsarem, ius ab armis petendum
LXXXVII fuit. *Vlricus Abensbergius*, *Ademarius Labarius*, & *Hilpoldus à Lapide*, viri inter suos, illustres, vt arreptam rei pupillaris administrationem tuerentur, militem collegerunt. Eorum conatibus authoritatem conciliabat
Fridericus filius *Stephani* Ducis Bauariæ, patrui ipsius *Mehinardi*, qui inita cum partiarijs belli, fortunæque societate, pietatem exutus paternam, sese ducem in patrem profitebatur factionis aduersæ. Ex aduerso cum *Stephano* stabant *Rupertus* Comes Pala-
LXXXIIX tinus Rheni, *Albertus* Dux Austriæ, cuius soror *Mehinardo* desponsa erat. Rebus vtrinque ad bellum comparatis, ad *Stephani* contemptum in Bauariam irrumpunt asseclæ *Mehinardi*. Obijcitur *Stephanus* iusto exercitu. Illi verò aulæ magis, quàm castris assueti, animo corruunt, fugam meditantes.

Fridericus Bauarus mouet in patrē.

Fridericus reconciliatus patri, dum abituro *Mehinardo* viam aperit, in manus *Stephani* casu tradit, vt tutelam administraret, vsq; dum pupillarem ægrederetur ætatem. Monachium, vbi educaretur, electum. Sed di- LXXXIX.
sciplinæ fastidio, & tutelæ impatiens, ad matrem recurrens, protestatus est suo velle viuere more. Asper in monitores, impius in matrem, proteruiam susurronibus stimulantibus (qui in eauro subreperant, veneficio materno sublatum patrem) redarguere non formidauit. *Multum matri se debere, sed longè plura debiturum, ni mater plura eripuisset, quàm dedisset, patrem occidendo.* Probra hæc, fœmina natura iracunda altè dimisit in pectus: tamdiù coxit, donec vindictæ occasionem nacta filium veneno sustulit; ita *Villan.*
Negant alij, vt difficile sit veritatem inquirere, minùs assequi. *Maultaschiæ* rumor pronis auribus acceptus, Bauaros sibi conciliat. *Maultaschiæ* resignatione Tirolensem ditionem ad Austrios peruenisse nemo dubitat. XC.
Rudolphus IV. cognomento *Audax* filius *Alberti II.* (qui Austriacas ditiones omnes rexit suo tamen, & fratrum nomine) *Carolo IV.* Imperatore confirmante factus est huius familiæ *Comes Tyrolensis* in ordine, & nomine *Primus*. Cæsarem Socerum in Italiam comitatus obijt Mediolani ex febri VI. Cal. Aug. Anno 1365. Prouinciam rexit inter-

Mehinardus impius in matrem.

moritur.



uentu fratrũ, vt tunc mos solemnis Austriaciserat. *Leopoldus III.* Rudolphi frater, cognomento *Probus*, & *Pius*, plurimas ditiones Austriæ adiecit: quas vel emit, vel ab Imperatore habuit. Dedere ei Taruisium, Belunum, Sarauallum aliaque oppida Veneti, ne Genuensibus, Carrario, Hungaro, alijsque Reipublicæ hostibus se con-

An. 1362 iungeret, quæ postea malo consilio *Carrario* vendidit. Occisus est Anno 1386. VII. Idus Iulij, dum fortissimè pugnaret in Helvetios. Occisus etiam occubuit *Fridericus IV.* cognomento *Splendidus* frater eius in venatione, à Domino de *Portendorff*, causa dicitur supradictæ resignationis per *Maultaschiam* factæ. Eam *Rudolpho* Palatino nuptam altercantur, Viennam profectam, ibi summo honore habitam, tandem mortuã, & sepultam ex *Virguleo Hund.* auctor est *Gerardus de Roo.*

Moritur hoc Anno 1362. die XXVI. Maij *Ludovicus* Rex Neapol. ad castrum nouum, *Ioanna* verò nè diutius sinè marito esset, exacto dudum anno, *Iacobo* Maioricarum Regi coniugauit. Is in Hispania prò *Petro* Castellæ Rege pugnans, interceptus, vitam finijt in captiuitate. *Ioanna* deinde *Otthonem Brunsuicensem* Ducem Brundusiensem, virum optauit, quem Tarentinum Principem paulò post ipsa constituit.

IRRVPTIO CAROLI IV. IN MARCHIAM BRANDEBVRG. Anno 1363.

XCI. MOrtuo *Ludouico Romano* filio *Ludouici* Cæsaris, *Otto* frater *Ludouici* in Marchiam successerat Brandeburgicam. Is, *Friderico* in gratiam *Stephani* patris recepto, prouinciam reliquerat administrandam, nil sibi à Cæsare metuens, sed periculi securus, quia *Caroli* filiam teneret in vxorem. Vincula porrò sanguinis, & amicitiæ omnia libido abrupit imperij. Marchiam ingressus Cæsar, pacificum, nil suspicantem, & ad bellum prorsus imparatum *Fridericum* oppressit. In ea violentia, cum ab iniusto inuasore nil æquum posset impetrari, ad pacta descensum qualia incubatoris cupido extorquebat. *Othoni*, eiusque hæredibus addicta fuere centum florenorum millia, vt *VVenceslao* filio *Caroli* Marchiam cederent; Vrbibus pignori datis, ex quarum vectigalibus sors integra, & annuæ vsuræ conficerentur. Fuere vrbes Lauffa, Hersbrucum, Reichenecca, Sulzbacum, Rosenberga, Hirschauia; *Othoni*, quoad viueret, Electoris Branderburgici, & Archicamerarij titulus concessus, quo acceptæ moneretur iniuriæ. Tanta clades, Fraternæ tribuenda discordiæ, qua Boij Principes laborabant. Ex hisce dissidijs quantam cladem tulerit Christiana Respublica, sequentia dabunt.

BELLVM SACRVM. An. 1364.

XCII. TVrcarum terror iam totam inuaserat Italiam. Turcæ Ianuensium nauibus, sexaginta armatorum millia in Græciam transmiserant, specie quidem auxilia ferendi *Ioanni Paleologo* aduersus Græciæ Principes fretos ope Bulgarorum; re vera vt occuparent præcipua Græciæ propugnacula, Philippopolim, Adrianopolim, aliasque ciuitates, quibus sub iugum mitterent, Orientis imperium. Fuere omnia prospera; Ciuitatibus illis potitus *Amurathes Paleologum* Imperatorem vectigalem fecit: eius filium exegit in obsidem, eoque seruitutis redegit, vt non nisi annuente Turca, munus peragerer Imperiale. Tanto incomodo vt occurreret *Vrbanus* Pontifex, Christianos ad sacram militiam vocabat; & *Petrus* Rex Cypri ferè omnes Regum aulas adierat, vt Principibus Christianis viuo ore futuram

XCIII. *Carolus sacrũ bellum dissuadet.* prædiceret calamitatem, ni præsto essent. Nomina dedere *Io.* Rex Galliæ, *VValdemarus* Rex Daniæ, Veneti, ad reliquos Principes missus est legatus purpuratus, vt ad belli societatem induceret. Is *Carolum* adijt Imperatorem, vehementer cohortatus; vt Christianorum calamitatem miseratus, sua quoque conferret auxilia. Sed tam nihil contulit, vt in Principum Germanorum comitijs eos, ne pia arma crucemque induerent, sit grauissima oratione dehortatus. *Huiusmodi bella facile* (aiebat) *suscipi, infeliciter confici. Id præterea docuisse exempla: quum non improsperè in Palestina pugnatum, recuperatas vrbes; sed discordia ducum militares tumultus, fatorum series victorias, gloriosasque abrupisse conatus, vt victis victores cederent, & consumptis Christianæ Reipublicæ viribus, fusoque in cassum generosissimo sanguine, vel pauci vel nulli in patriam redierint. Ibi perijsse Fridericum Cæsarem, captiuum Ludouicum Francorum Regem, ac labore extinctum sanctissimo, exhaustas Europæ opes, relictos ad lanienam heroes fortissimos, quos ad tutelam captarum vrbium fortuna destinarat. Nihilo in futurum sperari licere secundius.* Ita disserebat *Carolus*, qui domi incubabat, vt alie-

nis

an. 1364 nis inhiando, & grassando, opes filio cumularet. Sic Christianorum discordia fortes barbari, ferè omnes Mundi plagas occuparunt.

XCIV. Altero cruciabatur bello Italia, quod inter Pontificem gerebatur, & Mediolanenses. In *Bernabouem* diras pronunciauerat *Vrbanus*, & publicè in Purpuratorum cætu, in genua procumbens, passis manibus coram *Bernabouis* legatis altâ voce ad Deum inclamauerat. *Te quidem cælestium pater hoc vnum posco, vt tu illum Cœlo liges, quemadmodum à me ligatum nosti.* Inde iuncto fœdere cum *Carolo* Imperatore, cum *Ludouico*, *Fœdus Caroli cum Papa in Mediol.* Hungariæ Rege, *Ioanna* Siciliæ Regina, *Nicolao Hugone*, & *Alberto Atestinis*, *Guidone Ludouico*, & *Alberto Gonzagis*, cum *Francisco Carrario*, cum Ducibus Venetorum, & & Ianuensium, cum Florentinis, Genuensibus, Pisanis, aliisque Italiæ Regulis, Anno an. 1367 1367. *Bernabouis* sancitur excidium. Perculsus *Bernabos*, cum se tantis viribus imparem crederet, misit nuncios Pontificem placatum. Quâ legatione id saltem assecutus, vt fœderatis Pontificis suspicionem iniiceret de reintegrata cum Pontifice concordia; propterea *Carolum* Cæsarem, aliosque ad bellum comparandum segniores redderet. Arcanum assequutus Pontifex, noua & ipse legatione purgauit; missoque exercitu ad-

XCV. uersùs *Ambrosium Bernabouis* nothum, profligauit, captumque in vinculis habuit. *Bernabouis* tunc res inclinare cœperunt. Anno *Cæsar in Italiam descēdit.* sequente *Carolus* Cæsar valido stipatus exercitu, Italiam ingressus, *Bernabouem* cogit pacem implorare: Cuius leges fuere sequentes. *Barnabos Burgo forti, & Castello excedito: nihil omninò iuris in Bononienses, habeto: Socij exercitum dimittunto: Castra Hiberiæ, S. Martini, Borsani, Montis ricchi Rheginensium sunto, non Vicecomitum. Morianum decimum, Palaria, Monsfusculus, S. Geruasius Lucano Episcopo restituuntor. Barnabos supplex Pontificis gratiam orato: Eum Pontifex diris, eius ditiones sacrorum cessatione absoluito.* Pacem à Pontifice confirmatam Murinæ Cæsar publicauit. Inde Romam diuertens, penè visus in Germaniam secessit. Non diutius ibi moratus, ne Pontifici iurata falleret, cum quo conuenerat, Romæ ne sisteret. *an. 1368* *XCVI. Romam petit.*

XCVII. *Bonius dissidia Caroli Imp. & Casimiri Polon. Reg.* Domesticis porrò reuocatus bellis, iniusta parabat arma in *Casimirum* Poloniæ Regem, quod *VVenceslao* filio *Annam*, vel *Cunegundem* filiam *Casimiri*, auctore Pontifice desponsasset, postea tetractasset, exorto à Pontifice nouo diplomate, nè ea dispensatio quicquam aut *Ludouico* Hungarorum Regi, aut *Elisabethæ* Romanorum Imperatrici, vel *Elisabethæ* Reginæ Hungarorum aut *Casimiro* Duci Steinensi incommodi afferret? *Ludouicus* itaque fœdere inito cum Polonis, bellum indixit *Carolo*, & Morauiam infestis armis afflixit, animo iniurias persequendi. *Vrbanus* verò vt Principes in *Bernabouem* relapsum conciliaret, legatos in Hungariam misit, qui sponsalia inter *VVenceslaum* Regem Bohemorum, & *Elisabetham* neptem *Ludouici* dirimerent, eos ad concordiam redigerent, & in Italiam aduersus *Bernabouem* euocarent. Tantis malis supremum accidit, & fuit.

VVENCESLAI ELECTIO IN CAESAREM. An. 1376.

XCVIII. HOc vnum deerat afflictæ genti malum, quod *Carolus* monstrum in successorem intruderet filium suum *VVenceslaum*. Eius praui mores non tam Electoribus, quàm Pontifici patebant; licet hi auaritia, ac libidine corrupti in eo consenserint, vt hominem ventri, delicijs, abdomini, ac euacuandis dolijs potiùs, quàm Sceptro, & Imperio natum, fortem, probum, cæterisque meliorem declararent. Vix annorum quindecim erat, cum pessima indoles, à puero iam solita perpetua agere bachanalia, in matronarum stupra procliuis, & de ventre sollicitus, ad ruinam properabat imperij. Electores dissentientes conciliauit, promissis vnicuique Electorum 100000. floren. Tantam porrò pecuniam cum soluere non posset, Electoribus publica Imperij vectigalia oppignorauit, *Vectigalia pignori dat Carolus Cæsar.* sexdecim Sueuiæ vrbes vicinis Principibus vēdidit *Eneas Sylu*. Inde euisceratum est imperium (ait Krantzius) *Deplumata est Aquila, vt in reliquum cæteris sit animantibus contemptui: quid enim potest sine pennis? Perfecitque vt ab Archiepiscopo Colon. Friderico, Aquisgrani coronaretur* &c. infra. *XCIX. c. 5. Sax. 10.* *Interea idem Imperator Carolus (nescio si ad interpretationem verbi, quàm nunc faciunt) benè Augustus, Imperij neruos exhausit, viresque concidit.* C. *Imperiū dilapidat* *Sexdecim in Suauia vrbes, sine medio recognoscentes imperium, vicinis principibus vendidit. Aliæ quatuordecim quum intelligerent, conspirarunt inuicem,*

an. 1376 *cem, mutuò fœdere se constringentes, vt non se patiantur more pecudum venales exponi. Imperator indignatus, vnam ex eis obsessam nisus est expugnare ad terrorem cæterarum: cæteræ ad arma concurrentes, obsessis opem tulere. Tum quoque nonnulli ex his salua libertate solita, Principibus Austriæ ad protectionem se commendauere, non vt dominis pariturì, sed vt protectoribus vicissim obsequuturi* &c. Infra. *Aliquantò melius actum esset cum Imperio, si neque pater, neque filius in eo fuissent.*

a. Romanus Pontifex (offerentibus *Carolo*, & *VVenceslao* confirmationem priuilegiorum omnium, & iurium, quæ Romana possidebat Ecclesia: Insuper iurantibus, ante inaugurationem solemnem Imperiali titulo non vsurum *VVenceslaum*, nec absque Romanæ sedis permissu, atque adeo vnctionem & coronationem Regiam, & Imperialem ad Romanum referre Pontificem, prò qua impetranda, vel ipse cum patre *Carolo*, vel cum Archiep. Pragensi ad Pontificem veniret, vel oratores mitteret) omnia confirmauit, quamuis belluarum magis quàm hominum cognosceret fore rectorem. Huius negotij Literæ fuere sequentes.

Sanctiss. in Christo Patri, & Domino nostro Reuerendiss. D. Gregorio, digna Dei prouid. Sacros. Rom. Eccles. ac Vniuersal. Summo Pontif. Carolus IV. diuina fauente clementia, Rom. Imp. semp. Aug. & Bohemię Rex, deuota pedum oscula beatorum.

Magnæ deliberationis studio, Sacri Rom. Imperij Rempublicam, cui nos auctore superno per multorum annorum spatia præfuimus, prout adhuc præsumus feliciter, & in cuius regimine salubri diuturnitate temporis, & labore consumpsimus corporeas multipliciter vires nostras, vna cum alijs principibus Imperij Coelectoribus sæpe sæpius, imo sæpissime prout expedit accuratius ponderantes, signanter multis periculis, scandalis & iacturis, ad dissipationem, imo subuersionem non solum Imperij, verum etiam Ecclesiæ sanctæ Romanæ statu tranquillitatis & commodi manifeste tendentibus, & quæ prouentura forent, prout verisimiliter præsumitur, ex Imperij vacatione Romani, si sic nos decedere (quod absit) contingeret ab hac luce, maxime cum tam Italiæ, quam aliæ partes Imperij insolitis rebellionibus, & damnabilium nouitatum diffidijs, sint istis modernis temporibus inhumaniter innolutæ quantum altissimus concesserit, salubriter occurrendum; nuper die sancto Pentecostes, nos tanquam Rex Boemiæ, & alij Principes, Coelectores; videlicet Serenis s. Princeps Dom. Venceslaus Rex Boemiæ; Venerabiles, Ludouicus Moguntinens. Cuno Treuerens. & Fridericus Coloniens. Archiepiscopi; Rupertus Senior Comes Palatinus Rheni & Bauariæ Dux, Venceslaus Saxoniæ & Luneburgens. Dux, ac Sigismundus Marchio Brandeburg. conuenimus in pomerijs subtus Rensee, super littus Rheni Treuerensis diœcesis; in quo loco post varios tractatus desuper habitos, nobis præsentibus, qui iam viribus à corporea valetudine lacessiti, et senio multiplices Imperij labores, & onera sufferre commode non valemus; præsertim vt Imperium Rom. multis suis partibus in tanto discrimine sic positis forti potentique præsidiatore non careat pro salubri commodo totius Christianitatis ac statu, in releuamen & adiutorium nostrum, de persona idonea tractauimus, prout huiusmodi negotij magnitudo requirit. Et ibidem altissimo disponente in certam personam conuenimus in Romanorum Regem debitis loco & tempore nominandam; ac post hoc vt moris est solenniter eligendam. Demum illis tractatibus necessario sicut præmittitur sic finitis, omnibus nobis Principibus Electoribus Imperij taliter congregatis, de & super certa nominationis, & electionis huiusmodi die concordauimus, in locum oppidi Franckenfurti, super alueo Mosani Moguntinensis diœcesis, videlicet 10. die mensis Iunij ad nominationem & electionem Rom. Regis prædictas volente Domino feliciter consumandas: quæ dies nominationis, & electionis futuri Rom. Regis ibidem in pomerijs Rensee, per dictum Cunonem Archiep. Treuerens. in dictorum coelectorum, & aliorum Ecclesiasticorum, & secularium Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, ac copiosa multitudine plebis, Imperij sacri fidelium extitit solemniter publicata. Postquam die veniente prædicta, nos, nec non omnes, & singuli Principes Electores Imperij supradicti, venimus ad dictum oppidum Franckenfurt, & ibidem dicta constituta die, nonnullis iterum deliberatione præuia tractatibus præhabitis Spiritus Sancti gratia deuotius inuocata signanter aduertimus, quod pro tanti reg.minis apice totiusque Reipub. laborum oneribus subeundis,

eundis, in adiutorium nostrum necessario constituendus foret Princeps Illustris, Catholicus iuuenis, fortis, potens, & tam terrarum rerumque diuitijs, quam etiam subiectorum hominum cæteros multa virtute præcellens, & per quem Imperio sacro possit vtiliter prouideri sicque consideratis conditionibus, & circumstantijs multarum personarum, nec non status Reipub. tam Ecclesiæ Sacrosanctæ quam Imperij prædictorum, causis etiam extantibus prænotatis, & nonnullis alijs nos ad hoc legitime mouentibus. Visum est nobis cæterisque Coelectoribus, præfatum Serenissimum Principem Dominum Venceslaum Regem Boemiæ primogenitum nostrum, aptum, habilem & idoneum, aggredi tanti laboris sarcinam, & honorem. & sic his præmissis, eundem Sereniss. Principem Venceslaum Christianissimum Regem Boemiæ, hodie in Ecclesia Collegiata B. Bartholomæi, in dicto oppido Franckenfurt, Sacris missarum finitis solemnijs, vna cum omnibus, & singulis Ecclesiasticis, & Secularibus Principibus Coelectoribus prædictis, ad quos electio Romanorum Regis legitime spectare dignoscitur: ijdemque Principes Coelectores nobiscum pariter in Roman. Regem promouendum in Imperatorem, rite concordibusque votis elegimus, nemine discrepante. Spem firmam & in eo confidentem fiduciam obtinentes, quod per ipsius electi magnificentiam, fidei puritatem, constantiam, potentiam, strenuitatem, & multarum aliarum virtutum merita, nostra fideliter imitando vestigia Sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ, tanquam eius Aduocatus præcipuus & defensor, nec non Roman. Imperij Respublica, possit & debeat reformari viriliter, salubriter & potenter. Cui quidem electioni dictus primogenitus noster Boemiæ Rex in personam suam sic factæ, licet se tanquam insufficientem ad tantæ sublimitatis acgendos honores multipliciter excusaret, tamen ratione victus, & precibus, consensit ad gloriam altissimi, proprios humeros tanto ponderi submittendo. Quo facto nos & omnes dicti Coelectores, dignas Deo gratias referentes, primogenitum nostrum prædictum in Romanorum Regem concorditer sic electum, cum decantatione diuini cantus, Te Deum laudamus per dictum Archiepiscopum Moguntinensem, ad Clerum & præfatum Ducem Saxoniæ, ad vulgarem populum, in copiosa valde multitudine congregatum, fuit, sicut olim obtentum est huiusmodi Romanorum Regis electio solemniter publicata.

Quapropter vestræ immensæ clementiæ, cum dictis Coelectoribus Principibus supplicamus tam humiliter, quam deuote, quatenus prædictum primogenitum nostrum in Rom. Regem concorditer, sic electum, in Imperatorem promouendum, paternis affectibus benignius amplectentes, Regem Romanorum nominare, eiusque personam ad apicem tantæ dignitatis reputare: nec non eidem munus consecrationis, ac diadema Sacri Imperij loco, & tempore opportunis, per vestræ Beatitudinis sanctas manus conferre dignemini, prout extat ab olim fieri solitum & consuetum, vt sciant & intelligant vniuersi, quod posuit in lucem gentium vos Dominus, & per vestræ Sanctitatis arbitrium Orbi terræ post nubilum optata serenitas elucescat. Cæterum vt super electione primogeniti nostri prædicti, Sanctitas vestra vnanimi voto concordes nos esse cognoscat, præsentem significationis, & petitionis nostræ litteram, cuius vobis similis tenoris continentiæ, & effectus, quilibet Coelectorum Principum Imperij suas speciales litteras destinare debebit, sigillo nostro munitam, vestræ Beatitudini transmittimus, sicut expedit reuerenter. Personam vestram Sanctissimam sanam, & incolumen conseruare dignetur altissimus, cum dierum felicitate longæua regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum Franckenfurti Regnorum nostrorum Anno tricesimo, Imperij vero XXII.

Sanctiss. in Christo Patri ac Domino nostro, D. Gregorio, diuina prouidentia, Sacrosf. Rom. ac vniuers. Eccles. Summo Pontif. Venceslaus Dei gratia in Reg. Rom. electus semp. Aug. & Rex Bohemię, cum reuerentia debita deuota pedum oscula beatorum.

Cupientes feruenti desiderio vobis Patri, & Domino nostro clementissimo, & Apostolicæ Sedi zelum nostræ deuotionis offerre, nosque vestris & ipsius Sedis beneplacitis coaptare, nostroque & Sacri Romani Imperij statui sicut expedit prouidere, venerabilem Eckardum Vormaciensem Episcopum Principem Consiliarium, et illustres Amedeum Comitem Sabaudiæ, Raymundum de Baucio Principem Anracisens. Eberhardū de Koncenelbolgen

Comites, nec non honorabilem Conradum de Gisenheim Decanum Spirensem deuotos nostros, nec non fideles dilectos, de quorum fidelitate, legalitate, & industria plenam obtinentes fiduciam fecimus & facimus, constituimus, & ordinamus Nuncios & Procuratores nostros, ipsosque ad præsentiam vestram pro nostris, & Imperij negotijs specialiter destinantes, damus & concedimus eisdem plenam generalem, & liberam potestatem, & speciale mandatum, in vestræ Sanctitatis præsentia, deuotionem & filialem reuerentiam, quam erga vos, & Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem nostram sinceris affectibus gerimus exponendi petendi, procurandi, seu impetrandi pro nobis et nostris fauorem & gratiam vestram; nec non tractandi, explicandi, exercendi, permittendi, offerendi, seu præsentandi in animam & super animam nostram, debita vobis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis, & cuiuslibet alterius generis iuramentum, specialiter ad petendum à vobis, vnctionem, consecrationem, & coronam Imperij, de Sanctissimis manibus vestris nobis impendendam, loco & tempore opportunis; ac faciendi omnia alia, & singula quæ circa huiusmodi nostra, & Imperij negotia tractanda, explicanda, exercenda, permittenda fuerint, seu etiam facienda, quæ secundum Deum, & honestatem viderint expedire; & quæ ad nos promouendum ad Roman. Imper. fuerint facienda ac etiam requirenda, & cætera facienda quæ Regalis excellentia nostra faceret, & facere posset etiamsi in ijs quæ mandatum exigunt speciale, & perinde ac si omnes casus, qui mandatum exigunt speciale essent in præsenti Procuratorio specialiter denotati.

Promittentes nos ratum, gratum, & firmum perpetuis temporibus habituros, quicquid in præmissis, aut circa præmissa per dictos Nuncios & Procuratores nostros, omnes, vel maiorem partem eorum qui præsentes fuerint, expositum petitum, impetratum, promissum, iuratum, seu factum fuerit, aut quomodolibet procuratum. Volumus insuper saluis præmissis, quod prædicti Procuratores & Nuncij nostri, possint omnes in simul, vel maior pars eorum facere Procuratorium fortius, quam fieri poterit nomine nostro, in persona nostra, sub sigillis eorum, ad prædicta facienda si defectus aliquis fuerit in prædictis. Testes huius rei sunt venerabilis LUDOVICUS Moguntinensis Archiepiscopus Sacri Imperij per Germaniam Archicancellarius. Illustris Venceslaus Dux Saxoniæ Sacri Imperij Archimareschallus, venerabilis IOHANNES Pragensis Archiepiscopus Legatus Sedis Apostolicæ, nec non Illustris Iodocus Marchio Morauiæ, Henricus Bregens. & Bunczlaus Lignicens. Duces, Nobiles Petrus de VVartemberg Imperialis Curiæ Magister, Tymotheus de Koldicz Imperialis Cameræ Magister, & quamplures alij, nostri & Imperij Sacri fideles dilecti, quos præsentes esse voluimus in testimonium præmissorum: præsentium sub Regiæ Boemiæ Maiestatis nostræ sigillo testimonio litterarum. Datum & actum Franckenfurt, Anno Domini 1376. Indictione 14. 4. Idus Iunij, Pontificatus vestri anno 6. Regni vero nostri Boemiæ 13.

Præter Carolum, & *VVenceslaum* singuli subscripsere Electores iuxta tenorem à *Carolo* præscriptum. Quibus acceptis, Cardinales maturè procedendum responderunt. Vnde *VVenceslaus* sequentia renouauit.

Sanctiss. in Christo Patri ac Domino nostro, D. Gregorio, diuina prouidentia, Sacros. Rom. ac vniuers. Eccles. Summo Pontif. Venceslaus Dei gratia in Reg. Rom. electus semp. Aug. & Rex Bohemiæ, cum reuerentia debita, deuota pedum oscula beatorum.

CUpientes feruenti desiderio vobis Patri & Domino nostro clementissimo, & Apostolicæ Sedi, zelum nostræ deuotionis offerre, nosque vestris, & ipsius Sedis beneplacitis coaptare, nostroque & Sacri Romani Imperij statui sicut expedit prouidere, meminimus nos dudum nostros veros, et legitimos Procuratores & Nuncios speciales, ad Sanct. Vestræ præsentiam, Venerabilem Eckardum Vuormatiensem Episcopum, nec non honorabilem Conradum de Ghisenheim Decanum Spirens. & nonnullos alios pro ordinandis, & expediendis negotijs nostris, ac electionis nostræ in Regem Romanorum destinasse; quibus nostris prædictis Procuratoribus, & citra reuocationem ipsorum, honorabilem Conradum de Vuessel Decanum Vuissegradens. Pragens. Secretarium & deuotum nostrum dilectum auctoritate præsentium duximus & decreuimus adiungendum. de quorum fidelitate, legalitate, & industria plenam

plenam fiduciam obtinentes, fecimus & facimus, constituimus, ordinamus, & ordinauimus omnes, & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod omnes simul, vel eorum aliquis inceperit, per quemlibet ipsorum mediari poterit & finiri, Nuncios nostros & Procuratores ad præsentiam Sanct. Vestræ pro nostris, & Imperij negotijs specialiter destinantes, damus & concedimus eisdem plenam, generalem & liberam potestatem, & speciale mandatum, in Vestræ Sanctitatis præsentia, deuotionem, & filiam reuerentiam, quam ergo vos & Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem nostram sinceris affectibus gerimus, exponendi, petendi, procurandi seu impetrandi pro nobis, & nostris fauorem, & gratiam vestram: nec non tractandi, explicandi, exorandi, promittendi, offerrendi, seu præstandi in animam, & super animam nostram, debitæ vobis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis, & cuiuslibet alterius generis iuramentum. necnon specialiter ad petendum à vobis, vnctionem, consecrationem, & coronam Imperij de Sanctissimis manibus vestris nobis imponendam, loco & tempore opportunis, ac faciendi omnia, & alia singula quæ circa huiusmodi nostra, & Imperij negotia tractanda, explicanda promittenda fuerint seu facienda, quæ secundum Deum, & honestatem viderint expedire, & quæ ad nos promouendum ad Romanum Imperium fuerint facienda, ac etiam requirenda, & cætera facienda, quæ Regalis excellentia nostra faceret, & facere posset, etiam in his quæ mandatum exigant speciale, & perinde ac si omnes casus qui mandatum exigunt speciale essent in præsenti Procuratorio nostro specialiter denotati. & singulariter ad petendum pro nobis, et nomine nostro dictam electionem publicari, ac litteras Sanct. Vestræ desuper procurari concedi. Promittentes nos ratum, gratum & firmum perpetuis temporibus habituros, quidquid in præmissis aut circa præmissa per dictos Nuncios et Procuratores nostros, omnes vel maiorem partem eorum fuerit petitum, impetratum, tractatum, promissum, iuratum, seu factum, aut quomodolibet procuratum. Volumus insuper saluis præmissis, quod prædicti Procuratores, et Nuntij nostri possint omnes insimul, vel maior pars, aut alter eorũ facere Procuratorium, fortius quam fieri poterit nomine, & in persona nostra, sub sigillis eorum, ad prædicta facienda, si defectus aliquis fuerit in prædictis præsentibus, sub nostræ Maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum & actum in oppido nostro Pieska Pragensis Diœcesis Anno Domini M.CCC.LXXVII. X. Calend. Octob. Regnorum nostrorum anno Boemiæ XV. Romanorum vero secundo. De mandato Dom. Imperatoris Archiepiscopus Pragens.

Coronatus *VVenceslaus* voluit protinùs iura Cæsaris exercere; vnde est.

DE PRIMARIIS PRECIBVS CONSTITVTIO.

CII. *VVenceslaus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex, Illustri Ruperto seniori Comiti Palatino Rheni, sacri Imperij Archidapifero, Bauariæ, Duci, Principi & consanguineo nostro charissimo, gratiam nostram, & omne bonum. Etsi ad quoslibet sacri Romani Imperij fideles munificentiæ nostræ gratiam libenter extendimus, ad illos tamen præcipuè, in quibus sanguinis identitatem cognoscimus, & fidei puram constantiam inuenimus. Igitur nos integram & inuiolabilem fidei firmitatem, & deuotionis affectum, quos ad nostram personam & sacrum Romanum regnum, & Imperium habere dinosceris, fauorabiliter attendentes, & speciali celsitudinis nostræ beneuolentia concedendum duximus, & concedimus per præsentes, quod tu omnes primarias preces ratione nostræ coronationis in Romanum Regem, hodie videlicet die sexta mensis Iulij Aquisgrani diuina fauente clementia solenniter susceptæ, per ciuitatem, & diœcesim Spirensem, & VVormaciensem, tam de iure, quam ab antiqua consuetudine diuis Romanorum regibus nostris antecessoribus, & nobis competentem, porrigere valeas, & debeas in singulis tam Kathedralibus quàm Collegiatis, & conuentualibus Ecclesijs, & monasterijs vtriusque sexus tam secularium, quàm regularium personarum; nec non ad prælatos, & alias personas Ecclesiasticas quascunque: etiamsi Pontificali vel alia præfulgeant dignitate, in dictis ciuitatibus, & diœcesibus, sicuti easdem preces per nos porrigere possemus: ius & potestatem porrigendi huiusmodi preces nobis competentes in tuam personam omni modo, forma & iure, quibus melius fieri poterit, plenariè transferendo. Et si diuina nobis suffragante gra-*

gratia ad apicem Imperialis culminis fuerimus sublimati, volumus & tibi fauorabiliter concedimus tenore præsentium, quod tu preces primarias, ratione susceptionis Imperialis coronationis nobis competentes, etiam porrigere valeas & debeas, in singulis Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis & Monasterijs, & apud Prælatos, & quascunque alias personas Ecclesiasticas, seculares & regulares dictarum ciuitatum, & diœces. omni modo, forma & iure, sicut de Primarijs precibus ratione regiæ coronationis nostræ superius est expreßum. Mandantes sub obtentu nostræ gratiæ, nec non sub pœna priuationis omnium & singulorum priuilegiorum, iurium & gratiarum, & libertatum, quæ & quas à diuis Romanorum Imperatoribus, & Regibus prædecessoribus nostris obtinere dinoscuntur, districtè præcipientes omnibus, & singulis Episcopis, Prælatis, Capitulis, Conuentibus & personis Ecclesiarum, & Monasteriorum præfatorum, & alijs quibuscunque prædictarum ciuitatum, & diœces. ad quos canonicarum, & præbendarum dignitatum, personatuum & officiorum seu beneficiorum collatio, præsentatio seu receptio pertinet, & quorum ratione dictarum primariarum precum intererit, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, quatenus dictas primarias preces per te ipsis porrigendas cum promptitudine admittant, sicut tenentur, ac si per nos eis forent exhibitæ seu porrectæ. Dantes & concedentes tibi præsentibus plenariam potestatem, vt rebelles tibi in præmissis, si qui sunt vel erunt, ad admittendum, & exaudiendum dictas preces, auctoritate regali & etiam Imperiali compellere, & coercere per te & alios valeas: quemadmodum nos facere poßemus, & prout Romanorum Imperatores, & Reges in talibus casibus cohercere, & compellere poterant, & etiam consueuerunt. Nec preces huiusmodi in dictis Ecclesijs, & diœcesibus in præiudicium dictæ concessionis per nos tibi factæ pro aliquo porrigemus: Et si propter importunitatem petentium vel alio quouis modo per nos secus factum fuerit, nostras preces primarias pro aliquo nostris literis porrigendo, volumus quod tales litteræ tanquam per subreptionem obtentæ inualidæ sint, nec aliquam obtineant roboris firmitatem: præsentium sub regiæ Maiestatis nostræ sigilli testimonio litterarum. Datum Aquisgrani Anno Domini M.CCC.LXXVI. in octaua beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, regnorum nostrorum Anno Bohemiæ XIII. Romani verò Primo.

Ibidem legitur sequens Constitutio.

CIII. *DE iure & successione electorum Saxoniæ. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter, Amen. Carolus Quartus diuina fauente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam, quamuis sublimitas Cæsareæ dignitatis, in quam conditor orbis Nos sua pietatis clementia feliciter collocauit, iugiter mentem nostram sollicitet, vt cura peruigili, & laborum studijs accuratis, nostrorum & Imperij sacri fidelium amputemus incommoda, eisque desiderata pacis amœnitatem salubriter procuremus: feruentiori tamen affectu cor nostrum accenditur penes ea, quę sacri decus Imperij, & illustres ipsius Principes Electores, quadam singularitate concernunt; eos pręcipuè, quos generis Nobilitas, multiplicia virtutum insignia, & pręclara fidei deuotio, laudabilius recommendant.*

2. Sane sicut alias à Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus, ac multis alijs nostris, & Imperij sacri fidelibus, informationem certissimam, ac luce testimonia clariora accepit Cęsarea Celsitudo, qualiter felicis memorię; Illustris Albertus, quondam Saxonię Dux, auus illustris VVenceslai, moderni Ducis Saxonię, sacri Romani Imperij Archimareschalli, Principis Electoris, nec non Lunæburgensis Ducis, auunculi nostri charissimi, velut Archimareschallus eiusdem Imperij, & verus Princeps Elector, voluntate, consensu, & votis aliorum suorum Coelectorum Principum vnanimiter accedentibus, claræ memoriæ serenissimos quondam Rudolphum, Adolphum & Albertum, eiusdem Rudolphi filium, Ducem Austriæ, Romanos Reges, prædecessores nostros, quadam consequentia ordinata, ritè & rationabiliter, iuxta debitam Sacri Romani imperij obseruantiam, in Romanos Reges elegit, ad Jmperatoriam Celsitudinem promouendos; & post obitum ipsius Alberti, Romanorum Regis, dum aliquandiu nonnullis erroribus Sacrum Jmperium fluctuaret, recolen-

colendæ memoriæ Rudolphus, quondam Saxoniæ Dux, dicti Ducis Alberti filius, & moderni VVenceslai, Saxoniæ & Lunæburgensis Ducis, pater, celebris recordationis Serenissimum Principem Henricum, auum nostrum dilectum, cum suis Coelectoribus, in Romanorum Regem dignoscitur elegisse: qui etiam auus noster post electionem, eandem adeptus fuit feliciter Cæsaream dignitatem. Cumque manifestissimum existat, & longè, latè per orbem terrarum lucidissimè diuulgatum, nec vnquam possit in dubium reuocari, quomodo etiam dictus Rudolphus quondam Saxoniæ Dux, moderni VVenceslai, Ducis Saxoniæ & Lunæburgensis pater, felicibus nostris temporibus, cum cæteris suis Coelectoribus Sacri Imperij nos in Romanorum Regem elegit solenniter; prout etiam post eandem Electionem, auspice Deo, in Romanorum Imperatorem sumus promoti, ac feliciter coronati; quemadmodum hæc omnia & singula, Principum, & fide dignorum multorum sunt testimonijs fidelibus approbata. Eiusdem VVenceslai, moderni Saxoniæ Ducis, Sacri Imperij Archimareschalli, & Principis Electoris, nec non Lunæburgensium Ducis, tam claro, tamque manifesto, & notorio iure considerato; inspecto nihilominus, & diligentius pensato, qualiter idem VVenceslaus modernus, tanquam Dux Saxoniæ, Sacri Imperij Archimareschallus, & Princeps Elector, cum alijs Principibus, & Coelectoribus suis, & ipsi cum eo Serenissimum Principem, Dominum VVenceslaum, Regem Bohemiæ primogenitum nostrum charissimum, in Romanorum Regem vnanimiter & concorditer, in Ecclesia collegiata Sancti Bartholomæi Francenford. Moguntinen. diœceseos, nullo penitus reclamante, Spiritus Sancti gratia inuocata, hodie elegerunt.

3. *Quodque præfati, Albertus auus, & Rudolphus pater, dicti VVenceslai, quondam Saxoniæ Duces, diuturna temporum præscriptione inconcussa habuerunt, & possederunt legitimè, prout etiam ipse VVenceslaus in præsentiarum ad instar illorum, ex successione paterna & hæreditaria, dignoscitur iusto titulo possidere ius, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Rom. Regem in Imperatorem promouendum, sano tam Ecclesiasticorum, quam Secularium Principum Sacri Imperij Electorum consensu, & consilio accedente, non improuidè, neque per errorem, sed animo deliberato, aliorum etiam plurimorum Ecclesiasticorum, & Secularium Principum, Baronum, Nobilium, & Procerum nostrorum, & Imperij sacri fidelium, maturo communicato consilio, cupientes, autore Domino, futuris obuiare periculis, & materiam omnium succidere dubiorum, de certa nostra scientia, & plenitudine potestatis Cæsareæ, in his scriptis pronunciamus, decernimus, statuimus, declaramus, & etiam hoc Imperiali perpetuò valituro sancimus edicto, quòd ius, vox, dignitas, & potestas eligendi Romanorum Regem in Imperatorem promouendum, eidem VVenceslao, moderno Duci Saxoniæ, tanquam Imperij sacri Archimareschallo, ac Principi Electori, hæredibus, & successoribus suis legitimis, Laicis duntaxat, ab eo descendentibus, quoties casus huiusmodi electionis emerserit, in perpetuum debeat competere, sicut & ritè sibi tanquam Duci Saxoniæ, ac Imperij sacri Archimareschallo, competit manifestè, ac ipse velut Saxoniæ Dux, Sacri Romani Imperij Archimareschallus, verus & legitimus Princeps Elector, & post obitum eius, hæredes & successores sui legitimi, modo & forma submissis, Ducatum, Principatum & Comitatum Palatinum Saxoniæ, ac Archimareschalliam Imperij sacri, cum omnibus et singulis eorum terris, dominijs, proprietatibus, vasallagijs, libertatibus, honoribus, & pertinentijs, in quibuscunque rebus consistant, et quibuscunque specialibus possent vocabulis designari, necnon ius, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem promouendum, sine impedimento quolibet debeat obtinere.*

4. *Et ne inter hæredes, & successores ipsius, eo defuncto, super iure huiusmodi, futuris temporibus dubitationum, quæstionum, seu litium quæuis materia oriatur, decernimus, statuimus, & præsenti Imperiali sancimus edicto, in perpetuum valituro, quòd post dicti VVenceslai Saxoniæ moderni, & Lunæburgensium Ducis obitum, primogenitus eius filius; & post primogeniti obitum, eiusdem primogeniti senior filius ex ordine genituræ, & sic deinceps à seniore filio descendentes, ex ordine genituræ semper senior: Si verò primogenitus Ducis VVenceslai præfati decesserit, masculini sexus, Laicis duntaxat, legitimis hæredibus nō relictis, extunc secundogenitus filius VVenceslai Ducis prædicti, & post obitum eius, secundo-*

cundogeniti filius senior, Laicus; & si secundogenitus sine haeredibus legitimis, masculini sexus, Laicis, decesserit, tertiogenitus dicti VVenceslai, & senior eius filius Laicus, post mortem ipsius; & deinceps per talem modum, directa linea geniturae descendentes ab eo, Laici duntaxat, ius, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum Regem, promouendum in Imperatorem, & officium Mareschalliae, cum omnibus, & singulis suis dominijs, honoribus, iuribus, priuilegijs, dignitatibus, & pertinentijs, perpetuis temporibus obtinebunt, per successionem haereditariam & paternalem, vt praemittitur, ex ordine geniturae.

5. *Si verò praefatum VVenceslaum, modernum Saxoniae, & Lunaburgensium Ducem, sine legitimis, masculini sexus haeredibus, Laicis, de lumbis eius directa linea geniturae descendentibus, mori contingeret, extunc Principatus, & Comitatus Palatinus Saxoniae, nec non Archimareschallia Sacri Imperij, ac ius, vox, dignitas, & potestas eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem promouendum, ad Illustrem Albertum, filium Ottonis, quondam Ducis Saxoniae, Ducem Saxoniae, & Lunaburgensium modernum, patruum dicti VVenceslai, Ducis Saxoniae, & Lunaeburgensium, & ad legitimos eius haeredes, masculini sexus, Laicos duntaxat; ita videlicet, quòd post eiusdem Alberti obitum, primogenitus eius filius, & post primogeniti eius obitum, eiusdem primogeniti senior filius, ex ordine geniturae, & sic deinceps à seniore filio descendentes, ex ordine geniturae, semper senior: Si verò primogenitus Ducis Alberti praefati decesserit, masculini sexus, Laicis duntaxat, haeredibus non relictis extunc secundogenitus filius Alberti Ducis praedicti, & post obitum eius, secundogeniti filius senior, Laicus: Et si secundogenitus sine haeredibus legitimis, masculini sexus, Laicis, decesserit, Tertiogenitus dicti Alberti, & senior eius filius Laicus, post mortem ipsius, & deinceps per talem modum directa linea geniturae, descendentes ab eo, Laici duntaxat, ius, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum Regem, promouendum in Imperatorem, & officium Archimareschalliae, cum omnibus & singulis suis dominijs, honoribus, iuribus, priuilegijs, dignitatibus, & pertinentijs, perpetuis temporibus obtinebunt per successionem haereditariam, & paternalem, vt praemittitur, ex ordine geniturae.*

6. *Quibus omnibus non extantibus, ad proximiorem haeredem, secundum lineam paternalem, duntaxat Laicum, seniorem Ducem Saxoniae, pro tempore, ac eius haeredes secundum modum superius expressum, in perpetuum legitimè deuoluentur.*

7. *Et talis successio, & deuolutio, ne in his committantur errores, futuris temporibus, debet, vt praemittitur, in omnibus & singulis praescriptis, sine innouatione, perpetuò obseruari inuiolabiliter; taliter videlicet, quod si aliquem ex eis, modo praemisso, ab hac luce migrare contigeret, qui masculini sexus haeredes legitimos, Laicos, post se relinqueret, debitae patientes defectum aetatis, extunc senior frater, nepos, aut consanguineus proximior, in linea geniturae, si frater non extiterit, eiusdem defuncti, Laicus duntaxat, dicti pupilli & iuuenis, ad quem praescripta deuoluentur, de iure tutor esse debeat, & curator, tamdiu, donec debitam pertingat aetatem. Cui etiam iuueni, quam cito aetatem debitam pertingenti, vocem, ius, dignitatem, & potestatem, praescripta deuoluentur, de iure tutor esse debeat, & curator, tamdiu, donec debitam pertingat aetatem. Cui etiam iuueni, quàm cito aetatem debitam pertingenti, vocem, ius, dignitatem, & potestatem, praedictae Electionis, ac omnia & singula ab ipsis dependentia, idem Tutor sine difficultate, & renitentia qualibet tenebitur, & debebit protinus assignare. Aetatem autem debitam, in hoc casu, eligendi videlicet Romanorum Regem, in Imperatorem promouendum, decem & octo annorum censeri volumus, & haberi. In principatibus autem, Ducatibus, & dominijs alijs temporalibus gubernandis, aetatem obseruandam decernimus, prout à Diuis Romanis Imperatoribus, & Regibus, nostris praedecessoribus, est sancitum.*

8. *Porrò ne super iure, voce, dignitate, & potestate Electionis huiusmodi, nec non Ducatu, Principatu, & officio Archimareschalliae praedictis, vllo vnquam tempore contingat scandala suscitari, vel attentari valeant nouitates, de Imperatoriae plenitudine potestatis, & de certa nostra scientia, omnia & singula praemissa, prout in suis clausulis, membris, articulis, atque punctis superius designantur, authorizamus, approbamus,* rati-

an.1376 *ratificamus, & tenore præcedentium, de certa nostra scientia confirmamus. Insuper VVenceslao, & Alberto, modernis Ducibus Saxoniæ, & Lunæburgensium prædictis, nec non eorum hæredibus, & legitimis Successoribus, quemadmodum prius donauimus, sic huiusmodi donationem iterum innouantes, damus, concedimus, conferimus, & donamus authoritate Imperiali prædicta, Ducatum & Principatum Lunæburgensem, cuius authore DEO, possessionem iam obtinent, cum omnibus & singulis eorum terris, ciuitatibus, castris, oppidis, fortalitijs, dominijs, proprietatibus, vasallagijs, iuribus, iurisdictionibus, vsibus, vtilitatibus, fructibus, reditibus, prouentibus, emolumentis, libertatibus, vsufructibus, attinentijs, appendicijs, & pertinentijs vniuersis, in quibuscunque consistant, quibusue possint specialibus, & exquisitis vocabulis designari, nihil prorsus excluso, prout Ducatus, & Principatus Lunæburgen. prædictus in suis terminis, finibus, limitibus, & granitijs circumferentialiter antiquitus est distinctus, non obstantibus legibus, iuribus communibus, municipalibus, & priuatis consuetudinibus, priuilegijs, vel statutis quibuslibet, in contrarium editis, & seruatis, etiamsi forent talia, de quibus specialis & expressa præcedentibus esset mentio facienda, quibus omnibus & singulis, in quantum præmissis, aut alicui eorum possent quolibet obuiare, de dictæ plenitudine Imperatoriæ potestatis penitus, & omnimodo derogamus, supplentes de præfatæ Imperatoriæ plenitudine potestatis omnem defectum, si quis in præmissis, aut eorum aliquo, ex verborum defectu, sententiarum obscuritate, solennitatum omissione, seu alio quouis modo nunc, & in antea reperietur admissus.*

al. vasallitijs.

9. Nulli ergo penitus hominum liceat, hanc nostræ pronunciationis, decreti, statuti, declarationis, sanctionis, authorizationis, approbationis, ratificationis, & confirmationis paginam infringere, aut ei ausu temerario quodlibet contraire, sub pœna mille marcarum auri purissimi, quas ab eo, qui contrafecerit, toties, quoties fuerit contrafactum, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem Imperialis nostræ Cameræ fisco, residuam verò partem iniuriam passorum vsibus applicari.

Signum Serenissimi Principis & Domini, Domini Caroli Quarti, Romani Imperatoris, & gloriosissimi Bohemiæ Regis.

Testes huius rei sunt

Venerabiles.	Ludouic. Archiep. Moguntinensis, Sacri Imperij per Germaniam. Fridericus Coloniensis Archiepisc. Sacri Imperij per Italiam, Cuno Treuirensis Archiep. Sacri Imperij per Galliam, & Regnum Arelatense,	Archicancellarij.
Illustres	Rupertus Senior, Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperij Archidapifer, Dux Bauariæ, Sigismundus Marchio Brandeburgensis, Sacri Imperij Archicamerarius,	Principes Electores.
Venerabiles.	Io. Archiep. Pragēsis, Apost. Sed. Legatus.	
	Theodorus Metensis, & Ecchardus VVormatiensis	Eccl. Episc.
Spectabiles.	Eberardus de VVirtenbergk, Theodoricus de Catzenelnbogen, & Heinricus de Sponheim,	Comites.
Nobiles	Petrus de VVartenbergk, dictus de Cost. Imperialis Curiæ nostræ Magister. Thimo de Colditz, Cameræ nostræ Mag.	

Et alij quàm plures nostri, & Imperij Sacri Principes, Nobiles & Fideles. Pronunciatum sub Bulla aurea, tipario nostræ Maiestatis impressa, testimonio literarum. Datum Franckenford super Mogano, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, Indictione quarta decima, quarto Idus Iunij: Regnorum nostrorum anno trigesimo, Imperij vero vicesimo secundo. *al. Super Manum.*

Et nos Ludouicus Dei gratia Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius, recognouimus.

Obijt anno sequenti *Stephanus* Senior Bauariæ Dux, tribus superstitibus liberis, *Stephano, Friderico, & Ioanne* Stirpis propagatore. *Stephano* Seniori *Otto* Brandeburgicus eius frater, biennium superuixit, nulla prole relicta. *Othone* extincto solus è *Ludouici IV.* Cæsaris filijs *Albertus* supererat, qui vitam ad annum 1404. produxit. Inijt Hollandiæ, Zelandiæ, Hannoniæ, & Frisiæ principatum (quem viuo ac delirante *VVilhelmo* fratre, per annos vndeuiginti administrarat) anno 1378. eoq; potitus annos viginti sex, viuendi finem fecit. Ex *Margareta* filia *Ludouici* Silesiæ Ducis Boigensis sustulit *VVilhelmum* Comitem osteruandiæ, qui ipsi in Belgicas ditiones successit, fato functus

an.1377 CIV. *Mors Stephani Bauari.*

Genealogia reliqua Ludouici IV. Imp. CV.

an.1377 functus Anno 1417. relicta filia *Iacobea*, & *Margareta* Burgundica, quæ *Iacobea* primis nuptijs duxit *Delphinum* Galliæ: secundis *Ioannem* Ducem Brabantiæ: tertijs, *Hun-*



fridum Ducem Clocestriæ: quartis, *Borsellum* Comitem Osteruandiæ. *Albertus* Bauarus ex *Margareta Silesia* reliquit *Albertum cælibem*:& *Ioannem* Leodiensẽ qui Episcopatu relicto, studio propagãdi familiam, vxorẽ duxit *Elisabetham* filiã Ducis Lusatiæ.

MORS CAROLI IV. IMPER. An. 1378.

Ante Caroli obitum Mindensia se offerunt comitia, in quibus de Ecclesiastica libertate sequentem legimus à *Carolo* latam constitutionem.

CVI. *CAROLI IV. IMP. CONSTITVTIO DE LIBERTATE ECCLESIASTICA.*

Anno Christi 1377. *In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis feliciter, Amen. Carolus Quartus, diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.*

1. *Etsi Imperialis benignitatis elementia, quorumlibet deuotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit Imperium, ex officio debito teneatur necessitatibus, & iniustis oppressionibus consulere, & de opportunis remedijs prouidere: ad illos tamen permaxime dirigitur nostræ mentis affectio, quos indebitè pati cognoscimus, quorumque oppressionibus status Ecclesiasticæ libertatis, quem semper nostris temporibus augeri volumus; enormiter eneruatur, & quasi ad nihilum redigitur.*

2. *Minus iuste sane ad nostræ Serenitatis audientiam pro parte honorabilium Prælatorum Canonicorum, & Clericorum Mindensis Ciuitatis, & diocesis insinuatione querulosa suppliciter est deductum, quod seculares quidam in potestatibus, & officijs publicis constituti; videlicet Duces, Comites, Barones, Milites & Sculteti, & alij Domini temporales: necnon Consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores diocesis prædictæ Dei timore postposito, statuta singularia, iniquas ordinationes, motu proprio ac temeritate præsumptuosa, de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum & locorum Religiosorum libertates, & priuilegia condiderunt, & condunt, eisdemque publice, & de facto insistere præsumpserunt, & præsumunt ausu temerario, & nephando quotidie contra legitimas ciuiles & canonicas sanctiones, vt puta quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur, neue Clerici in sacris constituti ad agendum seu testificandum in ciuilibus*

bus

bus & maxime in pijs causis aliquatenus admittantur, quodque excommunicati laici et publice denunciati in ciuili foro minime repellantur, nec in eorum Consulatus officio ac alijs actibus secularibus eutentur.

3. Item prædicti Domini temporales Consules Rectores, per secularem potestatem Ecclesias & personas Ecclesiasticas capiunt, & capi procurant; res & bona Clericorum occupant & arrestant; oblationes fidelium diminuunt, & restringunt; exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigunt, & extorquent; stationes immoderatas cum multitudine Nobilium in bonis Ecclesiarum, & piorum locorum faciunt; vecturas curruum et vectiones multiplices bonis ipsis imponunt contra Ecclesiasticam libertatem; possessiones Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum deuastant incendijs & rapinis; contractus inter Clericos, & Laicos legitime factos, ad libros ciuitatum, villarum & locorum recusant inscribere ac sigillare; donata & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras contra voluntatem Prælatorum & aliorum, quorum interest, præsumunt vsurpare contra iustitiam; in fraudem & odium Clericorum confugientes ad Ecclesias, cimiteria & ad loca libertatis Ecclesiarum, inde extrahere contra Imperiales sanctiones præsumunt.

4. Cum igitur hæc omnia & singula, & quæuis alia similia, necnon quæcumque sequuta sunt & sequi possunt, ex eisdem sint & fuerint solum de facto actemere attentata, et per sacras ciuiles & canonicas sanctiones reprobata expresse; Nos ea omnia & singula de Principum, Dominorum, Comitum, Baronum, fideliumque nostrorum consilio ex certa scientia tenore præsentium, & auctoritate Imperiali cassamus, irritamus, annullamus, cassaq; irrita & nullius esse momenti penitus declaramus, dicimus & nuntiamus expresse præsenti dicto perpetuo valituro, seriosius inhibentes, nec huiusmodi aut eorum similia de cætero dicti Domini temporales attentare præsumant, præcipientes nihilominus sub indignatione Imperialis banni vniuersis & singulis Dominis, Militibus, Consulibus, Potestatibus, Officiatis & in officijs publicis constitutis, quatenus mox visis aut intellectis præsentibus dicta eorum statuta, & ordinationes, sicut in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis ædita sunt, omnino reuocent & de luce tollant, quodque secundum ea non iudicent amplius, nec sententias dictent, aut eisdem in iudicio vel extra quomodolibet per se, & contra Ecclesiasticam libertatem potiantur.

5. Item pronunciamus & declaramus Imperiali auctoritate, quod, quicumq; cuiusc umq; status vel conditionis extiterit, auso sacrilego et propriæ temeritatis audacia Sacerdotem vel Clericum, secularem vel religiosum, diffidauerit, proscripserit, captiuauerit, spoliauerit, occiderit, mutilauerit, aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi malitiam perpetrantes scienter receptauerit, seu consilium, auxilium vel fauorem in his eis præstiterit, vel pro causa criminali vel ciuili quæstionum in iudicium seculare, & specialiter iudicium quod dicitur, *Irending, quod nulla temporis præscriptione, vel Regali seu Imperiali edicto seu iudicij confirmatione, contra personas Ecclesiasticas seu Clericos per quamcumq; consuetudinem introduci volumus, trahere præsumpserit, vel ratione dictæ consuetudinis aut potius corruptelæ extra præfatum iudicium contra Clericos in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis, aliquid attentauerit præter pœnas à sacris Imperialibus, & Canonicis sanctionibus eis inflictas, decernimus hos imperiali edicto ipso facto infames, & omni honore priuatos, nec ad placita vel consilia Nobilium aliquatenus admittendos, et actorem vel actores tales a iure suo cadere, ac iudicatum non tenere, Iudicemque iudicandi potestate priuatum et bannum Imperiale incidisse pronunciamus.

*al. Fridius.

6. Verum quia parum esset iura condere, nisi essent, qui tuerentur eadem auctoritate Imperiali prædicta, vniuersis Principibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus; & specialiter Coloniensi, Moguntino, Magdeburgensi & Bremensi, Archiepiscopis: Monasteriensi, Osnabrugensi, Hildensemensi, Paderburnensi, Mindensi, Lubicensi, Verdensi & Suuerinensi, Episcopis: nec non omnibus, Saxoniæ, Luneburgen & Brunsuicen Ducibus: Lantgrauio Hassiæ: necnon de Marcka, de Monte, de Hoia, de Teckelnburg, de Schobenburg, de VVernengerode, de Holzatie, & de Regenstein Comitibus, quibus & eorum cuilibet vices nostras committimus in præmissis per præsentes, & eis sub obtentu Imperialis gratiæ præcipimus & mandamus, quatenus toties, quoties pro parte dictorum Prælatorum Canonicorum, & Clericorum vel alicuius ipsorum fuerint requisiti, eisdem pro toto

an 1377 *toto suo posse assistant & faciant, quod præmissa committentes quicumq; fuerint pœnis prædictis puniantur realiter, & cum effectu, quatenus cæteri eorum exemplo perterriti similia de facili non attentent: præterea omnes, & singulos Ecclesiarum seu Ecclesiasticarum personarum prædictarum vasallos, & feudatarios cuiuscumque ordinis, gradus vel conditionis existant, qui contra Ecclesiam vel personas Ecclesiasticas ipsius Mindensis Ecclesiæ Ciuitatis & diœcesis, à quibus feuda eorum tenent, aliquid fecerint de præmissis seu ea facientibus, si propter hoc excommunicati denunciantur, vel alias astiterint quouis modo, dummodo de hoc seruato iuris ordine conuncti fuerint, denuntiamus & decernimus eo ipso suis feudis siue beneficijs esse priuatos, eosque præsentis constitutionis edicto priuamus perpetuo, dantes Ecclesiæ seu Ecclesiasticis personis antedictis dicta feuda concedendi alijs personis laicis fidelibus, & vtilibus liberam facultatem.*

7. *Volumus etiam, hortamur & requirimus Episcopos & Prælatos Ecclesiasticos, vt hanc nostram legem & constitutionem in Synodis, & Ecclesijs publicari procurent, ne in præmissis per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare.*

8. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram cassationis, irritationis, annullationis, inhibitionis, necnon pronunciationis & declarationis paginam infringere, aut ei ausu temerario quomodolibet contraire, sub pœna Imperialis nostræ indignationis grauissima, necnon quinquaginta marcharum auri purissimi, quas ab eo, qui contrafecerit, toties, quoties fuerit contrafactum, irremissibiliter exigi, & earum medietatem Imperialis nostri ærarij siue fisci, residuam vero partem iniuriam passorum vsibus volumus applicari.*

Signum Serenissimi Principis & Domini, Domini Caroli Quarti Romanorum Imperatoris Inuictissimi, & gloriosissimi Bohemiæ Regis.

Testes huius rei sunt

al. Borberdus.	Venerabiles.	Gherardus Hildensemēsis, a Heinricus VVerdensis & Heinricus Paterbrunnensis	Eccles. Episcopi.
	Illustres	Albertus Saxoniæ, & Luneburgensis, & VVenceslaus Opauiæ	Duces.
b al Borchardus.	Spectabiles.	Burchardus de Hardeck, b Gherardus de Hoia, Boszo & Heinricus de Schrapelouu	Comites.
	Nobiles	Otto Aduocatus de Monte, (*al. de Mente.* Petrus de VVartenberg, dictus de Chust, Imperialis Curiæ nostræ Magister, Thuno de Colditz Cameræ nostræ Mag. Hintzo de Lipa, Albertus de Sterneberg, (*al. de Storenburg.* Symon de Lyuuen, (*al. de Lippen.* Busko de Pritzan, (*al. de Azuzan.* Bussetto de Bristritz, (*al. Bussiro de Bisken.* c Alhardus de Pusche Dapifer in Rauensperg, Henricus de Ezigelhem. (*al. Ezigelhelm: al. Ezigelen.*	*c al. Alzardus.*

Et alij quàm plures nostri, & Imperij Sacri Principes, Comites, Nobiles & Fideles: præsentium sub Imperialis Maiestatis nostræ sigillo testimonio literarum. Datum Mindæ anno Domini M CCCLXXVII. Indictione quintadecima, XV. Calend. Decembr. Regnorum nostrorum anno XXXII. Imperij vero XXIII.

De Mandato Domini Imperatoris
Nicolaus Cameracensis Præpositus.

Pragam Bohemorum regressus, cum Bohemiam plurimùm amplificasset febri correptus, moritur in vigilia S. Andreæ, hora quasi secunda noctis, Anno ætatis 63. cum imperasset XXXII. Post solemnes exequias Pragæ habitas, die XVI. à morte ipsius. Sepultus est in templo Pragensi. CVII. *Caroli mors.*

EPITAPHIVM. CVIII.

Quartus Carolus Imperator ille
Primo non minor, vndecumq; magno
Qui cum terq; quaterq; reddidisset
Felicem patriam hanc, subinde lege
Communi, hinc hominum omnium ad beatam
Concedens requiem, hac iacet repostus.
Sacrá, quam faciebat æde. Quantos
O quantos cineri huic Bohemi honores
Debetis? nisi vultis vsquequaq;
Tantorum immemores bonorum haberi.

Aliud prò *Gunthero*, & *Carolo IV.*

Hos quoq; saua duos elegit Reges:
Sed his alterius morte dirempta fuit.
Inclyta qua Mæni lapidosi adiacet vndis
Vrbs à Francorum nomen adepta vado:
Acria ciuili moturum bella tumultu
Funere Guntherum *mors properata tulit.*
Qui ramosa gerit velocis cornua Cerui
Indomiti fregit Carolus *arma ducis.*
Gymnasiúq; recens ad flauum condidit Albim,
Hic vbi turrito culmine Praga iacet.
Georgius Sabinus.

SYMBOLA CIX.

Optimum aliena infamia frui

Lynx,

an.1378 Lynx, seu *Panthera* sub Inscript. *Nullius pauet occursum*. Quod de *Panthera* interrito animali rectius dixeris. Nisi à perspicacia audaciam *lynci* tribuas, quòd mala præuisa longè, minùs terreant.

CX. Sculptum vide *Symbolum* pag. 535.

Monetam *Caroli IV*. vide pag. 135.

CXI. *Caroli virtutes.* Laudem, vel vituperem *Carolum*? prò eo resonant Bohemi. Quòd ingenio & doctrina excelluerit, multarumque linguarum peritus fuerit, prò certo est. Doctos in precio habuit, eorum consuetudine plurimum delectatus. In Scholam Pragensem aliquando ingressus, cum disputantes liberalium artium Magistros per horas quatuor audisset, idque purpurati molestè ferrent, ac cænæ tempus dicerent adesse. *Mihi* (inquit) *tempus est minimè: nam cæna mea hæc est*. Sic pluries Philosophicas disputationes delicatissimis prætulit conuiuijs etiam delicatissimis. *Aeneas Syluius*.

CXII. *Accademia Pragensis.* Accademiam *Pragensem* instituit, quam *Innocentius VI*. Pontif. confirmauit. Eo rogante, *Episcopus Pragensis* exaltatus in Archiepiscopm, ne subesset Moguntino.

CXIII. *Canobiu instruit.* Castrum etiam *Ingelheim* mutauit in Cænobium, sed vt Bohemi intra eũ tãtum reciperentur. Impetrauit à Pontifice, vt festum

CXIV. *Lancea festum.* *Lanceæ*, & *Clauorum Christi* institueretur, quotannis celebrandum feria sexta post Dominicam, *Quasi modo geniti*. Trithemius.

CXV. *Bulla Aurea.* Conuentum egit *Carlus* frequentissimum in vrbe Metensi, vbi contractis, atque digestis institutis, ac Imperij moribus antiquis, & recentibus ad Imperij Maiestatem, legem condidit Carolinam, *Aureæ Bullæ* notam nomine. Qua consultum aduersus hostes imperij, ac Principum Imperatorisque concordiæ. Quando fuerit promulgata? variant scriptores, Librum illum *Aureæ Bullæ* his verbis describit *Pileus Cardinalis*, vt refert *Marq. Freher*.

Prædictus liber erat scriptus in Pergameno in XXIV. folijs, cum coopertura grossa, in quo erant scripta diuersa negotia sacrum Imperium & eiusdem Electores tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filijs sericis glauci, & rubei coloris inuolutis, cum bulla, seu sigillo rotundo Imperiali appenso, in cuius vno latere apparebat figura Imperialis in maiestate sedens, cum corona Imperiali in capite, habens in manu dextera sceptrum, & in sinistra manu pomum cum cruce desuper, modo Imperiali; & à latere dextero clypeum cum forma leonis. In circumferentia verò legebantur hæc verba. Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex. *Ab alio latere, castrum magnum cum duabus turribus, habens portam inferius in medio, cum literis:* Aurea Roma. *In circumferentia verò legebantur hæc verba.* Roma, caput Mundi Regit Orbis frena rotundi. an.1378

Carolum laude extollunt *Iustitiæ*; cuius exemplum in eo lucet sacerdote, qui cum vtroque oculo à quodam nobili patruo suo, nomine *Zachora* orbatus fuisset. Is verò non inficias iret, sed per animi impetum, admissum facinus excusaret, pecuniamque offerret, arbitrio iudicum æstimandam. Respondit *Carolus*, non posse satisfactionem absque talione constare, quando cæco in integrum restitui oculi nequeant; sed oportere *Zachoram* pariter, atque sacerdotem oculos amittere; neque aliter ius esse æquabile. *Ioh. Dubrauius*. CXVI. *Caroli Iustitia.*

Sic paulò ante mortem *VVenceslaum* filium ad se accersitum seuerè quidem, sed serò monuit, quòd diù ante factum oportuisset; *ne, quod non immeritò futurum verebatur, tot partum curis ac sumptibus Imperium per socordiam fœdaret*. Bonum quidem sed intempestiuum malo ineluctabili remedium; non minus *VVenceslai* socordia, quàm *Caroli* incuria comissum. Vnde licet sagax, & rerum benè intelligens, Imperio adeò nocuit, vt nomen ei denegetur *Augusti*. Eum Krantzius nominat Imperij *vitricum*. Theodoricus Niemius Imperij *dissipatorem*. Maximilianus I. Imper. longè sapientissimus de eo dixisse fertur, illo pestilentiorem pestem nunquàm aliàs Germaniæ contigisse. *Carolo V*. Franciæ transcripsit regnum Arelatense, quod *Philippus Valesius*, imperante *Ludouico Bauaro*, nè à Gallo quidem Pontifice, vllis minis aut precibus potuerat impetrare. Propterea à *Kranzio* [a] dicitur euisceraße imperium: à *Cuspiniano* [b] deplumasse Aquilam, expòsuisse ludibrio, Rheni vectigalia Imperij patrimonium dissipasse, cuncta indulsisse, vbi ipsi fuit pecuniæ abradendæ facultas: à *Lehmanno* sic depressisse imperium, vt vix reliquerit, quo foret ei deinceps robur ad extollendum caput. Accepris CXVII. *VVenceslaum corripit.* *Caroli vitia.* CXVIII.

[a] 10. Sax. c. 3.
[b] lib. vlt. c. 4.
Lehm. lib. 7. c. 50.

an. 1378 ptis triginta aureorum millibus, Moguntinis, Vangionibus, Nemetibus, Oppenheimium, Odernheimium, arcem & oppidum Sueuibergam: Nersteinium; Ingelheimium, VVintetheimium pignori opposuit, Anno 1356. tabulis Moguntiæ duntaxat nomen præferentibus. Anno sequenti nonnullis ciuibus Boppardiensibus, & *Conrado Sternbergio* quædam Rheni portoria, alia item Fräcofurtensibus, VVetzlariensibus, Freidbergensibus, & Gelhusianis vendidit. *Petro VVartenbergio* Bohemo, ob nauatam aliquando fidelem operam, *Stelzam* cum omnibus emolumentis concessit. Anno 1371. Filio suo *VVenceslao* cum esset nundinatus imperium, addicto singulis Electorum centum mille aureum dono, nec ex Fisco tantum auri emungi posset, Anno 1376. ad liberandam fidem, tot ex Aquila plumas euulsit, quot visæ satis sunt Augustalium
cxix.

suffragiorum propolis. Propterea Comiti Palatino Rheni partem vectigalium Rhenensium, vnà cum Ingelheimo, & Opernheimo, sublata copia redimendi, donauit. *Hachstam* cum telonio, Ecclesiæ Pragensi in Archiepiscopalem erectæ transcripsit. Sexdecim Sueuiæ ciuitates vicinis Principibus vendidit. *Serar.* Libertatem Germanam, si vera profert *Auentinus*, Maiestatem Imperij Romani, populi gentium victoris fortunam hostibus prodidit, Imperium pessumdedit. Ab historicis passim accusatur, præ Germania dilexisse Franciam, Imperij neruos accidisse, suam Bohemiam ruinis imperij amplificasse, adiuncta illi Silesia. Tantam infamiam illustrant nonnulla templorum ædificia, sumptus in res sacras, Pragensis Accademia, natiua facundia, linguarum peritia, quibus securè diem fatalem dixit imperio. an. 1378 *Lib. 5. Mogunt.* *Virtutes.*

CAPVT TERTIVM

Caroli IV. Imperatoris Iustitia ad normam eius, quæ nec munera respicit, nec personas, præsentem excitat titulum explicandum.

IVSTITIA CÆCA.

1. Iustitia quandoque profuga. 48. Ludouici Regis Francorum zelus pro iustitia. 49. in potentes iustitia dirigitur. 50. collyrium ægrotantis Reipublicæ.

2. Leges potentem non stringunt. Vide per totum caput 13. leges qu bus assimilentur. 16. torquetur lex, ne torqueantur diuites. 19. non sunt prò potentibus. 47. frænum potentium.

3. Alex. M. vt latro obiurgatur à pirata. 18. oraculum deludit.

4. Aaron culpæ particeps, immunis à culpa.

5. Moyses timet in Pharaonem pergere. 9. cur eum vellet Deus occidere. 17. cur non submersus in Nilo.

6. Pauper soluit pœnam pro diuite, & tributa. 10. 21. 22 paupertas reatus est.

10. Tarquinius latam legem in adulteros primus violat.

11. Adultera, & non adulter cur accusaretur apud Christum.

13. Magdalena non prohibetur Christum fateri, quia diues.

14. Agripina quia fœmina potens, Senatu non prohibetur.

15. Diues, potens semper habet patronum. 17. 26. Cœlum ipsum, & elementa formidant potentem. 21. puniendi potentes. 28. miraculo opus ad puniendos potentes. 29. Moyses non audet potentes percutere. 30. pœnas in fabulis luunt. 41. Regis proprium punire potentes.

15. Paulum quia ciuem Romanum Philippos honorat.

24. Euase non moriturum credit.

26. Mare timet Pharaonem.

27. Nabuchi statua figura potentium.

31. Reos punire, salus Reipublicæ. 32. religionis species. 39. 41. 60. non est Princeps, qui punire non audet. 40. se reum facit, qui non punit potentes.

33. Iustitia munimen Reipublicæ. 35. germana clementiæ. 46. symbolum iustitiæ.

34. Vitia prius, hostem postea aggredieris.

37. Iudex audeat punire potentes, vel non sit iudex.

38. Petrus solus hamo piscari iubetur.

43. Regis proprium cum pari certare.

44. S. Ludouici zelus prò iustitia.

45. SS. Euchar. volat in os iusti.

Habet

I. *Iustitia quandoq; profuga.* HAbet Iustitia sæcula sua, & gradu temporis consenescit. Non semper viget, cum tempore currit. Fuit quondam Noe, qui posthabito paternitatis affectu, nec liberis indulgeret; Cataclysmo docente (quo cuncta periere, in quibus erat spiraculum vitæ) nec gigantibus proficere fortitudinem, nec diuitibus opes. Leo, musca; mus, Elephas grandia, minima pereunt. Non est misericordiæ locus, nec conditionis discrimen. Neminem reformidat iustitia, cæco pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Mos fuit vt inter homines pro summo esset optimus, potentiorque esset, si melior. Chari Principes, dilecti populi, nulloque stipante satellitio venerabiles, omnia potentes, quia nihil vsurpantes. *Tantum enim quantum vult, potest; qui se nisi quod debet, non putat posse.* Seneca ep. 90. Sed postquàm surrepentibus vitijs, in tyranidem versa sunt regna, Magnaribus hæc vna *Leges quomodò corrumpantur.* lex, *Licet dum placet.* Veniat homo indutus purpura, & bisso; extemplò vi, ambitu, pecunia iura turbantur. *Tacit. An.* 1. Nusquàm legitur potentibus Vlpianus aduersus; *In*

II. *Potenti legesnon stringũt.* *summa fortuna id æquius, quod validius.* Sua retinere priuatæ domus, de alienis certare, regiam dixit laudem idem Tacitus. *An.* 15. Nec habuit Magnus Alexander quid obiurganti responderet pyratæ; cum is de furto conuentus se excusauit, ipsum iudicem ac-

III. cusando maiori irretitum facinore. *Quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, imperator.* Felix latro, verè magnus quod totum impunè orbem surripueris

Illic Pellæi proles iacet vesana Philippi
Fœlix prædo iacet terrarum. Lucanus.

IV. Vulgo Deum Deo meliorem flagitanti dat dæmonem Aaron; Inaurium auro monstrum conflat. Materiæ pretio vilem addit speciem iumenti, vt numen daret colentibus simile. Circa vitulum ludunt lasciui, Aaron ipse non sine participatione piaculi, quòd à pecudibus duceretur pastor. Vltor tamen Leuitarum gladius depopulatur populum; nec est qui Aaronem insimulet, cu-

V. ius imperio flamma nummum in numen congesserat. Legat Dominus in Pharaonem *cur timet Moyses in Pharaonem pergere.* Moysem, vt populũ de seruitute educeret in terram promissionis; cum *Pharaonis* audito nomine, se excusat elinguem; *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Exhibet Dominus linguam magniloquam, *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris,* non propterea Moyses quiescit; modestè cum se excusaret priùs, modò repudiat impudens: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Seruilis timor, panicus terror ad iram prouocat, qui irasci non potest; *Iratus est Dominus in Moysem: Exod.* 4. Tyranni gemebat sub iugo; patriam miserabatur in vinculis, virgam furoris tenebat in manu, extendere tamen non audet, conspectum Pharaonis formidat, quasi plus timeret creaturæ quàm Creatoris potentiam. Adeò pauebat Regis aspectum, vt nec lorica diuinitatis indutus (*constitui te Deum Pharaonis* ad Moysem VI.
Deus) gladium audeat tractare Iustitiæ. Hebreorum populus in Chananæos arma capit; armantur hostes, Adonibezec copias producit in campum, & armatas militum phalanges populo opponit Hebraico. Is manu conserta, *Decem millia virorum cadit*, Adonibezec fugientem insequitur, comprehensi manuum, ac pedum summitates præcidit. Sed cur tam perstrictim cæditur Adonibezec, cum tot virorum numerus trucidatur? Huius mercede conducti milites, eius imperio instructæ acies, & manuum tantummodò præciditur summitas, cum aliorum audax morte punitur temeritas? Mysterium habes in nomine *Adonibezec Dominus fulguris* interpretatur. *Glossa Moralis.* Quòd natalibus, & purpura fulgeat, reliqui censeantur gregarij, quamuis reliquos audacia supergressus, & populum infestarit armatus, temeritatis pœnas summitatum præcisione persoluit. Reliqui morte luunt malitiam alienam. Soluit pauper exactiones pro diuite, & qui tenuem reperitur habere substantiam, & minora piacula, cogitur copiam pendere maiorem; & peccatum licet aliena incrementarit malitia, proprio sanguine sua, & aliena crimina diluit. *Pauper pro diuite soluit pœnam, et tributa.* *Prouincialium nostrorum* (aiebat Cassiodorus 5. *Var.* 14.) *sæpius querela comperimus possessores idoneos suauiæ non solum causarum suarum tributariam functionem in tenuem reliquisse fortunam; verùm etiam scelerato commercio aliquid exinde suis posset applicari vtilitatibus, vt functio publica commoditas*

ditas sit priuata. Gemit populus, corpora
VII. fames væsana flagellat; Magnatum verò vt
lautis nutriantur corpora mensis, stratoque
discumbant in ostro; omnes ignoscunt, ne-
mo succurrit. Minori hi ne incedant glo-
ria; fame pereunt egeni. Tyberi Romano
solent assimilari magnates. Continuis im-
bribus auctus, cum plana vrbis stagnasset:
relabentem secuta esset ædificiorum, homi-
numque strages. Fames in vulgus, inopia
quæstus, & penuria alimentorum. Egerunt
in Senatu, an ob moderandas Tiberis exun-
dationes, verterentur flumina, & lacus, per
quos augescit? Nil mutandum censuere Pa-
tres, *Nolumus Tiberim accolis orbatum fluuijs
minori gloria fluere. Tacit. An.* 1. Ita Magna-
tes, quorum purpura rubescit miserorum
sanguine, *ne minori gloria fluant*, prætereun-
VIII. tur innocui. Gerazenorum terra cum ap-
plicuisset Christus, occurrit homo in spiri-
tu immundo, qui nec compedibus vincie-
batur, nec comprimebatur catenis; imò si
aliquando iniectæ detinebant catenæ, fran-
gebat ad libitum, & pro arbitrio vagabatur.
*Exeunti de naui occurrit de monumentis homo
in spiritu immundo, qui domicilium habebat in
monumentis, & neque catenis iam quisquam
poterat eum ligare. Mar.* 5. Conferatur is cum
Petro, *qui inter duos milites iacet vinctus ca-
tenis duabus*. Sed cur vincitur Apostolus, &
hominem dæmoniacum nemo audet com-
pedibus illigare? Augustinus soluit; *intelli-
gas fuisse alicuius personæ clarioris: apud D.
Thomam*. Inquietat mortuos, infamat viam,
& nemo eum ligare audet: quia nobilita-
tem quisque timet, & potentiam formidat.
Petrus piscator, Iudæorum vincitur in gra-
tiam; dæmoniacus graditur in nobilitatis,
ac reuerentiam potentiæ. Dæmoniacus quia
nobilis catenas non sustinet. Petrus quia
egenus vincula patitur. *Dat veniam corruis,
vexat censura columbas. Iuuenal. Satyr.* 2.
Pulchro sane ænigmate hoc nobis indicasse
IX. scriptura videtur. In Ægyptum tendenti
Dominus cur vellet Moysem occidere? Moysi, stricto gladio obijcitur Angelus,
mortem minatus: *Cum esset in itinere, in di-
uersorio, occurrit ei Dominus, & volebat eum
occidere: Exod.* 4. Indignationis causam aper-
tè Sephora ostendit, dum vt iram auerteret,
recens nati præputium petra circumcidit
acutissima. *Tulit igitur Sephora acutissimam
petram, & circumcidit præputium filij sui*. Sed
vnde Moyses legislator in populo, temeri-
tatis exemplo legem profanat, & ad inob-
seruantiam Hebræos prouocat. Abraham
cum legem Circumcisionis promulgasset
in populo, legem firmauit exemplo, &
quamuis nonaginta, & nouem annorum
esset, primus circumcidit carnem præputij
sui *Genes.* 17. Modo in Egyptum pergens
Moyses, Idolorum terram, quasi Gentilium
æmulator, filium ducit incircumcisum. In-
circumcisum sanè, nec legi credebat subie-
ctum, quia Principis filium. Supercilio do-
minationis filium protegit legislator: & quia
Deus Pharaonis, summi Dei non recordatur
mandatum. *Occurrit propterea ei ille Do-
minus, & volebat eum occidere*, qui ad mu-
nera non respicit, nec ad personas. Tarqui- X.
nium memento Romanorum Regem, qui
post latam in adulteros legem, primus tho-
rum violauit alienum. Nouum tamen exur-
git mysterium: Si puer, & Moyses simili
causa tenentur: puer, quia præputij oppro-
brium non exuerat; Moyses quia legem Cir-
cumcisionis non impleuerat. Defecerat
iste in ministerio: erat puer alienus à Sacra-
mento. Cur ergo Angelus filij contentus
præputio, Moysem præterit auctorem cul-
pæ, & Imperatorem reatus? Si eamdem
cum puero sustinet causam, cur commu-
nem non patitur pœnam? Solus puer infli-
cto vulnere distillauit; solus doloris patitur
detrimentum, & hoc lege mortali, quia
Magnus est Moyses. Lex quæritur; gladius
stringitur, iudex irascitur; sed emisso paruu-
li sanguine, omnia pacantur; & crimine ex-
cusato Magnatis iura fraudantur.

Adducunt Scribæ, & Pharisæi mulie-
rem in adulterio deprehensam ad Chri-
Magister hæc mulier modò deprehen-
*sa est in adulterio, Moyses mandauit no-
bis huiusmodi lapidare? tu ergo quid dicis?
Io* 8. Iudicem eligunt, vt reum faciant. De XI. *Adultera cur accusetur, non adulter à Pharisæis.*
Adulteræ consulunt pœna, vt pietati iniu-
rium probent, vel legi. Porrò nos Pharisai-
cæ occurramus calliditati. Quid habet
Moyses in lege, ô Scribæ? *Morte moriantur
mechus, & adultera Leuit.* 20. Paria delicta
æquali pœna pensantur. Cur ergo sola in-
simulatur adultera? Cur pœnam effugit adul-
ter? Anacharsis apud Plutarchum *in Solone*
soluit. *Quia aranearum telis assimilantur le-
ges, quæ capiunt paruas, non magnas muscas*.

Adul-

Adulter (ait *Lyranus*) erat ex magnatibus, superbus opibus. *Adulter erat diues, & ideo pro pretio eum liberauerant.* Aurum pisci comparo, quem *Echeneis* appellat Plinius *lib.9.c.25.* Hoc adhærente carinis, naues tardiùs ire creduntur. *Mutianus muricem esse latiorem purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice, concha vtroque latere se se colligente: quibus inhærentibus, plenam ventis stetisse nauem, portantem nuntios à Periandro, vt castrarentur nobiles pueri, conchasque quæ id præstiterint, apud Gnidiorum Venerem coli.* Sic aurum Nemesim vincit, Furias illigat, cuncta prosternit. Furore percita Synagoga Iudæorum in Christum, anathema tulerat aduersus eum, qui Christi esset in partibus. *Conspirauerunt Iudæi, vt si quis confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret: Io.9.* Hinc cæcum natum, cui Christus nouam aperuerat diem, quia mendacem Pharisæi facere haud poterant, à Synagoga fecerunt extorrem, *eiecerunt eum*. Febricitat Lazarus, morbus proficit, spes deficit, & mortuo consepulta ad fœtorem vsque putrescit. Serus adest medicus, opportunus tamen viuis, & mortuis; Fratri & sororibus geminat vitam. Vinculis mortis solutus Lazarus, suam experiri libertatem iubetur; & de mortuo, nihil præter silentium retinere. Fama tamen beneficij superuolat, & Pharisæos in domo conuocat Magdalenæ, vbi hospitabatur vitæ redemptor, *Multi ex Iudæis venerunt ad Mariam, & Martham, vt consolarentur eas.* Ad Mariam, & Martham, quæ Vale dixerant legi Mosaicæ, vt se profiterentur Christi discipulæ? Tam citò obliti estis anathema in eos, *qui confiterentur esse Christum?* vt extra synagogam fierent, & vos in eorum domum Synagogam adducitis? Mysterium Romana mulier aperiat Agrippina. Ab omnibus officijs publicis, & ciuilibus cum fœminæ essent exclusæ, nemo Senatum ingressam prohibere ausit. Imò non in curiam, sed in palatium vocabantur patres, vt adstaret ea abditis à tergo foribus velo discreta, quòd visum arceret, auditus nō adimeret. Quin & legatis Armeniorum, causam gentis apud Neronē orantibus, ascēdere suggestum Imperatoris, & præsidere simul parabat; nisi cæteris pauore defixis, Seneca admonuisset, Neronē *venient imatri occurreret.* Ita spetie pietatis obuiam itum dedecori. *Tacitus An.13.5.* Anathema tulerat Synagoga Hebræorum in eos, qui Christi profiterentur sequelam. Sed in Magdalenam, & Martam natiuitate nobiles, diuitijs potentes, nemo audet legem adducere. Imò iudices ipsi eas domi conueniunt non cum lictoribus, & carnifice, *sed vt consolarentur eas Io.11.n.11.* At quomodò consolabantur Iudæi à Christo dilectas? nonne edixerant, vt quicumque Christum confiteretur, extra Synagoga fieret? *Quia nobiliores reuerebantur.* Etiam in causa fidei suffragatur nobilitas, & reseruatur diuiti seruile responsum.

XII. *Leges quibus assimilentur.*

XIII.

XIV. *Agrippina Senatum ingreditur.*

XV.

Philippos Macedoniæ vrbem cum appulissent Paulus, & Sila ob solutā à Dæmonio puellā carcerem subière, Magistratu iubente, flagellis cæsi, vbi pernoctarunt. Mane autem ex hostibus amici facti prætores, ex carnifice medici vulnera Apostolorum curaturi carcerem petunt rogantes; *dignarentur exire. Venientes deprecati sunt eos: & educentes rogabant, vt ægrederentur de vrbe: Act.16.* Ouidiana hæc est Metamorphosis. Serò flagellis insonant, verberibus laniant cruentis: mane in vota præcesque descendunt? Non cognouerant Philippenses Paulum, & Silam ciues esse Romanos. *Timuerunt audito, quòd Romani essent*; Non soluuntur catenæ ordine seruato iustitiæ, & discusso pondere meriti, sed *quòd Romani essent.* Iudex non inquirit in gesta, sed scrutatur natalia, affinitates, clientelas, amicos. Paulus & Sila vsquè dum Sacerdotes apparent, & Apostoli irridentur, tetro detinentur in carcere. Cum Romani, Magistratum ipsum habent obsequentem. *Timuerunt* (ait Chrysostomus) *quòd Romani essent, non quòd iniustè coniecissent in carcerem. Homil.36. in Acta Apost.* Lex cum diuitum facta sugillare videtur, commoda interpretatione aut lenitur, aut explicatur, aut detorquetur: sæpè torquentur leges, ne diuites torqueantur. Pharao cum animaduerteret Hebræos magis, ac magis sobolescere, veritus nè inquilini numero excedentes cum indigenis de principatu contenderent, iniquissima cogitauit abradere legē. *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite.* O barbaricas, ac prorsùs homine indignas leges. Fluuius infantium iugulator erat: quod naturæ

XVI.

turæ componebatur solertia, vndarum de-
XVII *Moyses cur non submersus in Nilo?* lebatur insania. Per id temporis natus Moy-
ses, vndis committitur, sed fluuius aliorum
iugulator Moysi blanditur. In chrystallos
vnda commutata argentea fluctus euomet,
quasi brachium extendens, vt infantulum
fulciat. Rationem affert Basilius Seleucien-
sis *Orat.9.* fluuium scilicet infantes vtpote
inualidos iugulasse, Moysi verò vti poten-
tiori morem gessisse. *Infantium* (inquit) *iu-*
gulator fluuius pariter, & sepulchrum. Fer-
tur ille expers periculi per fluenta contra inimi-
ci edictum seruatus. Dei verò iussu infanti,
cuius virga futurum erat, vt non multò post
secaretur & mare, fluuius parcebat. Fluuius
Elementa timeat potentem. nulli parcens, timore Imperatoris correptus
fugit, eiusque formidat aspectum, sub cuius
virga vndæ humiliari debebant Ægyptio-
rum sepulchrum. Leges adæquè in diuites
feruntur ac pauperes: Sed opulentiæ priui-
XVIII. *Alex. oraculū deludit.* legio non deest magnati commentum, vt
deludant, & illudant. Gordium Phrygiæ
vrbem cum occupasset Alexander Mace-
do, Iouis templum ingressus, notabile vin-
culum illud aspiciens, cuius solutio pignus
erat totius Asiatici Imperij, dum circa eum,
& Phrygum turba, & Macedonum; illa ex-
plicatione suspensa, hæc solicita ex temera-
ria Regis fiducia anhelantis ad omen. Ille
ne quidquam diù luctatus cum latentibus
nodis, *Nihil* (inquit) *interest, quomodò sol-*
uantur: gladioque ruptis omnibus loris,
oraculi sortem vel impleuit, vel elusit. Cur-
XIX. tius *lib.3.* Nunc habes quomodò legem ad-
impleant magnates. Assuerus superbia tu-
mens legem ediderat arrogantiæ plenam.
Quod *siue vir, siue mulier non vocatus atrium*
regis intrauerit, absque vlla cunctatione sta-
tim interficiatur: *Esther.4.* Intrat Esther ad
Regem, & mortis vrgentis timore correpta,
lassum super ancillulæ pectus caput reclinat.
Rex extemplò de solio desiliens, *Non morie-*
ris (exclamat) *non enim pro te, sed prò omni-*
bus lex constituta. Regia sunt verba, sed con-
tradictione implicata. *Si pro omnibus*, ergo,
& *pro te.* Si non *pro te*, itaque *nec prò omni-*
bus. Pro omnibus lex insonat; prò aliqui-
bus Amor declarat. Quis vincat? personæ
XX. *Araneis similes leges.* dabit conditio. Aranearum telis leges assi-
milabat Anacharsis quas validiora animalia
prærumpunt, solùm parua & debiliora la-
queis irretiunt.

Dum volat, elata telas disrumpit Arachnes
Oestron, & impauidè mollia pensa terit.
Sed capitur tenuis macilento corpore musca
Nec fugit arguta retia ducta manu.
Sic pauper posita sortes vix effugit vrnæ,
Sed diues rupto vimine tutus abit.

Legem præuaricatus Achan de tribu re-
gia aurum, & purpuram furtim abstulerat,
ob illiusque delictum vniuersæ phalanges
cum hostibus depræliantes, plagis acceptis
pœnam exoluunt. *Percussi sunt à viris vrbis*
Hai. Iosue 7. Stragis causam Iosue à Domino XXI.
importunus inquirit: Deus populum pec-
casse respondit, *Peccauit Israel, & præuari-*
catus est pactum meum. Transgressorem sor-
te Iosues vestigat, & Iudæ regiam tribum
inuenit deliquisse, *Inuenta est tribus Iuda.* Si
hæc sola in culpa, cur omnes sub pęna? Non-
ne pœna est mensura delicti: pœnæquè te-
nent auctorem suum? Quia regia tribus cu-
piditate polluitur, vita & honore milites or-
bantur immerentes? Iustissime Deus perse-
quere nocuum, protege innocuum? Nec ali-
ter debet, nec aliter potest, vt sit Deus. Vt
magnatum tamen, & pauperum disparem
conditionem ostendat; vtque nobilium
culpas egenos sæpè doceat persoluere, ob
regiæ tribus peccatum, milites percuti, &
fugari permisit. Nihil durius habet pau-
pertas, quàm quod delicta soluit poten-
tium: Iudices aliquando, etsi oculis se inge-
rat veritas, auro corrupti, vel timore correpti
ad potentis arbitrium iura deflectunt. Ipsa
pauperies stat pro reatu, & scelera incremē- XXII. *Pauperitas pro reatu est.*
tat. Quasi non æquè inopi, & diuiti leges
prouiderint; in pauperem lex semper est
certa. Cum diuitem torquet, rubore suffu-
sa, obscura latet in tenebris; & nunquàm
scelus sine patrono. Ieiunij legem Adamus
violat. Conditus paruus mundus in magno
sed cui seruiret hic magnus. Reflauit Numi-
nis fauor, cum non obsequeretur afflanti. In
Draconem commutatus, horti custos, mor-
ti arborem inseruit, cui victrix suspenderet
spolia. Puerili more pomo allectus in Deum
vili cibi pretio totum vendidit genus hu-
manum; mortique dedit quod assequi ty-
rannus vna in vrbe non potest, vt toto in or-
be vna esset mortalium ceruix. Deus ipse
contremuit, cum tam breui difformatam
aspexit mundi compaginem, quam vt effor-
maret, dies septem insudarat Omnipotens.
Legis

Legis itaque transgressores Deus puniturus aduenieus, discussa causa sententiam pro-
XXIII. fert: *Maledicta terra in opere tuo*. Sed vnde terra vocatur, & pœnæ consortio particeps dedecoratur piaculi? Scelera committit Adamus, & terra maledicitur innocẽs? Homo leges violat, & patitur humus criminis alieni tormenta? *Terra maledicitur* (habet Alcuinus in catena) *quia homo de fructu terræ contra vetitum manducauit*. Præostendit æquissimus iudex iniqua hominum futura iudicia; cum Adam omnium dominus, & mundi princeps non maledicitur, sed terra quia elementorum humillima, animantium pedibus calcanda subiacet; quasi crimen humi fuerit, transgressoribus subministrasse materiam, vt spetie recti soluat abiectus, quod magnus perperrauit. Misera paupertas supplicijs semper obnoxia. diuitiæ, & opulentia extra aleam fortunæ quiescunt. *Pauperes* (aiebat Tertulianus *de fuga in persec.c.12.*) *animam in confiscato habent*. quia non pauperis sed potentis est anima pauperum. Sed vtinam confiscaretur confiscati scelere, non confiscantis crimine.

XXIV. *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris: Genes. 2.* Legem obserua non nudam, sed armatam proferri, vt vel timore obsequentes haberet primates. Verbum est hoc veritatis; mulier tamen incredula, putat dari posse rectum consilium ab angue spinis intorto, serpentem auscultat, dubia de veritate diuini proloquij. Inter suauissimos itaque auium posita cantus, maluit serpentis audire sibila, ei fidem habens, qui non modò duplici loqueretur lingua, sed trifida. *Nequaquam morte morieris* (exsibilat serpens) causamque subdit, *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum*. Sed vnde calidus serpens fidem mendacio conciliat, & dum Deus mortem minatur, *morte morieris*: Diabolus vitam, *non moriemini*; flexibus suis fœminam flectere potest, vt non Deo loquenti, sed dæmoni blasphæmanti consentiat. Euam deam fore permittit, & facta est rea; quæ quò leuior fuit credendo; eò fuit grauior nocendo. Credis forsam te non morituram, *quia eritis sicut dij*? Eua omnium doctissima decipi non poterat in eo, quod est lippis, & tonsoribus notum. *Vnum esset Deum*; & mulierem non posse consortem fieri diuinæ naturæ. *Non est intelligendum* (inquit Tostatus) *quòd crederet se potuisse fieri Deum, quia hoc sciebat esse impossibile*. Quid ergo credidit mulier, quo se à mortis pœna arbitraretur immunem? se scilicet *potentem futuram*. Hoc sibi à primordio humana persuasit ambitio, quòd nobilitas, potentia, diuitiæ legibus non subiacerent. *Eritis sicut dij. Potest intelligi quantum ad alias perfectiones, scilicet potentes.* Inani enim eam spiritu, & adulatorijs obsequijs implere studuerat, priusquàm sermone aggrederetur, & priùs adulatione deuicit, postea sermone decepit. Sic impudens, & imprudens pœnam subijt, quam non credidit; & magnatibus hanc legem reliquit, *legem temerari non* XXV. *Potentes puniẽdi*.
posse, quæ Deum habet Legislatorem. Veniet dies Domini, & amara valdè, qua *Potentes potenter tormenta patientur. Sap. 6.7.* Habent interim diuites, quibus sua delicta protegunt; pauperes luunt quæ non perpetrant. Hos vt supplicijs eximas, miraculo eoque ingenti opus est: nec minori si velis punire magnates. *Audiuimus* (exploratores alloquitur Rahab) *quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto*. Pharao miseros Hebræos velut de lapide campos cum nulla humanitate tractaret, primus Moysi labor, fuit fratrum libertatem rogare. Sed cum à tyranno frustra rogetur, cui sunt in oculis aures; dilecto populo aduocatum ipsum delegit in Principem Deus; vt mare virga feriens, viam aperiret in aquis. Ingressi sunt *filij Israel per medium sicci maris. Exod. 14.* XXVI. *Mare Pharaonem timet*.
Cum Moyses virgam intendens, timuit mare Rubrum, ne repetitis ab eo verberibus, vulneribus purpurascetet. Mirùm obduruit vnda, vt mitis esset Hebræo. Mari itaquè cedente incedentes Hebræos, vado persequitur Pharao. Sed in vndis demersus, memori elemento pœnas dedit, quas Moysi nascenti decreuerat. Sic suis artibus pereunt tyranni. *Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum*. Sed cur vndas referire, vt in alueum limphæ receptæ iterum lapsus prosequerentur antiquos? Fluctus virga veluti fræno cohibeat, vt naturam dedocti, vitreos erigantur in muros, sanè opus miraculo: non vt iterum elabatur, rebus facile

cile redeuntibus ad naturam suam. Cur ergo Deus eadem virga, & mare scindi; & iterum vrgeri iubet in cursum? Inspice, quis in maris currat profundo? Stat Pharao Rex Ægypti, cum eo currus, & equites, tota aula Ægyptiaca, *Reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites.* Si solum pedites, & inopes suffocaturæ essent vndæ, virga esset supetuacua. Verum vt mare Pharaonem operiat, & equites; mare non descendit, quàm vrgente flagello, & verberibus concitatum. Eodem miraculo gurgitibus sæpe liuntur equites, & liberantur captiui. Vtrobique accurrit Omnipotentia, & dum pauperes illæsos per medium maris vndis stupentibus ducit; & dum Ægyptios cadentibus aquarum voluminibus obruit. Mare natura labile, pondere fluxile, timore immobile arescit in lapidem; nec in Regem audet descendere, quàm supernæ vrgentibus calcaribus virgæ. Quasi se voluerit præmunire responso, non nisi verberibus pulsum vel exisse de centro, vel in alueum retrocessisse. Quis enim aduersus magnates

XXVII. temerariam audet manum extendere? Erigit statuam Nabuchodonosor, cuius caput ex auro, pectus & brachia argentea, fæmora & venter ærea, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis. *Dan. 2.* Stetit statua vsque dum *abscissus lapis de monte, percussit statuam in pedibus.* Grandem imaginor lapidem, qui statuam auro fulgidam, pondere grauem, ferro tumidam, comminuat. Paruus fuit lapis, respondet Daniel & statuam adeo grandem comminuit? quibus viribus, quali arte? ignoratur, quia manus abscondit, *abscissus est lapis de monte sine manibus.* Vel quia lapidem truncum describat Daniel, & mysticè adiungat *sine manibus.* Vel abscissionem lapidis factam annuat sine manibus, vbiquè latet mysterium. Finge inimicos, quorum debilior alter timens palàm simultatem gerere, clam hostem suscitat, querelas spargit, in vulgus mussitat. Porrò si hostis audiat, amicum fingit, tutelam offert: lapidem mittit, manum abscondit, est vetus adagium. Modò habes quid velit statua à lapide sine manibus comminuta. Statuæ *caput aureum* sunt viri diuites; *pectus argenteum* personæ nobiles; *femora ærea, tibiæ ferreæ*, duces bellici, milites strenui. *Lapis de monte*, Iustitiæ gladius, sed sine manibus, quia Cœlum ipsum cum in potentem lapidem projicit, manus abscondit. *Sine manibus abscissus lapis, percussit statuam: quia contra diuites, & potentes humanæ manus lapidem non iactarent.* S. Irenæus *lib. 4. c. 37.* Diuinis opus est manibus: sed & ipsæ dum in potentes iacula dirigunt, caput aureum non percutiunt, pectus argenteum prætereunt, ventrem formidant æneum, pedem declinantes in fictilem. Truncam absque capite pinxere primi Iustitiam, quia nequeat in potentes erigere caput.

Nabuchi statua figura potentium.

Susanna lectissima fœmina Sedechia regnante, cum in Babylone teneretur captiua, liberam tamen voluit pudicitiam; nec inter incestuosos senes castimonia conse- XXVIII.
nuit. Iudices, pudicæ fœminæ non potentes castitatem promissis subruere, honestatis famam nefarijs criminationibus auferre nituntur. Monstruosa libido, quæ in frigidis membris excitauit incendium. Stetit castitas ante tribunal incestum, & immerens iniqua sententia à falacibus damnabatur vt rea; & inter parentum lacrymas, & vulgi conuicia seminuda, & semianimis ad supplicium trahebatur innocua. Iam saxa parabantur, adulteris debita. Et aliquis elato iam lapide, lapidi similis hæsit; concionem morante puero duodene. *Cumque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel, & exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius.* De supplicij loco ad iudicij reditur tribunal, quia antea non iustitiæ sedes, sed æquitatis fuerat exilium. Vtrumque seorsim testem de criminis loco sciscitatus Daniel, vtrumque discrepantem inuenit. Et mendacio detectum mendacium. Mutantur populi voces: à Susanna ad senes desultant vincula. Illa ad thalamum ducitur, hi ad flammas: vt benè ardeant, qui malè arserant. Hæc omnia tamen *vltore Deo*, sine quo in victimam decretus erat innocens sanguis, *Damnabatur Susanna modestissima tanquàm impudica, vindex erat nemo. Quis enim aduersaretur principibus? Adducebatur iam in mortem, iam erat in manibus lictorum. Ecce adest auxiliator* (ita Cyrillus Hierosolymitanus cathech. 16.) *paraclitus spiritus, qui omnem naturam intelligibilem sanctificat. Age, inquit, Daniel puer, argue senes de peccatis iuuenilibus. Per decretum Danielis temperans*

Miraculo opus ad puniẽdos potentes.

illa

illa & innocens seruatur. Susanna nobilis, diues, sed senibus inferior præpotentibus pudica, & innocens ad flammam ducitur, impudiciria ignem subministrante senili. Nec liberatur pudica quàm mirè diuina reuelante sapientia non tam Susannæ innocentiam, quàm iustitiæ miseriam, quæ in potentes nil potest, ni Deus de Cœlo descendat. Pharao obduratur in Dominum, quia Mosaicis prodigijs non flectitur; Primogeniti naturæ ornamenta, fratrum Principes in profundo
XXIX. *Moyses nō audet percutere primogenitos*. noctis silentio interficiuntur à Domino. *Factum est in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*. Caietanus acutè notauit primogenitos non mortuos, non ab alio quouis, sed ipso Domino occisos: *Attribuitur Deo primogenitorum occisio*. Quasi in primogenitos, & præstantiores Moyses non audeat. Verberabat ille aquas, & vertebat in sanguinem, ranas abigebat pro libito, aut reuocabat; terræ puluerem percutiebat. Primogenitos verò, & summates Deus iugulat, quasi in illos virga Moysis potestatem non habeat. Si apud ipsos prouinciæ, leges, iura, iudicia, bella, paces, postremò diuina, humanaque omnia; quis in eos manum extendet? dabunt in fa-
XXX. bula pœnas vt Bellerophontes. Vel more Persarum, qui reorum vestes flagellabant, flagella luent caudis compacta vulpinis.
XXXI. *Reges punire salus Reipublicæ*. Audisti lector, quid Romæ fiat: prosequere vt habeas, quid faciendum. Aliter enim se gerit diuina, ac humana iustitia. Vtramque fallere ne præsumas. Indulget illa sed ad tempus, & humanæ quandoque se accomodat, ne cum pietate decertet. Alternis regnant subsellijs: amicè conspirant, & venienti Nemesi porrigit Clementia manus. Magnates, Nobiles, stat vobis pietas modò superna; expectate Iustitiam. Discite Iustitiam moniti, & non temnere Diuos. Reipublicæ firmamentum legum est obseruantia. Dumque sacra asseruantur decreta, pestilens exulat delictorum audacia. *Inimica bonis moribus* (aiebat Attalaricus 9. Var. 18.) *crimina persequemur, quo hostibus Reipublicæ diuina virtute resistimus: vtrumque quidem noxium, vtrumque pellendum: sed tantò grauius grassantur vitia, quanto probantur magis interna. Vtrumque recumbit in altero: facilius quippe inimicorum acies cadunt, si nostro auo delicta subducimus. Primum humano generi noxiam persuasionem, sub qua nec dici potest ciuilitas, nec haberi, feueritate legum, & nostra indignatione damnamus*. Itaque vt probos honore afficere generositatis est gloria ita & contumaces punire æquitatis est vita. Rogatus Socrates quænam munitissima ciuitas esset? *Optime haberi ciuitatem* (respondit) *quæ secundùm leges viueret, & iniustos puniret*. Stobæus *de Reg. c.43*. Seueritatis fasces, non est, qui improbet nisi in seipso. Gaudent omnes piacula reprimi, & custodiri decreta: ita tamen vt sibi liceat impunè delinquere, quod in alijs deprædicatur correctum. *Genus pietatis est* (Cassiodorus. 2. var. 14.) *in illos distringere, qui contra naturæ ordinem sceleratis se docentur actionibus miscuisse*. Vbi negligitur reatus, nullus legum poterit reperiri concentus. Impios pœnas euadere non permittit humanitas; aliter peccati contagio tota marcescit Respublica.
Pietatem non minus oblata monstrant munera templo, quàm inflicta pessimis testantur supplicia. Virtutes ipsæ, si iniquitas dominetur, timentur; & vbi impunè degit sæuitia, exulat penitùs innocentia. XXXII. *Species religionis punire reos*. *Quæ alia vita esset* (ait Seneca) *si leones, vrsique regnarent, si serpentibus in nos ac noxijssimo cuique animali daretur potestas?* Vt ara oblatis muneribus diues Deum homini reddit propitium; ita effusus peruersorum hominū sanguis Numen placat, & grandiora impetrat beneficia. Ex religionis officio Elias munus offert altari, & cælesti flamma absumptum Cœlo remittit: *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum. 3. Reg. 18*. Sacrificium illud ob fidei sinceritatem, ac religionis puritatem sic Deo placuit, vt esurierit totum, & lingua ignis rapida absumpsit. *Descendit ignis Domini*, & vorauit *holocaustum*. Idem legitur, cum aduersùs improbos milites iussit ignem de Cœlo descendere, *descendit ignis de Cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo*. Ineptè Elias sacrilego imperio flammas sacras prophanas? Cœlestem ignem, qui in ara holocausta accendit, & carnificem facis, eademque flamma, sacrificia combutis, & supplicia scelerum exigis? Reatus purgas, sed flammas polluis. Consumantur impij milites flammis sed à Cocyto euocatis, non cælitus missis. Aperiatur terra regia palentis Auerni, vbi vltrices posuere cubilia curæ; exurgant furiæ,

reos imperant flammis. Imò (Propheta reponit) eadem flamma de Cœlo descendat, vt munera exigat Olympo translata, & scelestorum crimina purget. Idem ignis oblata altari depascat munera, & improbis ferat supplicia. Conueniant tormentum, & holocaustum, vt ara & tribunal, quod altare vocauit Architas Tarentinus. *Qui prophetam* (Scribit Theodoretus) *accusant crudelitatis, aduersùs Deum linguam mouent: ipse enim immisit ignem: oportet enim scire ius diuinæ prouidentiæ, & quòd iustè punit peccatores, & beneficio afficit suos cultores.* Non minor fuit Elias improbos exurendo: quàm altaria holocaustis honorando. Adest de Cœlo flamma cum militum punit audaciam; tum si absumat aris impositas hostias; quarum opimior mactari creditur, si magnatum plectatur iniquitas. Salus Principis est, si prius armetur in vitia, postea arma apprehendat in hostes. Prima regentis laus non est reportata ab hostibus laurus; sed morum correctio. Leon Euchratides interrogatus, *qua in vrbe queat quis habitare securius? Vbi* (inquit) *vigebit iustitia. Plutar. in apoph.* Ciuitates non defendit superba murorum constructio, sed virtutis cultus, & pietatis affectus. Scipio dum signa cum hostibus collaturus aduentasset in castra, moresque militum corruptos vidisset, priùs aggressus est noxiam coercere licentiam, quàm pugnam accendere. *Postquàm* (refert Plutarchus) *in castris sub aduentum suum ingentem licentiam, lasciuiam, superstitionem, & luxum offendit, extemplo fatiloquos, ariolos, & lenones exegit.* Extremis calamitatibus fatigata Iudæa clamauit *ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem Othoniel: fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israel, egressusque est ad pugnam. Iud.* 3. Optima politices forma. Spiritu priùs suorum mores reformat, *Iudicauit Israel*, postea hostem robore inuicto profligat, *egressusque est ad pugnam.*

XXXIII. *Iustitia munimen Reipublicæ.*

XXXIV. *Prius in vitia pone in hostem arma sumenda.*

Dubiam tamen hic mentem reuoluo. Correctionis toties repetita vocabula videntur abhorrere Clementiam? quasi perniciosa soleat esse rectori indulgentia? Sed facile dubitationem expedio, dum adnoto, hic inquiri Iustitiam, quæ affinis, & cognata clementiæ, non rigorem pietatis hostem acerrimum. Iudice, dico, desidente, segniterque agente, duo maxima detrimenta contingi. Vnum quod ciues ex Principis indulgentia fiunt audaciores ad scelera. *Impunitas enim* (teste Tullio) *magna esse solet illecebra peccandi.* Vnde Gregor. Nazianzenus *orat.* 21. *Venia ipsi opus habent, vltra modum alijs ignoscentes; vt sic vitium non modò non reprimatur, sed etiam doceatur.* Alterum quòd ingens supplicijs aditus patefiat. Nam si Deus teste Augustino 5. *de Ciuit. Dei cap.* 9. *peccatis indignatus impleuit tantis calamitatibus mundum*, quid mirum si impleat vnum populum. Non minùs ergo subditis, quàm rectori lethalis est indulgentia; *Officiunt* (inquit Philo. Heb. *lib. de agricul.* postquàm egit de seueritate tyrannica) *non hæ solæ dominationes; verùm et nimis æquanimes principatus, præfecturæquè. Benignitas enim est res contemptibilis: vtrisque tum principibus, tum subditis noxia: illis, dum contempti, nec priuatim, nec publicè valent aliquid rectè constituere: interdum etiam principatu se abdicare coguntur: his verò dum ex continuo magistratuum contemptu, negligentiores facti, magnum morbum, arrogantiam sibi contrahunt.* Debita igitur Rectores armentur seueritate, ne subditorum mores in peccandi licentiam dissoluantur. Quòd si ad iustitiam non habent spiritum, ad dignitatem non habeant fastum. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua, Ecclesiast.* 7. Homicidas olim ad aliquam ex refugij ciuitatibus receptos non licebat ante mortem Pontificis ad patriam redite. *Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modò in vrbes suas reuerti poterunt. Num.* 35. arcanum Philo explanat Hebræus, *Quemadmodum* (inquit) *quisque occisus cognatos habet superstites vltionis auidos; ita vniuersæ gentis in commune cognatus, & propinquus est Pontifex, reddens omnibus iura; controuersiasque dirimens.* Et statim: *Hunc igitur timere debet, quisquis iniustus cædem patrauit, vt propugnatorem, & protectorem necatorum; continereque se intra sua receptacula, si modò cupit sine periculo viuere.* Non minus itaque Principes prompti esse debent ad vlciscendas subditorum iniurias, quàm cognati: nisi quòd hi aliquandò amore vindictæ rapiuntur, illi zelo excitantur iustitiæ. Ex Apostolis cum omnes

XXXV. *Iustitia, & clementia germana.*

XXXVI. *Lethalis quandoq. est indulgentia.*

XXXVII.

iube-

XXXVIII. *Petrus solus hamo piscari iubetur.* iuberentur retia laxare *Lucæ* 4. solùm Petrus hamum mittere iubetur *Matth.* 17. discrimen ex Petri principatu cognoscis. Apostolorum erat, homines ad Christum suauiter allicere; Vnde Ambrosius *lib. 4. in Lucæ 5. Benè Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant.* Ad Petrum verò Apostolorum Principem, & post Christum Dominum in Ecclesia futurum exemplar, hamo vti spectabat potissimum: *Quo genere* (inquit Ambrosius) *solum Petrum piscari Dominus iubet.* Fortassè quia Principis exigebat officium, vt non solùm reti peccatores incruento alliceret, sed etiam hamo pungeret, & cruentaret, aliàs suo muneri non adesset. Solus Petrus gladium eduxit in horto *Io. XVIII.* quia ad Ecclesiæ Principem pertineret non solùm verbo, sed etiam ferro peccandi coercere licentiam. Crassa olim legitur Hebræorum desidia, ne virum quidem gladium habentium, quo vterentur in bello. *Non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, excepto Saule, et Ionatha filio eius:* 1. *Reg.* 13. Hos duos excipit textus, qui cum Rempublicam administrarent, armis non poterant carere

XXXIX *Non est princeps, qui puniре non audet.* iustitiæ. Percutitur Heli Sacerdos summus, quia *quos hostili gladio* (ait Petrus Damianus *lib. 1. ep. 6.*) *ferire debuit, paternæ blanditiæ lenitate palpauit. Non sic ille fidelis in domo Domini famulus Moyses magister videlicet ingenui Phinees*, quum impios mactari mandauit; Et referens verba illa Moysis ad Leuitas de cæde redeuntes, *Consecrastis manus vestras hodiè Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio, Exod.* 32. Scribit, *Planè sicut benedictione digni sunt, qui culpas corrigunt: ita nihilominus maledictioni obnoxij sunt, qui peccatoribus blandiuntur*, iuxta id, *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine*, Ierem. 48. *A sanguine quippe gladium prohibet, qui se ab inferenda reprobis vltione digna coercet.* Præstantia iudicis non tam in vilium hominum, quàm in potentissimorum damnatione refulget. Phinees zelum Cronista recensens, diligenti penicillo occisorum inquirit natalia, vt ex reorum nobilitate zelus punientis refulgeat. *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri, filius Salai, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianites, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cosbi filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum.* Vbi Petrus Damian. *Ecce hic Phinees diuini spiritus zelo succensus, cum totus penè Israelitarum populus cum filiabus Moab fornicando corrueret, non in despectos quoscumque, vel infimos diuinæ legis propugnator insiluit: sed excellentiores, & clariores in populo, quos ad terrendum cæteros, trucidaret, elegit, testante scriptura, quæ dicit: Erat nomen viri, qui occisus est cum Madianitide, Zambri, filius Salai, dux de cognatione, & tribu Simeonis.* Præstantia iudicis ex rei magnitudine fulget, vt de maximo illo Iosepho, qui à Deo nutriebatur in iudicem, & totius Ægypti præsidem, scriptura notat: *Ioseph cum sexdecim annorum esset, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer, & erat cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui, accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Pueriles hæc non est accusatio, nec liuor, qui fratres odio agitaret amaro: sed zelus iustitiæ; quo non infimos, sed maiores natu, potentes viribus, diuitijs præclaros vocat in iudicium. *Hoc diligenti dignum est inspectione* (ait Rupertus *lib. 8. in Genes. c. 19.*) *quia grandiores fratres puer adhuc accusat. Quod vtiquè non fecisset, si non puritatis amorem, zelumque haberet iustitiæ.* Schola hæc erat iudicij, in qua se totius Ægypti futurum exercebat rectorem. Vicarium suum in puerili adhuc Deus experiebatur ætate; & fraterna accusatio in fastum magnati futuræ erat seueritatis præludium.

Patriæ pater est iudex, & crimina vindicans, XL. *Si non punias, te reum facis.* priùs est de Reipublicæ pace solicitus, postea priuatorum vindictam procurat. Hinc pater nec filiorum, nec patriæ pater est; sed vtrique hostis, qui filiorum crimina prætererit. In proprium caput supplicia conuertit, qui in consanguineis puniendis languescit. Moriturus Rex Ezechias Manassem hortabatur ad pietatem filium (vt refert Author *operis imperf. in Matth. hom.* 1.) sed cum ab Esaia Propheta, qui tunc aderat, audiret in irritum monitionem abituram, futurumque vt Manasses ipsum interficeret Isaiam, zelo commotus in filium pugionem extendit, vt interficeret: interfectus quidem, nisi ab ipso sisteretur propheta. *Melius mihi* (dicebat Rex) *sine filio mori, quàm talem relinquere, qui & Deum exasperet, & sanctos eius persequatur.* Vtile namque mori sine filijs, quàm

quàm relinquere filios impios *Eccles.* 15. Impios filios, impios subditos facit Regis, vel patris pietas. Maledicta pietas, quæ destruit iustitiam. Bouis Dominus, si admonitus bouem cornupetam non recluserit, & bos virum occiderit, lege occiditur imperante *Exod.* 21. & bruti damnum Dominus expiare compellitur, quia non recluserit, cornibus non trūcauerit. Non minùs iudex malorum fit reus, si effrænes abire permiserit, & ferocientes non compresserit. Captum Benadab Assiriorum Regem Achab Rex Israel cum debuisset occidere seruauit, leuauit in currum, sibi fœderauit in socium, sed quas ab hoste non exegit, iustissimas ipse pœnas persoluit. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua prò anima eius*. 3. *Reg.* 10. Clementia fuit illa non dementia, ait Lyranus, & Petrus Dam. *ep.* 6. *lib.* 1. *Achab Rex Jsrael, dum Regi Assyriorum Benadab mordinata pietate pepercit, diuini aduersum se furoris sententiā prouocauit*. Saul qui Regi pepercit Agag, & clementiorem se exhibuit, quàm oportebat, regnum amisit. *Abiecit te Dominus*, inquit Samuel, *ne sis Rex* 1. *Reg.* 15. Nec immeritò qui debita seueritate non vtitur, regia maiestate priuatur. Aptus non est regno seruando, qui disciplinam relaxat, & inoportunam iustitiæ præponit clementiam. Peccant duo Reges Dauid, & Saul: Sed ad Dauidem benignus propheta renuntiat, *Transtulit Dominus peccatum tuum*. 2. *Reg.* 12. Ad Saulem verò, *Abiecit te Dominus, ne sis Rex*: 1. *Reg.* 15. Peccarunt ambo, sed ambo signa pœnitentiæ dedere. Dauidi salutaris est pœnitentia; Sauli intempestiua, & inutilis: & cur? Dei mandata Saul in vulgus, & gregem exequitur: aduersus Reges gladium timet educere. *Apprehendit Agag Regem Amalec viuum, Omne autem vulgus interfecit in ore gladij*. 1. *Reg.* 15. Dauidi cum in parabola proposuisset Natham, cuiusdam pauperis ouem occisam à diuite, Rex morti adiudicauit potentem.

XLI. *Regis proprium punire potentes.*

Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc: 2. *Reg.* 12. Dauidi cum vires haud desint, vt potentes debita morte percutiat, perdurat in regno. Saul quòd reges, & magnates facit immunes, quā paruos percutiat & humiles, corona iudicatur indignus. *Superbiæ vile genus* (ait Euseb. Emissenus) *ac detestabile, contra humilem se erigere*; *In ser. exhor. contra diuersa vitia*. Quamuis in deserto Ioannes vitam ageret, non propterea glebarijs pœnitentiam annuntiabat sed Regibus. *Qui Regibus Ioannem* (ait Bernardus) *exhibeant, Ægyptijs Moysem, fornicantibus Phineem, Idololatris Eliam, auaris Heliseum, mentientibus Petrum, blasphemantibus Paulum, negotiatoribus Christum lib.* 4. *de Consider*. Hi regimini præponantur Ecclesiæ, qui seueri vltores iniuriæ, seruum libidinis Regem vel si non sperent corrigere, castigare non dubitent. Locustarum cum Regem pingit Ioannes *Apoc.* 9. *Et habebant locustæ super se Regem*, iocari videtur; nisi Regem falso proponat illudendum obsequio; veluti *cressem* Regem, qui centum Græcos centusse licetur. Non maiori æstimo pretio Regem, qui non leonibus, elephantibus, tauris, sed muribus imperat atque locustis. Corona indignus est animus, qui manum non extendit ad fortia, sed vilia comprimit: nec ex sua potestate sed ex aliena imbecillitate dimetitur imperium. *Extremæ miseria est* (ait Nazianz.) *non proprijs viribus, sed aliorum imbecillitate vti, atque confidere*. Aquila non captat muscas; nec murem Elephas capit. Excelsus animus pusilla negligit. *Aquila thripas aspiciens*, est de Magnis adagium, qui pusilla negligunt. Est thrips auicula quæpiam munitissima, quam Aquila quùm videat, vt est oculatissima, haud tamen dignatur persequi. Proprium Regum est cum pari certare. Angelus luctam init cum Iacob: Fit hominis antagonista Deus, ità tamen vt præualeret homo. Nam Magnus Alexander se libenter in Olympia descensurum fuisse dicebat, si sibi luctandum fuisset cum Regibus. Deus cum non posset vincere hominem, tetigit fœmoris neruum, vt Iacob claudicaret; Angelus verò clamaret: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*: *Genes.* 32. Si Angelus Iacobum prouocauit ad luctam, cur cessare prætendit? Claudicabat Iacob. Quandiù homo est integro corpore, & viribus pollet, luctatur Angelus. Cum ille claudicat, iste decertare erubescit. *Vile superbiæ genus* (ait Emissenus) *infirmum deprimere, & imbecillitate nutantem impellere*. Alienum à sua nobilitate Angelus ducit, cum eo inire certamen, qui vires iam habet prostratas. Regis si hæ sunt artes

XLII. *Rex non est, qui nō audet punire potentes.*

XLIII. *Regis proprium cum pari certare.*

Par-

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Supplicanti, opus est, parcas, non minanti. Sororem germanam iustitiæ agnosco clementiam; dummodò pietas incomposita non formidet in reos exercere sub districti iuris æquitate censuram. Non sit præposterus ordo, vt à clementia gradum facias ad iustitiam, sed à iustitia ad clementiam.

XLIV. S. Ludouici zelus pro iustitia.

S. Ludouicus Gallorum Rex quùm fortè ex psalterio Dauidico preces conciperet, & quidam prò reo capitalis criminis gratiam petens intercessisset, annuit Rex; mox cum incidisset in versiculum *Psalmi 106. Beati qui faciunt iustitiam omni tempore*, protinùs reuocato eo, cui gratiam fecerat, irritam iussit; memorabili ad Regem exemplo, *qui crimina punire possunt, nec puniunt eos alieni piaculi subire discrimina*. Itinerarium Philippi Regis Hispaniarum mihi hodie occurrit, in quo de Herhinbaldo acta transcripsi sequentia. Infirmus cum lecto discumberet, in proximo cubiculo clamores exaudiens fœmineos, quid esset interroganti nemo respondit. Quidam tandem ex pueris, veritatem explanare paucis assertus, respondit: *Domine, nepos tuus, quem omnes post te primum timent, & successorem sperant, puellam oppressit. Clamoris hæc causa.*

XLV. SS. Eucher. volat in os iusti.

Replenè cognita, senex qui agnari tanquam ignoti causam semper æqua lance tractauerat, nepotem carissimum suspendi mandauit. Promisit Seneschallus se impetrata facturum; sed ægressus nunciauit iuueni, ad tempus latere. Post horas regressus, factum simulans, infirmo paruisse mentitur. Quinto die iuuenis existimans auunculum de culpa immemorem, aperto ostio cameræ introspexit. Hunc vt videt infirmus, blandis verbis aduocans, ad lectum reclinare permisit. Mox iuuenis arrepta cæsarie, eiusque caput læua contorquens, & dextra cultellum gutturi eius validè insigens, occidit. Instante morte, mirabatur Sacerdos de homicidio senem non dolere verbo, nec opere. Sciscitanti æger respondet, nulla labe teneri. Mystæ neganti viaticum porrigere Sacrum, declarauit Christus gratiorem Deo victimam non mactari, quàm virum sceleftum. Fugiens náq; è Sacerdotis manibus hostia aduolauit in os decumbentis. Habeat charitatem zelus, sed adhibeat prò tempore modum clementia. Pietas nunquàm remissa, intermissa tamen plerumquè plus proficit. Nunquàm præceps iustitia, sed semper feruida:

XLVI. Iustitia Leonem premens.

Leoni insidentem Iustitiam pingit Solorzanus, Pierium Valerianum sequutus, qui inuentam suo tempore monetam picturæ eiusmodi tradit, siue quia iustitia, vt ait Augustinus *in serm.* ipsum, qui eam sequitur, imperterritum tanquàm leonem facit, vnde in Prouerbijs *c. 28. Iustus quasi Leo confidens, absque terrore erit.* Hinc Herculem, quem amatorem dixere iustitiæ, semper leonis exuuijs vestitum consingunt. Siue quòd Iustitia vires suas in omnes exerceat

Et iacet absque iuba leo. Frænaturq; superba
Archiferi ceruix, non meminitq; sui?
Nosco manũ iustã, quæ humiles pariterq; potẽtes
Frænat, & æquali pondere librat ouans.
Hic Rex, hic Princeps, vt ameris lumina fige,
Frenatur vulgus, si Leo fræna capit.

Ex eadem moneta Leonisque pictura symbolum aliud Caussinus deduxit, cum lemmate *Feroces iustitia domat.* Moyses cum *Deum Deorum* dixisset, *& Dominũ dominantium, Deum magnum & potentem, & terribilem, qui personam non accipiat, & munera*; *Deut. 10.* protinus subdit, *Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum, atque vestitum*, quia in hac virtute potentes cum humilibus exequandi, omnis iudicij etiam diuini vigor, & disciplina consistat, & ministerium impleat, cum leones constringit: *In camo, & fræno maxillas eorum constringe. Psal. 31.* Sunt fræ-

XLVII. Leges sũt fræna potentium.

num potentium, leges

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset
Cœptaque sunt purè tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisq; potentius æquũ est,
Et cum ciue pudet conseruisse manus.

Ouid. 3. *Fastor.*

Illo sæculo, quod aureum perhibetur, penès sapientes regnu m fuisse Possidonius iudicat. *Hi continebant manus, & infirmiores validioribus tuebantur.* Seneca *ep. 90.* Horum prudentia, ne quid deesset suis, prouidebat: Fortitudo arcebat pericula: Beneficentia augebat, ornabatque subiectos,

XLVIII. Ludouici Regis zelus pro iustitia.

Francorum Rex *Ludouicus XII.* cum Aurelianensem præfectum, quo familiariter vsus fuerat, sæpè ante regni adeptionem à delictis, de quibus fuerat accusatus, exemisset, postea Rex factus capite damnasset relapsum.

sum. Admiranti aulæ respondit, *Contendi priuatus pro amico; regnum adeptus, pro legum tutela contendam.* Iustitiam Hadrianus Iunius non ineptè significauit per sceptrum, cui Ciconia superstat, Hippopotami immanis fluuiatilisque Nili equi tergori infixum, sic docens, impios Hippopotami symbolo designatos sceptro coercendos iustitiæ, & potentium superbiam gladio vindice castigandam, non secus quàm à ciconijs solet serpentium genus occidi.

XLIX. *Iustitia debet esse in potentes.*

Hostis colubris ales insidet sceptro,
Substrata quod Niloi equi premit terga.
Domat superbos, impiosq; proculcat
Sceptrum æquitatis, noxiosque consumit.

Minuuntur quippe iura, quoties gliscit potestas; Tacitus 3. *An.* Et si prohibita impunè transcenderis, neque metus vltra, nec pudor est. Ægrotanti Reipublicæ vnum dixit Apuleius superesse collyrium, *Iustitiæ libram æqualem; lib. de Philos.* Octauianus Augustus *amicos ita magnos, & potentes in ciuitate esse voluit, vt tamen pari iure essent, quo cæteri, legibusque iudiciarijs æquè tenerentur.* Sueton. *c. 56. in Aug.* Hinc Licinius rectissimè monuit, *neminem vnum ciuem tantum eminere debere, vt legibus interrogari non possit: nihil tam æquandæ libertatis esse, quàm potentissimum quemquè dicere causam. lib. 38.* Potentem Romanum populum in sua conuersum victrici viscera dextra apud Lucanum legimus, tantique excidij causam?

L.

Iusquè datum sceleri canimus. Phar. *1.* Inualido legum auxilio (ait *Tacitus An. 1.*) quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Victo Pompeio, cum solus Cæsar superuixit in vrbe, de Roma dici potest, quod de Hierusalem Sampsone defuncto; *In diebus illis non erat Rex in Israel. Iud. 18.* quamuis Heli Sampsoni successerit, & Israelem quadraginta annis iudicauerit. 1. *Reg. 4.* Iudicum tamen Heli excluditur albo, quia nimia indulgentia corruptus, nullum sciebat inferre delinquenti supplicium. Pietas quæ reum perdidit, iudicem non seruauit. *Inter infelices dierum illorum historias* (ait Rupertus) *frequens est ista querela:* in diebus illis non erat Rex in Israel, *sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Quod nisi vecordiam sacerdotis accusat, & iudicis; huiusmodi hoc dicendo. Idem namquè est, ac si dicat, qui in diebus istis iudicabat Israel, & si secundum nomen, personamque aliquis erat, secundum rem meritumque nullus erat: quia in diebus eius calce abijcere legem Dei, nimia ferè omnibus licentia fuit.* Reorum impunitas, & peccandi licentiam iudicem perdunt, vt sit, & non sit. *Sceptrum habeat* (ait Baruch) *vt homo, sicut iudex regionis, qui in se peccantem non interficit; habent etiam in manu gladium, & securim: se autem de bello, & à latronibus non liberant. Vnde vobis notum sit, quia non sunt. c. 6.*



VVEN-

VVENCESLAVS PIGER
OCCIDENTIS IMPER. XXXVI.
LIBER TRIGESIMVS SEXTVS.
CAPVT PRIMVM.

1. Tyrannides est sepulchrum dealbatum.
1. VVenceslai Cæsaris vitia. 3. hieroglyphicum. 4. monstrum Cæsarum. 4. perimit matrem nascendo. 5. Conspurcat cœno baptismum. 7. vitia. 8. sacerdotem demergit flumine nolentem aperire confessionem Imperatricis. 9. sodomita: templa spoliat: magus, 11. fœdus init cum paganis. 12. vinculis datur. 13. semper peior. 14. à fratre vinculis datur. 15. fugit. 16. paucis vini dolijs vendit arces imperij. 17. imperium emerat ab Electoribus. 18. deponitur, nec dolet. 19. ebrius moritur.
2. Sapientia perdita, perditur pax, & abundantia.
5. Copronymus Orientis Imperator cœno baptismum fœdat.
6. Imperiũ declaratur hæreditariũ à Carol. IV.

I SEpulchrum dealbatum tyrannorum est status. In hoc sedet *VVenceslaus* crudelis, ignauus iniustus, Imperij decoctor, Magus, hæreticus. Vitiorum stipatus satellitio, gladium videt imminentem (ita enim vltio diuina filo appensa, solet vrgere tyrannos) nec timet. Sapientiam (cuius symbolum Mercurius est) dum exulare iubet ab aula, pacem eliminat, & abundantiam, quæ cum amicè coeant, & vnà viuant, nec separentur, Palladem insequuntur errantem.

II. *ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.*

HEu mihi, quæ rerũ facies! regale sepulchra
Effingunt soliũ? Mucro quid ille notat?
Forte ne quæ stipat latus ignorantia, rebus
Iuncta simul dubijs, consulit improbitas?
Heu procul vbertas, procul hinc caduc fer, esto
Pax procul, hic, solium dira Tyrannis habet.
Franc. Franzinus. S.Th.D.

ALIA

DEsine regales Cæsar pertingere fasces
Sãguine, et innocuos sternere cæde viros:
Debita nũc meritis data præmia carpe Tyrane,
Atq. timens vitæ tempora semper age.
En ceruice super pendent minitantia ferra,
Et tibi non solium, dura sepulcra patent.
Te vt monstrũ fugiũt Pallas, septemq. sorores,
Mercurius pariter fœdera pacis odit. (tis;
Quid tibi nũc certũ remanet? nisi fulmina Mor
O digna immani Principe supplicia.
I.B.P.

ALIA

(Princeps;
HInc procul, ò Mõstrũ; sis quãquã Nomine,
Tigrib. ac Vrsis, Tu Fera peior, Homo es.
Est Scelus Imperiũ? fugiũt Pax, Copia, et Hermes;
Quos remorari audax Vis violenta nequit.
Virtus in medio; vitiosa Extrema fuere:
Tu Medius Vitijs. Moribus Illo foues.
Aures nẽpe Midæ suis cur Tua Tẽpora cingũt?
Ingenio stolido stulta Corona datur.
Numinis Æterni, cum sint Oracula, Reges;
Quæ Responsa, Mida Iudice, Recta dabis?
Deserat Imperiũ, aut studeat Rex pangere Mo-
Tantus Honos, aliter Regib. esset Onus (res:
Vrna patet; Filoque ligat Dionysius Ensem:
A Tumulo Imperiũ vix pede prorsus abest.

M. Ant. Moles Neap. S.Th.D.





VVENCESLAVS PIGER
OCCIDENTIS IMPERATOR XXXVI.

Sal. An. 1361. SI Margitem, vel Thersitem, hanc statuam credis viator?
Falleris: est *VVenceslaus*, vtroque peior.
Non Cæsar, sed monstrum Cæsarum,
Fit patriæ pater, parricida matris. — IV. *VVenceslai Mater obit in puerperio.*
Nerone crudelior
Necem, quam imperare non ausit,
Manu sua nascendo confecit.
Felici hoc sibi plaudens exordio,
Quod nondum natus nocere potuerit.
Cœlum cœno rependens
Lustralem fœdauit vndam. — V. *Baptismum cœno conspurcat. Duo fuere Cæsares qui baptismum fœdarunt. Copronimus in Oriente. VVenceslaus in Occidente.*
Voluissent Fata flumina omnia flamma sorbere, nec potuerunt;
Vt vel in igne naufragium, vel in aqua nancisceretur incendium.
Deerat Occidenti *Copronymus*; *VVenceslaus* dedit.
Adolescentiam ne quæras,
In gynecæo ambubaiarum perdidit.
Tyranni Iuribus, vel viribus — VI. *Carolus IV. VVenceslai pater legem, edidit, qua imperium esset hæreditarium.*
Imperio à patre, non à patria recepto,
Erynnes in throno locauit
Furorem, *Venerem*, *Bacchum*;
Ne minores Aquilam,
Quàm Cocytum affligerent Furiæ. — VII. *Vitia.*
Coniugem impudicus quòd crederet impudicam,
Exomologesis à sacerdote arcana quæsiuit. — VIII. *Flumine demergit sacerdotem nolentem reuelare confessionem Imperatricis.*
Et quia piscem mutum offendit, aquis tradidit.
Tanto sub iugo coniunx expauit, expirauit;
Stupente natura
Immanem bestiam fœminis omnibus vnum sufficere, non vni omnes:
Vnde & masculis nuberet.
Luxuriem feritas sequitur,
Lasciue simul & sacrilegè — IX. *Templa spoliat.*
Spoliauit Deum, vt scorta vestiret,
Quin per magicas artes aurum scrutatus,
Apud Plutonem quæsiuit Plutum, nec inuenit. — X. *Hominum laniena delectatur.*
1392. Venas agressus hominum, non terræ
Leonis more cum gustasset, voluit bibere.
Per iocum seria dictando funera,
Crudelitati impietatem addidit. — XI. *Fœdus init cum paganis: Magus.*
Timens superos, dæmonas euocauit,
Cum quibus, sequestre pagano pacem inijt. — XII. *Vinculis datur.*
Suis tandem inuisus exutus lauro, laqueo datur.
Accurrit dæmon, à quo restitutus in thronum — XIII. *Semper peior.*
Peiorem crudelitatem dimisit, maiorem assumpsit:
Nec resipuit, sed desipuit.
Pietas patriæ fratrem in carnificem excitauit, — XIV.
Qui eum mancipauit catenis.
Sed Lubricus anguis euasit iterum; — XV.
Vt Idolis suis reliquias litaret imperij.

Ebrius, antequàm biberet
Non habens vnde epulas condiret, humano condiuit ſanguine;
Vnam eligens legem, quæ nullam legem ſeruaret.
XVI. Vinum cum deeſſet, emit, ſed lacrymis populorum.
Et ſine dolo, paucis vini dolijs
Rhenanas vendidit arces,
Iure forſam,
XVII. *Imperium emerat ab Electoribus.* *Emerat ille prius, vendere iure poteſt.*
Aquilam ipſam expoſuit, ſed emptorem non habuit;
XVIII. *Deponitur.* Quæ ſui vindex exauthorauit tyrannum,
Adeò ſocordem, vt ſibi ipſi non doleret.
Iacturam Aquilæ vt gallinæ ſuſtinuit:
XIX. *Ebrius moritur.* In hoc conſtans, ne mors diſſonaret à vita,
Inter pocula ebriam Erebo euomuit animam.
Perpende viator,
Quàm ſint affinia, merum, & mœror.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM.

1. VVenceslai Cæſaris ortus. 2. monſtrum dictus. baptiſmum fœdat. 3. vxores. 4. vitia, crudelis. 6. inuitatus in Germaniam ſtolidè renuie libidine infamis tentat extorquere ſacræ confeſſionis arcana. 7. à Petrarcha exſibillatur. 9. à Bauaris bello petitus. 15. inie fœdus cum ciuitatibus in Principes. 16. ciuitates deſerit, ſuadente Friderico Bauaro. 22. & 31. imperio abdicatur. Genuam vendit. 23. ducatum Mediol. vendit. 24. decoctor imperij. 25. tyrannus. 26. cum paganis fœdus init. 27. voluptuoſus, Magus. 28. VVicleſo fauet. 29. Pragæ carceri datur. 30. à Sigiſmundo fratre iterum cuſtoditur. 34. priuatione imperij non mouetur. 35. vnum laudabile legitur. 36. obitus. 37. inſcriptio ſepulchralis. 38. ſymbolum. 39. moneta.

1. *Anna VVenceslai Cæſaris mater in puerperio moritur.*

2. *Sophia vxor VVenceslai Cæſaris. 19.*

3. *Iohanna vxor VVenceslai Cæſaris.*

10. *Caroli V. Regis Francorum effigies, ſymbolum.*

10. *Carolus VI. Rex Francorum ducit Eliſabetham Bauaram. effigies, ſymbolum.*

11. *Galeacius Bernabouem capit, vinculis tradit. 12. Antonium Scaligerum, & Franciſcum Carrarium ditionibus ſpoliat, ſpetie auxilij.*

11. *Bernabouis mors, captiuitas.*

12. *Franciſcus Carrarius confugit ad Stephanum Ducem Bauariæ.*

13. *Seephanus Dux Bauariæ in Galeacium deſcendit à Monacenſibus bello petitus.*

14. *Pelegrinus Archiep. Saltzburg. captiuus Friderici Bauari.*

15. *Ciuitatum fœdus in Principes. 17. pax.*

16. *Ruperti Palatini victoria in fœderatas ciuitates. 32. Cæſar eligitur.*

16. *Fridericus Bauarus pacem conciliat inter Cæſarem, & ciuitates, et Principes. 19. mors.*

19. *Henricus filius Friderici Bauari.*

20. *Joh. Dux Bauariæ. 21. mors.*

21. *Seephani Ludouicus filius in Iohannem Ducem Bauariæ mouet.*

VVENCESLAI ORTVS.

I. EX *Carolo IV.* Imperatore, & *Anna* filia Ducis Suidnicenſis (quæ in puerperio obijt) naſcitur *VVenceslaus* A C. 1361. die 28. Septemb. Norimbergæ, qua cum plurimum delectaretur *Carolus*, ex longis ſeditionibus, quibus penè perdita erat, eam in tranquillum ſtatum reſtituit, & monimentis reformauit.

Monſtrum hominum dictus eſt VVenceſlaus, *Sardanapalus, Margites, Therſites, aſinus ad lyram, porcus ſpurcus,* quia cum baptizaretur, aquam baptiſmi, & cum bimus iam II. *Omen infauſtũ in VVenceſlai baptiſmo.*

cinge-

cingeretur diademate regio, aram cæno suo conspurcauit. Alterum omen etiam (domus scilicet pastoralis, quæ ad D.Sebaldum incendio perijt, dum aqua adhibenda in *VVenceslai* baptismo, calefieret) Augures ita sunt interpretati, futurum eum stolidum, ignauum, voluptuosum, sordidum, luxuriosum, Imperio dedecori, & exitio. Duo Imperatores leguntur stercore fœdasse baptismum. Vnus in Oriente *Constantinus Copronymus*, alter in Occidente *VVenceslaus*.

V X O R E S.

III. Duas hauit: *Johannam* filiam *Alberti* Ducis Bauariæ, Comitis Hollandiæ; hæc sexto anno post nuptias obijt, dolore consumpta ob mariti perditos, ac flagitiosos mores. II. *Sophiam Joannis* Ducis Bauariæ inferioris filiam; quæ forma egregia, & singulari prudentia prædita, improlis obijt A.C. 1328. in Hungaria, ibidemque in D.Martini templo sepulta.

IMPERII ADMINISTRATIO. An. 1378.

IV. *VVencesl. vitia.* MOrtuo *Carolo*, gubernacula Imperij neglexit verius, quàm rexit *VVenceslaus*. Ignauus, Voluptuosus, crudelis, temerarius, timidus, præstigiator tyrannidem exercuit non regnum. Inuisus omnibus, quasi sibi, inter Herciniæ latebras delitescebat, pauidus in Germaniam prodire. *Dubrau.* & *Auentin.* Familiaris illi stipator ferox molossus, doctus dentibus lacerare, quem herus digito monstraret. Adhærebat ei continuò carnifex, quem lustricum compatrem nominabat, quia eius filium de sacro fonte leuasset. Nemo erat, qui vitia corrige-
V. ret, cum omnes notarent. Sublato è viuis *Joanne* Archiep. Pragensi, cui vni olim aures
an. 1383 accomodabat, neminem deinde passus est monitorem. A Principibus honestissima legatione inuitatus, Germaniam inuisere, vt
VI. *Inuitatus in Germaniam stolidè renuit.* negotia ordinaret imperij, stolidè respondit: *nil sibi amplius in Germania esse, quod ageret: iam omnia die coronationis ordinasse, quæ necessaria forent toto tempore vitæ suæ ad regendum imperium. Si qui Principes aut ciues eius opera indigerent, venirent ipsi ad Regem, nec ei eundi molestiam imponerent.* Tantam ignauiam cum omnes Principes auersarentur: *Albertum* ipsum Bauariæ Ducem, cuius filiam in vxorem *VVenceslaus* duxerat, pœnitebat affinitatis. Dies, noctesque in lupanari marcescendo: thoros alienos fœdando,
Aeneas Syluius. histor. Boh. cap. 28. præsertim *Sophiæ* cuiusdam molitricis: ambubaiarum consuetudine thorum violando genialem: assiduus in publicis postribulis agendo, patiendo ad publicam vsque infamiam, inferos prouocabat & superos. Amicè à *Johanna* vxore monitus, in publicum relegasset lupanar, ni affines prouocare timuisset. Ausus de eius moribus quæstionem habere sacrilegam, à *Joanne* Sacerdote qui Reginæ à sacris confessionibus erat, tentauit arcana extorquere Sacramenti. Sacerdos Regem detestatus impium, negauit tam sibi fas esse quicquam per sacram exomologesim prodere, quàm Regi inquirere. Respondentis libertate Cæsar offensus, mox illum de ponte Pragensi iussit dari præcipitem. Is ille, qui in S.Viti æde tumulatus, cum sancta veneratione colitur vsque in hodiernum diem. *VVenceslao* itaque Impe-
rium distrahente, cæpit hoc velut nauis absque rectore, turbis agitari. VII. Curam paterni regni, atque Imperij, tanquàm ad se non pertineret, cum ita negligeret, vt latrocinijs infesta redderentur itinera, & grassaroribus impleretur Bohemia; passim verò in ciuitatibus seditiones exorirentur, insurgente aduersus Magistratum insana plebe; *Franciscus Petrarcha* ridicule in hunc modum de eo scribit. *VVenceslaus* (inquit) *Caroli filius, viuente patre electus est Imperator, & adhuc regnat. Hic iuuenis robustus venator, quid acturus sit ignoro; tamen minatur se venturum ad Italiam. Sed non venias, precamur te, si non vincis laude patrem tuum; quanquam aliud de te speramus. Nam præsentia primi Cæsaris Iulij vix sufficeret ad compescenda mala, quibus misera lacessitur Italia temporibus tuis. Sic imperium Orbis Cœlum versat, vt illud, quondam potens ac venerandum gentibus, & Regibus Romanum Imperium, præfiguratum in tibijs ferreis, cui nihil olim defuit, nisi modicum Orientis, nunc (proh dolor) nil possidet, nisi modicum Occidentis.* Cœlum ip-
sum visum mortalibus iratum, imminentia mala portendere, cum per id tempus insuetis nubium spectris, & infausto sydere exarsit. VIII. *Portenta.* Crinitus apparuit Cometes, terroris plenus, qui in se spectantium animos conuertit, non tamen à peccandi pristina libidine auertit. Noctes plerumque velut accenso

an.1378 censo aere collucentes, iræ diuinæ flammas præsagiebant. Ecclesia sub iugo Antipapæ *Clementis VII*, gemebat. Sueuia oneribus, & tributis præter solitum onerata ab *Eberardo* Comite VVirtembergensi, Imperiali Vicario, quem *Carolus IV*. præfecerat, turbas agebat, vt iugum excuteret. Hinc natum ciuitatum sociale fœdus ad communem tutelam. Iuuabant *Eberhardum* nobiles ære alieno grauati, qui decoctis auitis opibus, lætabantur occasionem sibi offerri, ferro si non auro debita diluendi. Ex aduerso Vrbes opibus, & libertatis accessione tumidæ, Heluetiorum exemplo, Principes contemnebāt, in commune belli parantes subsidia, libertatis spetie Dominos deturbabant. Principum factio dicebatur *Leonina*, siue ad terrorem, siue ad significandā potentiā sui dominatus.

Ciuitatū fœdus.

BELLVM BAVARICVM IN VVENCESLAVM. An. 1384.

IX. *Bauarii in VVenceslaum.*

HOc tempore Boij Principes aduersus *VVenceslaum* Cæsarem arma tulerunt. Fuere *Stephanus, Fridericus, & Ioannes, Rupertus*, quem *Clemonem* aut *Clementem* vulgus appellat, sociati. Belli non vna causa. Contempti stolido *VVenceslai* responso Principes, quùm splendida legatione ad reuisendum imperium excitarunt, animos ijs fecerant, qui priuata iniuria à *Carolo* patre, aut *VVenceslao* filio fuerant affecti. Primum locum, qui grauabantur, tenebant Boij ob ereptam à *Carolo* Marchiam Brandeburgensem: & *Rupertus* Adolfi Palatini Septemuiri filius, diù à *Carolo* in carcere detentus, tandem spetioso titulo dotis, plurimis spoliatus ditionibus; quæ, mortua *Anna* Ruperti Palatini filia absque liberis, Palatinis cum deberentur, restitutæ non fuerant. Iniuriam dissimulauere Boij adhæc vsquè tempora: neque enim erat, cur æqua à *Carolo* sperarent: vel à *VVenceslao* repeterent, priusquàm vitijs, & tyrannide contemptus decederet. Comparato itaq; iusto exercitu, in Bohemiam irrumpunt, cædibus, populatione latè grassantes, terrorem Pragensibus incutiunt. *VVenceslaus* velut è veterno experrectus, satis habuit armare *Sulconem* Chotessouiensem Præpositum, collecto milite subitario septem millium. *Sbinco* Pragensis Archiep. *Ioannis* successor, communi periculo territus, tria adiecit alariorū millia. Boij contenti vindicasse sua, & pristinis vrbes restituisse Dominis, præda onusti, domū rediere. *VVenceslao* nō vltra progrediēte.

Auent. lib. 7. Dubrau. lib. 27. hist. Bohem.

NVPTIAE GALLORVM REGIS CVM ELISABETHA BAVARA. An. 1385.

X. EX Thadæa Barnabouis Mediolanensis filia, *Elisabetham* lectissimam principem susceperat Stephanus Dux Bauariæ. Hanc in sponsam petijt *Carolus VI.* Gallorum Rex, cui









an.1385 cui *Carolus V.* cognomento *Sapiens*, eius pater in extremo vitæ periodo coniugem ex Germania petere, iusserat. Cum de dote, constituenda ageretur, *Carolus* abundè dotatam asseruit, in qua Cœlum tot animi, corporisque præclaras dotes congesserat. Nuptiæ celebrantur Ambiani, quando *Carolus* Annum agens XVII. cum octoginta armatorum millibus in Flandriam aduersus Anglos descendit.

BERNAVOVIS EXITVS.

XI. Tenuerat cum *Bernaboue* patruo suo *Galeacius* Mediolanensem toparchiam tolerabili concordia. Disturbauit consensum suspicio, vel ambitio. Cum *Bernabouis* filij (cui plurimi erant legitimi, & naturales) inter quos vrbes ac oppida æquo iure distribuerat, quæ tamen non satis essent ad explendam imperij libidinem. Vnusquisque propterea eorum impatiens nimis angustæ ditionis, Ioanni Galeacio patrueli potentiori inuidens, criminosè loquebantur. Quiritantes superba fouebat mater, quæ paulò post vita functa, mali consilij Bernabouem coniugem reliquit hæredem. Porrò scelus iam *Galeacio*, innotuerat; qui callido ingenio explorata dissimulans, aduersùs insidias se domi, forisque præmunit. Fallentes vt falleret, speciem religionis concepit, & templa suburbana sæpè inuisens, pauentis animi potiùs quàm regnantis signa dabat, vt eam sacerdotio, quàm imperio aptior diceretur. Communicato itaque cum paucis consilio, vulgat Galeacius se Beatæ Virginis templum, quod est in monte supra *Varesium* oppidum, soluendi voti causa profecturum. *Barnabos* verò honoris causa venienti occurrit, sed improuisò perturbatus aduentu, rem malam non male ominabatur. Vercellensi porta prodeuntem, dato signo, armati æquites Galeacij comprehendunt; & in proximam portæ, Iouis arcem, cum *Marco* & *Rudolfo* filijs deducunt. Inde vrbem ingressi, domos Bernabouis, ad excitandam plebem, opportuno astu, multitudini diripiendas permittit. Vnus non est repertus, qui opem ferret captiuo, cum amici pariter, & hostes, inter gazas grassarentur. Arx ipsa Mediolanensis attonita, paucas post horas manus dedit. Ex ea septem plaustra argento elaborato, & pretiosa onusta suppellectile, signati auri septingenta millia educta fuisse perhibentur. *Bernabos* carcere inclusus, septimo post captiuitatem mense, veneno faseolis superfuso necatur. *Ioannes Galeacius*, vt facinori colorem induceret, quæstionem de Bernaboue haberi voluit, & multorum flagitiorum reum ex consilij sententia damnauit, cum ipse *Bernabos* omnia confessus, reum mortis se pronuntiaret. Ita Sera, Seria tamen vindicta Dei noxium venit in caput. Pœnitentem decessisse sunt, qui scribant susceptis Ecclesiæ Sacramentis. *Iouius* eum inter amasiæ, quam in vltima etiam linea deperibat, vlnis memorat expirasse. Tanta fortuna non contentus *Galeacius*, ad Regis Italiæ titulum aspirabat.

XII. *Scaligeri & Carrarienses expoliãtur à Galeacio.*

Altercante *Antonio Scaligero* aduersus *Franciscum Carrarium*, vt spoliaret vtrumque, alterius partes subsidio firmauit. Fortuna amisit, & inter duos litigantes tertius gaudens, Veronam, Vicentiam, Patauium in suam redegit potestatem. *Carrarius* in carcere obijt. Eius filius *Franciscus* ad *Stephanum* confugit Bauariæ Ducem, *Galeacio* infestum ob *Bernabouis* soceri attrocem interitum.

Stephanus Dux Bauariæ in Galeacium descendit.

Fœdere itaque cum Florentinis percusso, qui soli inter Italos obstabant *Galeacio*, octingentis equitibus fretis, in Italiam descendit; vt *Carrarij* fortunam excitaret.

XIII. Porrò dum *Stephanus* alienæ nititur calamitati succurrere, Domi à Monacensibus petitus, regreditur.

an.1387 Intimum Principis aulicum (communi creditur aliarum ciuitatum vitio) de medio tulerant, nulla iuris & humanitatis reuerentia. Ad vindictam properantes Principes pænitentia placauit peccantium; & sequentibus delicti facta remissio. *Ut vectigal solitum inferri in commune ærarium, ciuitas Principibus caderet. Principes nouum castrum construerent, quo vellent loco, portamque suis vsibus prò arbitrio aperiendam molirentur. Multæ nomine sena aureorum millia Ducibus, bina millia aulicis ciues numerarent*, quæ morigeri ciues præstitere obsequentes. Renouantur interim fœdera belli Incendiarij inter ciuitates aduersus Principes. In hos *Pelegrinus* Archiep. Salstzburg. ad coniuratas vrbes desciuerat. Eius reconciliatio multum videbatur habitura emolumentum, si coniurati

rati

An. 1387

rati vel ab eo deserti, minus possent; vel eo authore ad concordiam redirent. Ad pacificum inuitatus colloquium, venit *Pilegrinus*, vbi an violata fide datus fuerit in custodiam; vel à *Friderico Bauaro*, iure belli captus fuerit dubium. Breuis fuit captiuitas, nam hoc anno pristina cum ciuitatibus renouauit pacta. Vt & Principes in nouam coiere societatem, in quatuor classes diuisam. In prima continebantur omnes regni Bohemiæ Principes, Comites, Nobiles, & ordines vniuersi; Marchio Brandeburgicus, Dux Saxoniæ, alijque maritimæ oræ viciniores. In altera Archiep. Mogunt. & Coloniensis, *Ruperti* Comites Palatini Senior, ac iunior, Hassiæ Comes Prouincialis, Badensis Marchio. In tertia *Albertus* Dux Austriæ, *Stephanus*, *Fridericus*, & *Ioannes* Bauariæ Duces, Episcopus Argentinensis, Augustanus, & Ratisbonensis, *Eberardus* Comes VVirtenbergiæ, *Ludouicus*, & *Fridericus* Comites Oetingani. In quarta, Bambergensis & Herbipolensis Episcopi, *Balthasar*, & *VVilhelmus* Marchiones Misniæ, Turingiæ Landgrauius, Dux *Rupertus* Iunior, & *Fridericus* Norimbergæ Burggrauius. Ex aduerso septuaginta ciuitates in quatuor ordines distributæ in societatem adsciuerunt *VVenceslaum* Imperatorem, &

Fœdus Principũ in Ciuitates.

XV. *VVencesflai fœdus cum ciuitatibus.*

Pilegrinum. Facilius concesserat Imperator, quia crederet, se aduersus Imperij Principes eius exauctorationem molientes, tot Vrbium armis fore tutiorem. Sic inter turbas, & ciuium funera, vita & salutem Princeps quærebat miserrimus. Hinc tantis malis est affecta Germania, vt vrbem in vrbe quæreres, nam latrocinia, rapinæ, incendia, grassabantur impunè. Vrbes Cæsareo tumidæ nomine in Palatinas, & Bauaras ditiones irrupere primum. Minimè tamen *Rupertus* irruptione territus inopinata, quanta licuit celeritate, coactis Prouincialium delectibus, hoste obuiam factus haud procul à Spira, ducentos cecidit, tercentos cæpit,

XVI. *Ruperti Palatini victoria.*

cæteros in fugam egit. Inter captiuos fuere sexaginta grassatores, qui agrum Palatinum, concrematis colonorum domibus, attrociter vexarant. Hos *Rupertus* præcipitari iussit in fornacem calcariam, dicens: *Vos per tenebras & obscura nebularum, meorum subditorum tectis subiecistis ignem, ego clara luce vos in fumum, fauillasque redigam.* Ad Rhenum interim dum Principes secundo Marte præliantur; Vrbes superioris Germaniæ Boicam, Franconiam, & VVirtenbergiam ferro premebant & incendijs tanta ferocia, vt vix vllus colonorum superesset in agris. In VVirtembergia mille ducentos pagos igne absumptos scribit *Crusius Annal. Chron. Alsat. l. 8.* mutuisque cladibus attritos Principes, fessas vrbes; Non humana, non diuina quæ sacrilegam militum manum effugerent. In Boicam extremam ciuitates cladem parabant: Cæsarem expectabant, qui fœderatis iungeret copias. Periculum longè *Fridericus* prospiciens, consilio duxit potiùs quàm armis auertere. Propterea impetrata Cæsarem conueniendi facultate, ea dexteritate apud iratum, Principum egit causam, vt *VVenceslaus* fœdere violato, non solum auxilia ciuitatibus denegaret, sed cum Principibus in eas mouere minaretur, ni ad pacem inclinarent. Hæ autem bello fessæ diuturno, Cæsarisque auxilio destitutæ, pacem sequentibus acceperunt; quæ in Comitijs Ægræ An. 1389. firmata sunt. *Ciuitatum fœdera pristina, pactaque belli socialis, nunc & deinceps sublata sunt: Cæsaris ac Principum societas pariter expirato. Quæ ciuitates amica pactione, aut iudicum arbitrio pacem cum aduersarijs fecerint, ea fruuntor; quæ secus fecerint, prò publicis hostibus habentor. Idem circa Principes seruator.* Firmata cum ciuitatibus pace; inter se Principes renouarunt dissidia. Cæsare ad omnia intento, præter publicam salutem. Boiorum Principes, qui communi nomine, paternas rexerant ditiones, de familia ercilscenda conuenere. Vnde & fraternæ charitatis erupit diuisio. *Fridericus* viuere desijt Landhisutæ non sine suspicione veneni Pragæ propinati An. 1393. *Sophiam* neptem *Ioannis* fratris filiam, Pragam duxerat in vxorem dandam *VVenceslao* Cæsari; cuius vxor *Ioanna* filia *Alberti Boio* Hollandi in fatis concesserat, maritalis iugo oppressa tyrannidis. Filium *Fridericus* *Henricum* reliquit ex *Magdalena* filia *Bernabonis* sub fratrum tutela superstitum; non tamen sine simultatibus. Iohannes An. 1394. cum Austriacis inito fœdere, & cum *Galeacio* Mediol. cuius neptem *Elisabetham* vxorem dederat *Ernesto* filio suo, fratrem *Stephanum* veluti contemptum, & in numero hostium declaratum,

An. 1387.

VVenceslaus ciuitates deserit.

XVII. *Pax ciuitatum cũ Principibus.*

XVIII. *Boiorum fratrũ diuisio.*

XIX. An. 1393. *Mors Friderici.*

XX.

an. 1394 tum, ab eoque exclusum fœdere ad vindictam prouocauit. Erat Stephano filius *Ludouicus* acris ingenij Princeps, ac Gallica affinitate tumidus Annæ Borboniæ; is cum *Bertholdum* Frisingensem Episcopum authorem Austrij fœderis accepisset, corruptum *Veinmannum* Frisingæ prætorem, eò traxit perfidiæ, vt ciuitatem, Episcopum proderet; quod impediri minimè poterat, ni *Ioannes* ab Episcopo certior factus, ad fuisset in tempore. Hinc aperto Marte sæuitum, mutuo & graui incomodo, donec, ne viribus vterque obrueretur externis, coacti sunt ad pristinam redire concordiam An. 1396. Sequenti moritur *Ioannes*, duobus filijs *Ernesto*, atque *VVilhelmo* relictis, quibus originem suam debet hodierna posteritas. XXI.

VVENCESLAI CAESARIS ABDICATIO. An. 1399.

IN peius re dilabente Germanica, Lonsteinij conuentum coegere Imperij Principes die xx. Septemb. *Ioannes* Archiep. Mogunt. *Fridericus* Archiep. Colon. *VVernerus* Archiep. Treuirensis; *Rupertus* Comes Palatinus, cum alijs Principibus vt ægro, & trunco corpori caput darent, *VVenceslao* priùs abdicato. Abdicationis non vna causa. Vita flagitiosa, ignauia Reipublicæ; quæ Romanum pessum dederat imperium.

XXII. *Genuam vendit.* Ab accusatione exorsi, insimulabant *VVenceslaum*, quod Ianuensem ciuitatem accepta pecunia, ab imperio diuulsam alieni iuris fecisset.

XXIII. *Mediol. vendit.* 2. *Iohannem Galeacium V.* Comitem Mediolani nouo honoris titulo cohonestasset, & primum Mediolani Ducem, sceptro, pileoque eius dignitatis insignibus, per legatos transmissis, appellauit, vrbe, ditioneque 10000. florenis vendita in fraudem imperij, additaque potestate, vt in hæredes transferre posset; cum ante *Iohannem* vicarios præsides egissent maiores

XXIV. *Imperij decoctor.* eius, beneficio Imperatorum, quibus eam dignitatem, & administrationem tribuere, quibus vellent, liberum erat. 3. Noribergensibus immunitates quasdam quatuor plaustris vini Rhenani vendidit. Imò totum vendidisset imperium, vt & *Carolus* pater eius, si emptorem habuisset. 4. Membranas perplures nudas, rasasque suæ tamen Maiestatis sigillo munitas amicis vendidit: data facultate sub regio sigillo in eis scribendi,

XXV. *Tyrannus.* quod liberet. 5. Quod in homines sæuierit innocentes sacri iuxta ac profani ordinis, è quibus aliquos per summum nefas propria etiam manu, & per ludibrium occidisset, concremasset, aquis præfocasset, exquisitis tormentis excruciasset; 6. Quòd vias terra, ac

XXVI. *Impius.* fluminibus à prædonibus obsessas non repurgasset. 7. Quod fœdus cum Rege Poloniæ Paganis addicto, contra Theutonici ordinis Equites in bello Prussico iunxisset. 8. Quod absque causa homines ad suum tribunal vadimonium obire, sola auaritia extorquendæ pecuniæ coegisset. 9. Quòd Pragensem Academiam, vexatis, proscriptis viris litteratis, ac nobilibus, in solitudinem redegisset. XXVII. *Voluptuosus.* 10. Quòd fœdis debacchatus amoribus, & ebrietatibus, regnum posthabuisset. 11. Quòd magicis artibus, & præstigijs ad hominum perniciem vsus fuerit. De quo Dubrauius ita scribit: *Lib. 23. Bohem.* *Magus.* *Cum VVenceslaus filiam Ducis Bauariæ Sophiam vxorem duxisset: nouus socer, vbi generum ludicris spectaculis, & magicis præstigijs delectari cognouit, plenum præstigiatorum plaustrum secum Pragam aduexit. Ibi dum præstantissimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat: adest inter spectatores* Zyto, *VVenceslai magus, ore vsquè ad aures dehiscente, accedensque propius artificem illum Palatini, cum omni apparatu subitò deuorat, solos duntaxat calceos, quia luto obliti videbantur, expuens, secessumque inde petens, ventrem insolita esca grauem in dolium aquâ plenum exonerat, præstigiatoremque adhuc madidum præstigiatoribus restitutit passim deridendum, adeò vt cæteri eius quoque affeclæ à ludo desisterent.* Et infra. *Cæterum Zyto impostor, ad extremum a Cacodæmone, superstes, cum corpore, & anima de medio hominum sublatus est; iniecitque VVenceslao curam de religiosis deinceps, ac magis serijs rebus cogitandi.* 12. Quòd frequenter à Principibus monitus, pertinaci vecordia saniora frustrasset consilia. 13. Quod Ecclesiæ dissidia tollere non cogitauit, sed *VVicleſi* erroribus potiùs fauens, discordias fouerit, vt securus tyrannidem ageret. XXVIII. *VVicleſo fauet.* Nil itaque cum Principe dignum, sed indigna exempla edidisset, Pragenses, XXIX. *Carceri datur.* & totius regni proceres eum aliquoties habuere captiuum; publico, tetroque carcere, quatuor mensibus detinentes: tandem vix multis Regum, ac Principum intercessioni-

an.1400 bus implorauit, vt ſemel ei ad ſordes corpo-
ris abluendas balneum ingredi concedere-
tur: ex quo nudæ balneatricis operà ipſe nu-
Fugit. dus euaſit, & in arcem ſuam penetrauit. Ni-
hilo tamen melior factus, iterum capitur.
Sed & hac vice elapſus, tandem à *Sigiſmun-*
XXX. *Iterum* *do* fratre per *Albertum* Auſtriæ Ducem ca-
cuſtoditur. ptus, clam Viennam Auſtriæ deductus eſt,
omnibus ferè ignorantibus, vbi eſſet. Inde
etiam euaſit, adiutus operà, & conſilio cu-
iuſdam piſcatoris, & Pragam mendici habi-
tu reuerſus, regnum recuperauit. Eo rece-
pto, nihilo meliorem factum, Electores A.
C.1400. *Lonſteinij*, alij volunt *Francofurti*,
XXXI. vnanimi conſenſu remouerunt ab imperio,
quod reuocare, fruſtra conatus eſt, Imperio
iam per electionem deuoluto in *Rupertum*
XXXII. Comitem Palatinum, cuius familiæ Caro-
lus *VVenceslai* parens Septemuiratum intu-
lerat, depulſis *Ludouici IV.* Imper. poſteris.
XXXIII. Alter etiam Electoratus, quo violenter ſpo-
liauerat *Ludouicum Brandeburgicum*, in *Si-*
giſmundum Regem Vngariæ, *VVenceslai*
fratrem traductus nil iuuit. Frater namque
VVenceslai exoſus tyrannidem; fraternæ po-
tiùs operatus fuerat abdicationi. Porrò ip- an.1378
ſe, quà erat ſocordia, tanto dedecore minimè XXXIV.
motus, manſit Bohemiæ regno contentus.
Hoc vnum in *VVenceslao* occurrit laudan-
dum, quod cum mortuo *Ruperto* Electores
Jodocum elegiſſent, & ad *VVenceslaum* is pa- XXXV.
truelem ſuum viſitatum veniſſet, abduxit *Continentia VVenceslai.*
eum Rex in pœnitiorem ædium partem, &
in hunc modum alloquitur. *Etſi ſcio, non*
eſſe è dignitate mea, quod Electores me regno
abdicarunt: ſolatio tamen eſt, quod familia no-
ſtra hac dignitate non eſt priuata. Ego te li-
bens, volenſque ſucceſſorem mihi datum acci-
pio. Cumque *Jodocus* his verbis territus ad
Regis genua procubuiſſet, ac ſibi nihil im-
purandum diceret, quòd earum rerum om-
nium ignarus eſſet. *Pone metum* (inquit)
Nam neque imperium inuitus depoſui; neque ſi
retinere illud cupiam, iura ſanguinis violare
auſim. Bono itaque animo eſto, Imperiumque
tibi demandatum ſuſcipe: mihi mea ſatis eſt
Bohemia. Viribus, armis, opibus regni mei
tanquam tuis vtere, vt libet. Lætumque, &
magnis muneribus donatum, nepotem di-
miſit.

VVENCESLAI OBITVS. *An.* 1408.

XXXVI. VT vixit *VVenceslaus*, moritur, in cæ-
no voluptatum. Apoplexia corre-
ptus interijt ex conſternatione, & excande-
ſcentia, cum prandenti nunciatum eſſet,
Huſſitas cum aſſeclis ſuis Pragæ ſeditionem
mouiſſe, & obtruncato Senatu ad arcem
etiam accurrere, & prægustator ſe illius rei
non ignarum oſtendiſſet.

INSCRIPTIO SEPVLCHRALIS.

Ex Vrſino Vellio.

XXXVII. *Degener imperij merito ſpoliatur honore*
Filius: attonitus turpiter occubuit.

Alia ex Georgio Sabino.

Pigra quòd ignauo traduxerit ocia luxu,
Nactus id à vita de ſide nomen habet.
Gloria non illi, ſed turpis inertia curæ,
Atq; ſaginato corpore venter erat.
Militiam fugit, pacis virtute nec vnquàm
Egregio dignum Principe fecit opus.
At piger ingluuiem dapibus, vinoquè replebat
Et graue diſtenti ventris alebat onus.
Omnibus inuiſus, ceu deteſtabile monſtrum
A proprio captus vincula fratre tulit.
Hoc inuenta fuit ſub Cæſare machina belli,
Cuius ab impulſu mœnia quaſſa ruunt.
Concipiens rapidumque fomite ſulfuris ignem,
Acta procul nitri puluere ſaxa iacit:
Atq; coruſcantis flammas imitatur Olympi,
Aethera terribili concutiente ſono:
Ceu vibrata cadunt triſidis vbi fulgura telis,
Hoc ſibi Germanus vendicat autor opus.

SYMBOLA XXXVIII.

Moroſophi Moriones peſſimi

II.

Nauis tempeſtate impulſa, quam ære in-
ciſam vide ſup.pag. 132. ſub lemmate. *Tem-*
peſtati parendum. Quod deinde expertus
oſtendit, cum imperij honore ſpoliatus eſt
ob ignauiam.

Monetam Auream *VVenceslai* vide ſupra pag. 132. XXXIX.

CA-

CAPVT TERTIVM.

VVenceslai Imperatoris vitia, Ignauia, voluptas, libido, crudelitas sacrilega præsentem excitat titulum.

Tyrannis, *siue* Sepulchrum Dealbatum.

1. Tyranni nomen inuisum. 2. vnde dicatur. 3. triplex est: titulo, exercitio, vel vtroque. *5. quid possit 8. quomodo differat à malo Principe. 11. habet sæuitiam pro voluptate. Iram non habet, sed feritatem. 13. & 18. belluarum omnium fera teterrima. 14. carnifice peior. 15. latro. 16. ludi pretium matronas constituit. 17. origo tyrannidis. 18. quomodo conseruetur tyrannides. 19. tyrannidis arcanum quale. 20. literati tyranno inuisi, eos timet. 23. furibus similis tyrannus. 24. tyrannus à Deo an veniat? 25. an tolli possit? 28. tyrannus est carnifex Dei. 31. tyrannicidæ honorati. victima est, quæ Deo placet. 32. an semper expediat, tyrannum eijcere. 33. tyranno mortuo peior semper insurgit. 34. tyrannorum filij an possint fieri Reges legitimi. 37. in tyrannos adest sollicita vltio diuina. tyrannis pulchrum sepulchrum. 41. vita tyranni quæ. 42. tyrannus senex non datur, mens tyranni intus semper laceratur. 43. vita tyranni plena insidijs. 44. post mortem excoriatur ab eis, quos sustulit. fiunt pascua dæmonum. 45. eorum manes ab execrationibus nunquam quiescunt. 46. pauci sine cæde cadunt. 47. dulcis ei mors, si ebrius moriatur.*

3. Nimrodus primus in orbe tyrannus.
5. Omnia posse vox est tyranni.
7. Sub larua tyranni Rex obiurgatur.
10. Caligulæ sæuitia: tyrannides Tiberij.
16. Hegesilochus tyrannus matronas constituit in ludi pretium.
19. Furibus cur parceret Dionysius tyrannus.
26. Pœnam rei patienter ferre debent.
36. Conradi IV. Imp. sæuitia.
38. Theodorici imaginatio lethalis ob mortem illatam Symacho.
39. Phalarides suo tauro inclusus.
40. Nero occisorem non inuenit. 45. cur se moriente cuperet Orbem conflagrari.
41. VVenceslaus Imperator ebrius moritur.

I. *Tyrannus olim venerabilis.* ODiosum recurrit, & inuisum nomen, quod paucos habet auditores. Venerabile antiquitùs tyranni nomen erat. Vnde Virgilius de Ænea *Æneid. 7.*

Pars mihi pacis erat, dextram tetigisse tyrãni.

Nunc legitimus Princeps cum degenerat, tyrannus dicitur in opprobrium, qui Rex quondam appellabatur. Multa namque secundum illud Poetæ renascuntur, quæ iam cecidere, cadentque quæ sunt in honore vocabula, si volet vsus.
II. *Vnde dicatur.* *Tyranni* nomen à *Thyrrenis* deducunt, quod hi latrocinijs insignes essent: quidam *à terrendo*, quod populum terreat. *Caligula tyrãnus.* Talis fuit Caligula, qui vnam populo optauit ceruicem, quam vno ictu amputare posset.

III. *Triplex tyrãnus.* Duplex porro currenti lucubrationi sese offert Tyrannus. Vel est *titulo*, vel *exercitio*; imò & triplex, nam *titulo*, & *exercitio* simul esse potest.

IV. Tyrannus *titulo* est, qui non successione, non electione in populo libero habenas vsurpat imperij, vt *Nimrodus* ante diluuium, qui in sacra pagina hominum dicitur *venator*, scilicet tyrannus; à feris sumpta metaphora, quæ loris includuntur. Post diluuium Phalarides, Syracusis Dionysij, qui non vocati, imò reclamante populo, cum pares essent, sine titulo & cum iniuria vsurpauere primatum.

V. *Tyrãnus exercitio quid?* Tyranni *exercitio*, hi sunt, qui iure sibi oblatum imperium, in perniciem vertunt Reipublicæ. Alia definitio assignari non permittitur, quia tyrannus latrocinia sua, (imperij namque nomen indulgere non audeo) circumscribi non patitur. *Sueton.* Nero cum nihil flagitiorum sibi non permitteret, elatus tanto rerum successu, dicebat *neminem Principum ante ipsum fuisse, quid & quantum sibi liceret*. Si lubet, licet; an ne sis te imperatorem esse? eius est legem dare, non accipere. *Spartian. in Caracalla.* Quasi natura, Deus legibus tenerentur stare tyranni. *Seneca de Clem. c. 1.* *Ego vitæ, necisque arbiter* (citatut Nero) *quid cuique mortalium fortuna datum velit meo pronuntiatur ore; Nulla pars vsquam nisi me volente floret* Et Caligula, *Quid Regi liceat.* *memento mihi omnia in omnes licere, ac iusta, honestaque esse.* His porrò respon-

respondetet Antigonus Macedonum Rex,
sunt per Iouem Barbarorum Regibus, At nobis
ea iusta sunt, quæ iusta: honesta quæ honesta:
scilicet, honesta non facimus, sed accipi-
mus, & faciunt honestum. Vt enim popu
VII. *Conuiu. septẽ Sapient.* lus Regi, sic Rex Deo, is sibi solus. *Ista Reges*
(ait Plutarchus) *quamquàm modis omnibus vi-*
deri velint à Tyrannis longe diuersi, non li-
benter audiunt: plerumque suspicantes sub
Ib. Plutar. larua tyranni, in eos iocari. Nec aberrant;
sæpè vsu venit quod illi iuueni, qui misso in
canem lapide, nouercam cum percussisset,
dixisse fertur, *nec sic quidem male*.

VIII. *Discrimẽ inter tyrannum, & malũ principẽ.* Ex posita tamen definitione tyranni, qui
iniuria Republica abutitur ad solam vtilita-
tem priuatam, distinguere fas est inter Ty-
rannum, & prauum Principem. Ille enim
Rempublicam aggreditur *depopulandam*:
Hic *conseruandam*. Ille *à malo nunquàm* de
fuit; Hic *aliquandò à bono*. Ille *in legem*; Hic
ad legem. Is *à Deo*; ille *à seipso*. Dauid itaque
IX. *Dauid an tyrãnus. 2. Reg. c. 11.* tyrannus non est appellandus, etiam si gra-
uissimè peccauerit, quùm innocentem
Vriam nil tale cogitantem, quò vxore eius
potiretur, Ioabo perfidè mactandum trans-
Niceph. lib. 1. misit. Nec Theodosius, quod Thessalo-
nicæ, ad vindicandam vnius Præfecti ne-
cem septem millia innocentium ciuium, &
hospitum trucidari iusserit; Vitia namque
erunt, donec homines. Initium salutis fuit il-
lis notitia peccati. Tyrannos verò nun-
X. quàm pœnitet peccasse. Imò cum priuato-
rum cædibus satiari non possent, optabant,
vt populus Romanus vna ceruice sustenta
retur, quæ sua manu foret detruncanda.
Sæuitia Caligulæ. Queri suorum temporum solebat conditio-
nem Caligula, quod nullis calamitatibus
publicis insignirentur; atque subinde cædes
Suet. c. 31. exercituum, famem, pestilentiam, incendia,
aliquem terræ optabat hiatum. Et peior
Tiberij. auus eius Tiberius, qui eo consilio nepotem
ad imperium euexit, quod sciret pessimè ip-
sum viuendo, sua flagitia obumbraturum,
& quod ipse in reliqua parte Senatus truci-
danda præstare nequiuerit, perfecturum.

XI. *De ira 2. c. 5.* De istis sciscitatur Seneca, qui vulgò sæ-
uiunt, & humano sanguine gaudent, an ira-
scantur, cum eos occidunt, à quibus nec ac-
ceperunt iniuriam, nec accepisse se existi-
mant, qualis fuit Apollodorus, aut Phalaris?
Hæc non est *ira*, sed *feritas*, ait Seneca. Non
enim quia accepit iniuriam, nocet; sed para-
ta est, dum noceat, velle accipere, nec illi
verbera, lacerationesque in vltionem pe-
tuntur, sed in voluptatem. Tanti mali *Ori-*
go ab ira fuit, sed frequenti exercitatione, &
societate venit in obliuionem clementiæ, vt
fœdus obliuisceretur humanum, & nouissi-
mè in crudelitatem veniret. Rident itaque,
voluptate perfruuntur, & hilari fronte per
otium sæuiunt. Hannibalem dixisse aiunt, XII.
cum fossam humano sanguine plenam vi-
disset: *O formosum spectaculum*. Volesus
proconsul Asiæ, cum CCC. vna die securi
percussisset, incedens inter cadauera vultu
superbo, quasi magnificum quiddam con-
spiciendumque fecisset, Græcè proclamauit,
O rem Regiam: Quid hic Rex fecisset? *non fuit* XIII.
hæc ira; sed maius malum, & insanabile. Et ec-
ce discrimen inter Tyrannum, & malum
Principem. Hic si aliquando aberrat, *iram*
excusa. Ille si nunquàm resipiscat, *accusa sæ-*
uitiam, quæ facit *natura* peccatorem, *ex ha-*
bitu dicerent Scholastici; Princeps *ex actu*. *Bellua ferox.*
Facilius est animal natura ferum, arte man-
suescere; quàm Tyrannũ natura hominem,
arte ferã, ad humanitatem redire. De bestijs, *Plutar.*
cum in conuiuio Sapientum sermo incidis-
set, dixere *ex feris animantibus teterrimam*
beluam esse Tyrannum; Cui (teste *Ptolomæo* XIV.
Philadelpho) inter multa grauia, & illud ma- *Stob. ser.*
ximè, quòd immeritos occidere cogatur, vti- 47.
litatis suæ gratia. Hinc Anthistenes carnifi- *Carnifice*
ces tyrannis longe præferebat; quia à carni- *peior.*
fice homines iniusti interimuntur, à tyranno *Id. ser.*
etiam insontes. Amicis autem velut vtribus 47.
vtitur, plenos suspendit, inanes abijcit, hoc
est, occidit diuites, negligit pauperes. Prin-
ceps cum ciuium saluti prospiciat, ac prin-
cipatum ferat in humeris; Tyrannus incubat
principatui, & ad Rempublicam tanquàm
ad messem auream accedit; in delicijs ha-
bens, ciuium bona, vitam prædæ habere, lu-
xu perdere, immanitate distrahere. Latroci- XV.
nium exercens non imperium, quod tygris,
basiliscus, aspis, humano corpori, hoc Ty-
rannus in regno: obruit, quatit, conuellit,
suam voluptatem cunctis ciuibus præfert.
Hegesilochus tyrannus Rhodius eò petu- XVI.
lantiæ processerat, vt cum amicis aleis, vel *Athan. 10. c. 15.*
talis luderet, liberas mulieres, ludi pretium *Ludi pretium mulieres.*
constitueret, discererentque inter talorum
iactum, quam vrbanarum victus, ad victo-
rem ducere teneretur.

Quo-

XVII *Tyrānis quomodo introducatur.*

Quomodò ciuitatem tanta socordia teneat, vt vinciri à tyranno patiatur, qui tantùm à Rege differt, quantum libertas à seruitute? Vel de occupata, vel de occupanda loqueris tyrannide. Si de occupanda specie recti vulgus in vincula trahitur. (*Tacitus An. 1.*) Cæsar populum annona, militem donis, cunctos dulcedine otij pellexit; sic cuncta discordijs ciuilibus fessa, nomine Principis sub vnum accepit. Postea munia Senatus, legem in se trahere cœpit, nullo aduersante cum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent: cæteri quanto quis seruitio promptior, tanto magis opibus, & honoribus extollerentur: sic rebus præsentibus aucti tuta, & præsentia, quàm vetera, & periculosa mallent. In poculo aureo virus exhibuit; & medicata potione libertatem Romanam infecit.

XVIII. *Quomodò conseruetur.*

Quomodò verò tyrannidem retineant, & vasto corpori vim inferat pusillum caput? Naturæ similitudo respondit: Leonem, Vrsum, Lupum, aut Aquilam cogita, quæ laniatu viuunt, ac præda. Et quoniam intelligunt se se omnium odijs obnoxia, omnium insidijs peti, in locis præruptis se se continent, aut specubus, & solitudinibus abdunt se se. Sed & horum sæuitiam tyrannus superat. Dracones, Pardi, Leones, cæteraque immanitatis damnata crimine animantia, à suo genere temperant, & tuta est inter feras similitudo morum. At tyrannus homo in homines, ciuis in ciues potissimùm suam exercet feritatem. Inter vero arcana tyrannidis conseruandæ, illud est Summum, *Populum dissociare*.

XIX. *Tyrānus populum dissociat.*

Cæsar legum, magistratuum officia vsurpauit, nullo aduersante, *quia ferocissimi in acie, aut proscriptione cecidissent*, Alij mitiùs agentes, vt *Dionysius* maior in sontes animaduertens atrociter, furibus vestitum parcebat: vt desinerent Syracusani vnà cœnare, & conuersari. (*Plutār. in Solone.*) *Pisistratus* de otiosis legem tulit, quà agrum cultiorem, & vrbem infrequentiorem redderet, nè possent ciues conspirare. (*Athen. 13. c. 27.*) *Polycrates* Samiorum tyrannus gymnasia, & palæstras sustulit omnes, ne quam occasionem haberent ciues coeundi, & secreta miscendi. *Herodes*, vetitis per vrbem conuenticulis, & frequentioribus conuiuijs, appositisque speculatoribus tam in vrbe, quàm in compitis agrorum, vt conuenticula obseruarent: sæpe (*Ioseph. 15. c. 13.*) etiam ipse plebeio cultu noctu se vulgo miscebat, vt experiretur opinionem vulgi, ac verba potentum, eruditorum præcipuè, eorumque, quibus populi videntur obsequia præstare. (*Leges, literati, potentes tyranno inuisi.*) *Quidquid excelsum est, cadat*; arcanum est tyrannorum.

XX.

Seruare ciues principi, & patres graues
Claro tumentem genere, quæ dementia est?
Cū liceat vna voce suspectos tibi mori iubere. Seneca.

XXI *Flor. 1. c. 7.*

Cum Rempublicam in se transferre Tyrannus nequeat, si leges, aut prudentes obsistant; tum hos, tùm illas prius tollit. Quod adumbrauit Tarquinius Superbus filio suo, dum summa papauerum capita demetebat, per Principes Gabiorum interficiendos esse, intelligere volens.

XXII *Plin. 8. c. 15.*

Crocodylus, inuictum alioqui, & perniciosum animal, tamen Tentyritas adeò metuit, vt ad vocem etiam expauescat: vt & Gallus Leones: ita Tyranni cum omnes contemnant, tamen eruditorum literas timent.

XXIII. *Sui similes tyranni apud Elianū in Var. Histor.*

Si quis suem (aiebat Æsopus) tetigerit, clamat & merito. Nec enim vellera sus habet, neque lac, nec aliud quiddam præter carnes. Statim igitur somniat mortem, cum sciat quibus vsibus præstandis vsurpari possit. Sic tyranni sciunt, quod sicuti sues, vitam omnibus debeant.

XXIV. *Tyrā nus vnde veniat?*

Vnde veniant Tyranni, an à Deo vt & Reges? quale in eos sit ius populi? soluere non debes, nisi priùs de tyranno secernas. Regem *titulo*, à Deo venire, & quamuis in tyrannum *exercitio* deficiat, non dari populo in Regem insurgere, abundè vidimus in lucubrationibus nostris *De Adoratione Regum, & de eorundem Immunitate.* Ad preces, & lachrymas cum Ecclesia confugient. Ascendat deprecatio, descendet commiseratio.

XXV. *Polit. 4. c. 10.*

Tyrannum verò *titulo, & exercitio* (quia eius nulla est potestas, vel Maiestas aut Imperium, sed latrocinium) viri ingenui iugum tyranni cum ferre non debeant, perdant; ita *Aristoteles*. Cum tyranno distractionem potius ineas, quàm societatem: & patriam pluris facias, quàm vnius hominis insanam libidinem, docet Cicero. (*5. Tuscu. q. 4.*) In tota sua latitudine cum vitiosus sit, & illegitimus, nil habet quod à Deo sit, cui subditi propter Deum obstricti maneant; non electionem, non Vnctionem, non successionem; sola iniuria cuncta prophanat.

XXVI.

Dices cum Hieronymo in *c. audacter. 8. q. 1.*

q. 1. Non semper Principes populi, & Eccle-
siæ iudicem dari per Dei arbitrium: sed pro
XXVII. ut merita nostra deposcunt. Si mali sunt
actus nostri, & operamur malignum in con-
spectu Domini: dantur nobis Principes se-
cundum cor nostrum. Principes itaque siue
boni, siue mali sint, à Deo sunt, omnia prò
suo nutu, & nostris meritis moderante. Car-
nificem Regis quis audet, vel potest tollere?
Pœna patienter ferenda. malorum est vindex, nec minus honoran-
dus, quàm œconomus, qui annonam distri-
buit. In laudem bonorum datus est mode-
rator, sed & malefactorum vindictam. *Casti-*
De Ira lib. 2. c. 27. *gatio* (inquit Seneca) *sic accipienda est, quo-*
modò scalpellum, & abstinentia, & alia quæ
pro futura torquent. Affecti sumus pœna? Suc-
currat non tantum quid patiamur, sed quid fe-
cerimus: in consilium de vita nostra mittamur.
Si verum ipsi dicere nobis voluerimus, pluris
litem nostram æstimabimus. Si volumus æqui
omnium rerum iudices esse, hoc primùm nobis
suadeamus, neminem nostrum esse sine culpa.
Hinc enim maxima indignatio oritur. Nihil
peccaui, nihil feci: imò nihil fateris. Indigna-
mur aliqua admonitione, aut coercitione nos ca-
stigatos: cum illo ipso tempore peccemus, quo
adijcimus malefactis arrogantiam, & contu-
maciam. Quis est iste, qui se profitetur omni-
bus legibus innocentem? Vt hoc ita sit, quàm
angusta innocentia est, ad legem bonum esse?
Quod si hæc de Rege fueris interpretatus:
XXVIII *Tyranni Dei carnifices.* terrenorum Principum obijcio carnificem;
& tyrannos Summi Regis, & Dei carnifices
nega, si potes. Terreni Regis satellitem ti-
mes, in eum non audes manum leuare, &
spernis Superni? Tolle & dæmones, sunt &
isti vindices iræ Dei. Deus solus est, *qui re-*
Dan. 2. 21 *gna transfert, & constituit*; nec semper in lau-
dem, sæpe etiam in vindictam. Vnde pri-
uilegia, quæ pijs Regibus competunt, & ma-
XXIX. *5. de Ciuit. Dei c. 21.* lis conueniunt. *Qui Mario Imperium dedit*
(ait Augustinus) *ipse Caio Cæsari. Qui Augu-*
sto, ipse & Neroni. Qui Vespasianis vel patri,
vel filio, suauissimis Imperatoribus, ipse & Do-
mitiano crudelissimo. Et ne per singulos ire
necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Aposta-
tæ Iuliano; vt sint *virgæ iræ suæ*, quod de Assi-
riæ Rege dicitur, *Esai.* 10. 5. Et *Oseæ* 13. 11.
Dedi illis Regem in furore meo. & Iob. 34. 10.
iuxta vulgatum interpretem *Regnare facit*
hominem hypocritam propter peccata populi.
Nostrum itaque has virgas pati, quas infligit
Deus, & liberationem ab eo expectare pa-
tienter, qui *corda Regum habet in manu, vt ri-*
uulos aquarum. Dicat humilis cum Psalmista
populus *Virga tua, & baculus tuus ipsa me*
consolata sunt.

Speciosa sunt hæc, sed Tyrannos non iu- XXX. *Tyrannus potest occidi.*
uant; quos si *titulo*, & *exercitio*, suspendimus,
trucidamus. Hieronymus de Regibus à Deo
datis, & populorum electis præconio, non
de Tyrannis, qui non successione, vel suffra-
gio, habenas vsurparunt imperij, clarè intel-
ligendus est. *Audi namque* (verba sunt Hie-
ronymi) *quod Dominus dixit* (*Fecerunt sibi* *Incit. è capite Auctor.*
Regem, & non per me) *Principem, & non per*
consilium meum. Et hoc dictum videtur de
Saule illo, quem vtique ipse Dominus elegerat,
& Regem fieri iusserat. Sed quoniam non se-
cundum voluntatem Dei, sed secundùm pecca-
toris populi meritum fuerat electus, negat eum
sua voluntate, vel consilio constitutum. Sic Re-
ges Assyriorum, Cyrus, Nabuchodonosor ad
vindictam Dei immissi aduersùs populum
Iudaicum, non iniuria & violentia irrepse-
runt ad thronum, sed successione, vel suffra-
gio. De ijs autem, quos sola imperij libido
segregauit à ciuibus in Tyrannos, immuni-
tatem non legimus. Sed *Sanctos* percusso-
res appellauit Antiquitas
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti. XXXI. *lib. 9.*
Lucanus cecinit de Bruto, quia patriam
vindicasset. Romani, & Athenienses Bruto,
& Cassio tyrannicidis honores deferentes,
statuas æreas ob tyrannicidium erexerunt. *Plutar. in Bruto.*
Otanes, qui primus contra Magos coniura-
uerat, Medica veste ex publico decreto do- *Tyrannicidæ honorati.*
natus fuit, quia auctor euertendæ tyrannidis
fuisset. *Herodotus lib.* 3. Sic Aristogitoni, &
Harmodio statuæ ab Atheniensibus erectæ
sunt, quòd Athenas tyrannide Pysistrati libe-
rassent. *Plin.* 34. Præterco Timoleontem Co-
rinthium, Aratum Scionium, aliosque, quos
Plutarchus à grata patria donatos recenset.
Damnatam Tyranni memoriam adeo ab-
horrebant Romani, vt teste Vallesio, Sex. Ti-
tium innocentem, & lege Agraria lata gra-
tiosum apud populum, tamen quia Saturni-
ni imaginem tyrannidem affectantis, domi *lib. 8. c. 1*
habuerat, suffragijs oppresserint.

Si sola occupatio Regem faceret, quis re- XXXII.
gnum non vsurparet? Priuatorum latrocinia
à publicis non secernit iustitia, sed potentia;
vt ad M. Alexandrum aiebat ille pirata, cui
latro-

latrocinia improperabat Rex Alex. *Quia id*
De Ciuit. Dei 4. c. 6. *ego exiguo facio nauigio, latro vocor: quia tu*
magna classe, Imperator. Remota iustitia
quid sunt regna? nisi magna latrocinia, ait
Augustinus, quia & ipsa latrocinia, quid sunt?
nisi parua regna. Tyranno itaque sæuienti
cū electio desit, & successio, tolle, ne timeas

Victima haud vlla amplior
potest, magisue optima mactari Ioui
Quam Rex iniquus Seneca *in Hercul.*

XXXII. An verò Tyrannum eijcere, semper ex-
An expediat tyrānum pellere. pediat? negatiuam amplector; minori peri-
culo credo vt plurimùm tolerari, quàm eij-
ci; cum eiecto vno tyranno, nouus plerum-
que succedat priore deterior. *Anceps, & ope-*
6 Pol. *rosa* (ait Aristoteles) *nimis est mutatio, quæ*
subito & cum violentia suscipitur: facilior au-
XXXIII. Bruson. 6.c.21. *tem, quæ sensim & declinando.* Antigono oc-
ciso, eius occisores rerum potiti, omni iniu-
riarum genere Phrygios affecerunt. Agrico-
la verò quidam agellum fodiens, rogatus
quidnam faceret? *ego* (suspirans inquit)
Antigonum refodio. Longè tollerabiliorem
sub tyranno, quàm sub tyrannicidæ ser-
uitute fuisse indicans. Dionysio etiam
cum omnes Syracusani mortem appete-
rent, sola *Himera* mulier Deos orabat,
vt diù Dionysius superuiueret. Quod vbi
Idem lib. 9 c.22. resciuit Tyrannus, causam interroganti
respondit mulier: Puella cum essem, gra-
uemque tyrannum haberem, occidi cupie-
bam. Eo mortuo deterior tyrannidem occu-
pauit: ei quoque mortem imprecata obti-
nui. Te verò longè deteriorem nunc habe-
mus. Verita, ne te absumpto, substituatur
deterrimus, te incolumem cupio.

De liberis Tyrannorum ac propinquis;
XXXIV. *An filij tyrannorum fieri possint legitimi.* quæstio superest: si longissimo temporum
decursu arreptam à priuatis tyrannidem
continua successione sine interruptione tue-
antur, ac iustis imperijs Rempublicam mo-
derentur, num illud imperium Tyrannidis
appellatione veniat? negant Politici: nam di-
uturna illa temporis præscriptio legitimæ
creationis vim habet. *l. 3. ff. de aqua quot. &*
æst. Cumque nulla in Tyrannum eiusque li-
beros conspiratione; nulla intercessione ci-
ues imperantis possessionem perturbaue-
rint: ciues eius imperijs acquieuisse creduntur,
XXXV. tur, ac iustum Principem comprobasse.
Vis præscriptionis. Quid enim interest, quod populus volunta-
tem suam declaret suffragijs, an rebus ipsis, &
factis, *l. de quibus. ff. de leg.* Absit, quod iura
præscriptionis tollantur. Tunc videre esset
Principes nudos è throno fugere in rustica-
na tuguria. Præscriptiones ad bonum pu-
blicum sunt introductæ: & sunt veluti folia
ficus, quibus sibi fecere perizomata primi.

Verùm quia præstat scelera ignorari, mo- XXXVI. *Conradi*
rosiùs de Tyranno non agimus. Principum *Imper. sæ-*
scelera ni laudas, sile. Depinxi obiter, vt *nitia.*
eos redarguerem, qui toti vitæ vnam impe-
rij præferunt diem. Conradus IV. Impera-
tor titulo, exercitio verò Tyrannus potiùs,
quàm Rex, iure dicitur peremptus; quod
malè sibi, suæque familiæ consuluit, quùm
consilio fratris Manfredi, vi non beneuo-
lentia regnum firmandum censuit; & Impe-
rij iniria parricidij scelere, sublatis è medio
filijs fratris sui *Henrici Senioris*, polluit. In
Italia manu perfidi *Ecelini* multa edidit cru-
delitatis exempla: Capuam, & Neapolim
funditus euertit. Sed tandem suo exemplo XXXVII.
posteris testatus est, quod tyrannis fundus *Tyrannis pul-*
sit quidem præclarus, sed exitum non ha- *chrum se-*
beat alium, quàm pulchrum sepulturæ or- *pulchrū.*
namentum. Vi namque veneni, quod *Man-*
fredus frater præbuit, sublatus est.

Nulla tyrannorum vis diuturna fuit.

Mors Innocentium non diù languet im-
punita: Vltio diuina (quam Gentiles *Neme-*
sim vocarunt) mox cum tyrannorum hor- XXXVIII.
rendo, & inusitato adest excidio. Rex Theo- *Procopius*
doricus cum Symachum, & Boetium Ro- *lib. 1 Go-*
manos Consules occidisset, eorumque bona *thor.*
publicasset: paucis post diebus cœnanti sibi,
cum miræ magnitudinis piscis decoctum
caput apposuissent, Symachi nuper occisi
caput illi est visum, præfixis in inferiore la-
bro dentibus, & toruè intuentibus oculis,
furibundè, & acerbius comminari. Vnde
monstri nouitate territus, membrisque præ-
ter modum tremebundus, & rigens in cubi-
culum statim citato gradu secessit, lecto de-
cubuit, deinde Elpidio medico quemadmo-
dum accidissent, diligentius omnia expli-
cata, haud longè post moritur.

Taceo Phalaridem ab Agrigentis tauro XXXIX.
Perillæo inclusum, quo alios suffocauerat. *Phalaris.*
Ouid. in Ibin.

Vtq; ferox Phalaris, lingua priùs ense resecta
More bouis Paphio clausus in ære gemas.

Neronem, cuius sanguine pollui horre- XL. *Sueton.*
bat mors ipsa; vnde nullo reperto, à quo fe-
riretur,

riretur, exclamaret: *Ita ne nec amicum, nec inimicum habeo? Turpissime vixi, turpius peream:* Sic in suburbano liberti ictu gladij transegit, adiuuante trepidantem manum impuro eunucho. Tyrannorum prætereo myriades, quos non tam exitus calamitosus excepit, quàm tota vita periculosa, quam Dionysius *Damocli* pulchrè in sella sedenti, depinxit.

XLI. *Et magis auratis pendens laquearibus ensis*
Purpureas subter ceruices terruit. Persius *Sat.* 3

XLII. Hinc Thales Philosophus interrogatus, quid difficile vnquàm vidisset? *Tyrannum* (inquit) *Senem*. Non diutiùs viuere potest, cuius animum furiæ dilacerant. Tyrannorum mentem reclude, & plagas aspicies atque laniatus; vt cum verberibus corpora, ita sæuitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur.

Seneca in *Octauia*

Licet extruat marmoribus atq; auro tegat
Superbus aulam: limen armatæ ducis
Seruent cohortes: mittat immensas opes
Exhaustus orbis: supplices dextram petant
Parthi cruentam: regna diutius ferant:
Venient dies tempusque, quo reddat suis
Animam nocētem sceleribus iugulū hostibus,
Desertus, & destructus & cunctis egens.

XLIII. Sciscitanti Polioni Phalaridem, cur ante tyrannidem se præberet omnibus conspiciendum; mox vix consanguineis, amicisque sanctioribus? sic est responsum. *Mirari desine. Etenim nullam fidei sinceritatem, non modò in ignotis, verum etiam in ijs, quibus me arctioris amicitiæ vinculo deuinxeram, vsquam deprehendi. Singula igitur, magna cum diligentia, & solertia, expertus, in Africæ Numidiæque siluis ac solitudinibus, inter medias feras, quàm inter homines vitam degere, longe tutius esse, apud me statuo. Securius enim leonibus, serpentibusque obsessus, quàm hominibus circumseptus, quieti me traderem.* Hos terrores, metusque perpetuos, sic nobis depingit Iob: *Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum tyrannidis eius incertus est. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reuerti possit è tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium. Quum se mouerit ad quærendam pacem, nouit quod paratus sit ad manum eius tenebrarum dies: Terrebit eum tribulatio, & angustia circumuallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad bellum.* Post fatà verò in tartara missus, carnifices habet, quos ipse excoriauit; Hoc Maiestatis apud Inferos Tyranni retinent, quod fiunt Dæmonum pascua, aiebat Ludouicus XII. Rex Gallorum. Eorum manes à posterorum execrationibus nunquàm conquiescunt. Hinc Nero optabat, vt se moriente, terra conflagraret, ne posteritas sua scelera loqueretur. Satagunt opidò vt aspides pestilentissimi (qui nunquàm absque compare vagantur) filium, vel tyrannidis successorem sibi adiungere, ne desit vltor, si quid acciderit. Deus verò quasi ludens in orbe terrarum suscitat de terra inopem, qui subuertit consilia Potentum, & hominum facta secundum Fata reuoluat sceleribusque pœnas rependat. Nimis durum mortalibus esset, si impuniti descenderent ad tartara Principes. Sed quia

Cap. 15. XLIV. *Annal. Tran.* XLV. *Plin.* 8. *c.* 23.

XLVI. *Ad generū Cereris sine cæde, et vulnere pauci*
Descendunt Reges, & sicca morte tyranni. Iuuen. *Sat.* 10.

aliqui inuenti, qui mallent priuatam agere vitam, quàm per hominum cędem, quærere regnum, vt Edouardus Rex Anglorum, *Polydor. Virg. l.* 8.

XLVII. Felicior mors, quæ tyranno contingere potest, est, si ebrius moriatur, vt *VVenceslaus* Imperator, cuius gratia sermo recurrit. Percussore deficiente, humanam miserta calamitatem natura, vinum immisit, quo suffocauit.



IODO-

IODOCVS BARBATVS. FRIDERICVS BRVNSVICENSIS. RVPERTVS PARVVS.
OCCID. IMPER. XXXVII. XXXVIII. & XXXIX.

LIBER XXXVII, XXXVIII, & XXXIX. CAPVT PRIMVM.

1. *Rupertus cognomento* Paruus *Imperator. amat publicam vtilitatem.* 6. *hieroglyphicum.* 12. *imperium recusat: recipit.* 13. *viuo VVenceslao, ab Aquensibus non recipitur.* 14. *Coloniæ coronatur. iustus.* 15. *à Galeacio Mediolanensi victus.* 16. *mortuus lugetur.* 17. *portentis mors prædicitur.*

1. *Fridericus Brunsuicensis Imper. occisus à Moguntinis.* 11. *eius probitas.*
1. *Iodocus Imperator ignauus.* 8. *cognomento* Barbatus. 9. *rident populi quia mortuũ: vitia.*
2. *Vtilitas publica priuatis anteferenda.*
3. *Orbis requiescit super iustitia.*
17. *Regnum est res publica.*

I. TRes nobis occurrunt Cæsares *Rupertus, Fridericus, Iodocus.* Prouida mors ignauum perdidit *Iodocum*, Orbis miserta calamitatem, *VVenceslai* tyrannide penè perditi. Dedit *Fridericum Brunsuicensem* Deus, sed *nequam Moguntia* sustulit.

II. Quieuit tandem in *Ruperto* cognomine *Paruo*, re *Magno*, imò *Maximo*: quia Maximum est, publica bona præferre priuatis: iuxta id. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Vtilitas publica ea est in hieroglyphico, quæ sub *Ruperti* imagine

premit priuatam vtilitatem. Libra, mensura, gladius publici regiminis sũt instrumẽta, super quib. si Orbis requiescit stabit: & stabit, *donec* basim non reuoluas, quæ est *Iustitia.* III.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

HInc Iodocus abit: Cædem Federicus obiuit:
Rupertus Regnum, de Tribus, Vnus habet.
Sic abijt Lepidus: perijtque Antonius olim,
Et capta Augustus Sorte, Triumuir erat.
Rex, qui magnanimus, Genium pede pressit Auarum;
Publicanam Mundi dicitur Vtilitas.
Librũ Læua gerit; quem suprà præsidet Orbis:
Vlnam, sat rectam, Splẽdida Dextra tenet.
Dictio, quæ legitur, Donec, *Mysteria pandat;*
Edoceat Dominus, quid sibi Stemma velit?
Donec erit Iustus, Pius, & Rex Strenuus; ò quam
Felix, Is mundum sub Ditione, reget!
Legibus Imperium Rex munit, & ampliat Armis:
Aurea sic renouant Secula prisca, Duces.

M. Ant. Moles Neap. S. Th. D.

ALIA

CÆsareo ternos diademate cernite Reges,
Dicite quis rexit faustior Imperium.
Illorum primus Federici *nomine gaudet,*
Sed regnare nequit, dum miser ense cadit.
Iodochus *pariter populum frænare superbum*
Ignarus, mortis fata suprema subit.
Denique Rupertus *fælix toti imperat orbi,*
Dum proprijs præfert publica cuncta bonis.
Tertius ergo fuit Regis faustissimus omnis,
Vt regnet fælix Rex sciat ergo modum.

I.B.P.


LIVOR.
Arn. van westerhout fe. ven:

IODOCVS BARBATVS
FRIDERICVS BRVNSVICENSIS.
RVPERTVS PARVVS.
OCCID. IMPER. XXXVII. XXXVIII. & XXXIX.

Sal. An. 1400.

IAm assueti aberrare Septemuiri,
Malo Cæsari bonum successorem eligere nesciebant.
VVenceslaus excipit *Iodocum Barbatum*,
Aries aruncum,
Nam præter barbam nil hominis in eo erat. VIII. *Iodoci ignauia*.
Imperium rectè initiatus, pessimè administrauit,
Serò habuit, manè perdidit,
Quòd malorum dierum senex diù tolerari haud posset.
Viuus adeò placuit, vt mortuum riderent, IX. *Vitia*.
Quia diù non vixerit.
Sic mitis vt neminem ferro sustuleric, veneno plures.
Pacem adeò amauit, vt etiam cum latronibus fœdus iniret.
Iurauit rarò, peierauit sæpè,
Nunquàm lætus, nisi cum lethum caneret.
Heu si ad annum annosus peruenisset *Iodocus*
Respira Imperium; cum pessimo Imperatore tota expirauit nequitia.
Festinat ad homines salus, quia scelera venerunt ad metam.
Post bestias en homo, *Fridericus Brunsuicensis*. X. *Ita Moguntia in limine Basilicæ scriptū erat* Moguntia ab antiquo nequam.
Vel Deum dicas,
Quòd primus ab vnguibus ferarum Aquilam redemerit
Moguntia ab antiquo nequam, nequijt eum sustinere
Solita Germanis monstra proferre XI.
Coniurato ferro vota cum vita succidit.
Ruperti tandem Aquila reclinauit in sinu. XII. *Imperium ante recusauerat*.
Statura *Paruus*, Virtute *Magnus*
Rapitur, non eligitur.
Bis declinauit, tertio inclinauit
Postquam Mors duos sustulit, vt hunc Martem extolleret
Sed pacificum
Imperij farcinis onerata Virtus, XIII. *Aquenses noluerunt eum recipere viuo VVenceslao*.
Vix Aquisgrani enatauit.
Spetie fidei infideles populi
Noluerunt ad *Paruum* à magna bestia recedere.
Iure, vel iniuria? Deus scit:
Cui soli est mundi regna transferre
Coronam dedit Colonia XIV.
Quam à *VVenceslao* ereptam Germaniæ restituit,
Postea sibi.
Fortis, magnanimus gladium Astreæ, Astream Astris reposuit,
Quæ Cœlo pulsa, latitabat in cœno.
Quæris, quid populo fecerit?
Imperauit sibi;
Publica præferens priuata bonis,
Tria quæ cernis prostrata monstra,

Tres sunt tyranni, Venus, Ceres, Bachus;
Quos sedendo, confecit.
XV. *Pugnat cum Galeatio, & vincitur.* Tantum bonum Italia videre voluit, non possidere;
Despexit, cum respexit.
Galeatus in *Galeatium* descendens V. Comitem,
Ad Lacum Benacum benè pugnauit, 1402.
Virtute Duce, non comite fortuna.
Vel cæca heroem non agnouit, vel inuida tradidit.
Triumphauit tamen Constantia.
Inter Italos relicta discordia,
Captiuam duxit Iustitiam, & Pacem, 1410.
XVI. *Mortuus lugetur.* Quas throno illigatas, nec in morte dimisit.
Vt inde posteri Rempublicam discerent, quam ignorabant.
Sero cognitum luxit patria;
Vt amissum accensis facibus frustra quæreret
Qui ferrei nequitiam sæculi
XVII. *Portentis mors prædicitur.* Moribus sanauerat aureis.
Mortuo visa est tota parentare natura:
Quasi iustitium patrono solueret libertina;
A quo manumissa *Respublica*
Omnia tenebat communia præter Principatum,
Quem sibi in humeris reposuerat.
Discite à mortuo viuere Reges:
Et à regno Rempublicam non discernere.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM.

1.*Ruperti Cæsaris natalia. 3. vxores. 5. eligitur Imperator. 6. ab Aquensibus reiectus. 11. forma corporis. 12. Ludouicum comitem Palatinum Rheni, vicarium designat imperij. 13. fœdus init cum Florentinis in Mediolanenses. 13. in Italiam descendit. 14. à Mediolanensibus victus. 15. à suis deseritur. 16. in Germaniam redit. 47. moritur. 48. ædem S. Spiritus erigit. 49. inscriptio sepulchralis. 51. symbolum. 50. Accademiam Heidelbergensem fundat. 52. dubius de virtute Extremæ Vnctionis.*

2.*Elisabeth vxor Ruperti Cæsaris.*

3.*Fridericus Brunsuicensis in Cæsarem eligitur: occiditur inter insidias Moguntini Archiep. 4. moneta.*

3.*Anna vxor Friderici Brunsuicensis Cæsaris.*

7.*Iodocus Barbatus in Cæsarem eligitur. 8. mores. 9. legem edit de resistendo Imperatori, si contra imperium procedat. 10. mors, genesis.*

16.*Io. Galeacij mors.*

17.*Maria Hungarorum regina nubit Sigismundo. 18. regno priuatur: effigies, symbolum. recuperat. 19. 20. captiua trahitur. 23. liberatur. 30. moritur.*

18.*Ioanna Regina Neapol. laqueo vitam finit. effigies. symbolum.*

18. *Ludouicus Andegauensis tentat occupare regnum Neapol.*

18.*Ludouici I. Reg. Hungar. effigies, symbolum.*

18.*Carolus Paruus Rex Hungarorum occiditur effigies, symbolum. Rex Neapol.*

19.*Elisabeth Regina Hungar. demergitur.*

21.*Sigismundus Imper. militem cogit ad liberandam Mariam Hungar. Reginam. 24. coronatur Rex Hungarorum. 25. mouet in Io. præfectum Croaciæ. 26. eum capit. 27. mouet in Valachos 28. vincit. 29. Nicopolim expugnat. 32. rebelles comprimit. 33. in eum Hungari coniurant. 34. scribit ad Baiazetem Turcarum Imperatorem. 35. victus à Turcis. 36. Cœli ruinam spernit: fugit. 38. regnum recuperat. 39. carceri datur. 42. soluitur. 46. rebellium vindictam sumit.*

31.*Ladislaus Polonus in Hungaros mouet.*

34.*Amurathis victoriæ.*

Hun-

37. Ladislaus Rex Apuliæ ad regnum vocatur Hungarorum. 40. Rex plauditur. 43. in Apuliam regreditur. 44. se excusat apud Sigismundum.

1. *RVPERTI NATALIA.*

EX *Ruperto* cognomine *Paruo*, & Duce Bauariæ, & Palatino ad Rhenum, ac *Beatrice* filia *Friderici* Regis Siciliæ (dicunt alij) filia *Petri* Arragonum, & Siciliæ Regis *Rupertus* nascitur cognomento *Paruus*, sunt qui patrem, non filium hoc cognomine vocēt. Antiquiorē si inquiras Genesim? ab *Ottone VVistelspachio* venit, vt ex arbore sequenti

Magnus Ottho. I. VVistelspachius Dux Bauariæ

Ludouicus Dux Bauariæ

Ludouicus II. *Seuerus* Dux Bauariæ: Vxor Mechtildes filia Rudolphi Imper.

- Ludouicus Imperator
- Rudolphus Palatinus: Vxor Mechtildes filia Adolphi Imper.

- Rudolphus Cæcus Elector
- Rupertus Ruffus Elector
- Adolphus simplex: Vxor Imengardis filia Ludou. Com. Oetingen.

Rupertus Paruus Elector tenax. moritur anno 1398. Vx. Beatrix filia Regis Friderici Siciliæ.

Rupertus Imperator. Vx. Elisabetha filia Friderici Burggrauij Noriberg.

VXORES

RVpertus duas habuit. Ex priore, cuius nomen nec familia legitur, natum perhibent *Rupertum* cognomento *Pipam*, qui sub signis *Sigismundi* cum *Iohanne* Duce Burgundiæ à Turcis captus, postea liber factus, obijt Ambergæ. Altera dicta est *Elisabetha* filia *Friderici* Burggrauij Noribergensis, ex qua *filios quinque* suscepit, & *tres filias*. Elisabertham vxorem *Friderici* Austriæ. *Agnetem* vxorem *Ioannis* Ducis Cliuiæ. *Margaritam* vxorem Renati Ducis Lotharingiæ.

FILII

I. *Fridericus*, & puer decessit.

II. *Ludouicus* cognomento *Canis*, qui Palatinorum Electorum ad Rhenum prosapiam propagauit, vsque ad *Ottonem Henricum*, qui obijt An. 1604.

III. *Iohannes*, ex quo natus *Christophorus*, accersitus ad regna Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ. Obijt, & cum eo stirps An. 1448.

IV. *Stephanus Bipontinus*, qui ex vxore *Anna* filia *Friderici* Comitis Veldensis, duas distinctas stirpes produxit.

Ex Ludouico Nigro Bipontino, mor. An. 1489. & Ioanna Prin. de Czoij

- Gaspar Bipont. Vx. Amelia fil. Alberti El. Brandeb.
- Alex. Bipont. Vx. Margar. fil. Craftonis Com. ab Hohenloe.

- Rupert. mor. 1544. Vx. Vrsula fi. Io. Rheingrauij.
- Ludou. Bipont. mor. 1532. Vx. Elisab. fil. VVilhel. Landgr. Hassiæ.

- Georgius Ioh. ob. 1592. Vx. Anna Maria fil. Gustaui Regis Sueciæ
- VVolfang. Bipont. na. 1526. ob. in Gallia. 1569. Vx. Anna filia Philippi Landgrauij Hassij.

- Georgius Gustauus. Vx. Elisab. fil. Christophori Duc. VVirtemberg. 2. Elisab. Co. Palatina Io. fil.
- Otho Henric. de Sultzpach nat. 1556. ob. 1604. Vx. Dorothea fil. Christophori Duc. VVirtembergæ.
- Fridericus conditor arcis Friderichsperg nat. 1557. ob. 1597. Vx. Cathar. Sophia Hen. Duc. Lignicēsis.
- Philipp. Lud. de Neuburg. nat. 1547. ob. 1614. Vx. Anna fil. Ducis Cliuiæ.
- Io Bipont. nat. 1550. ob. 1604. Vx. Magdalena fil. VVilhelmi Ducis Cliuiæ.
- Carolus de Sponhelm. nat. 1558. ob.

- VVolfgangus VVilhel. nat. 1578. ob. 1653. Vx. Magdal. Bauarica.
- Frider. Casimirus Can. Argent. nat. 1585.
- Io. natus 1584. Vx. Princip. de Rohan.
- Io. Casimirus natus 1589.
- Frider. nat. 1594.
- Georg. VVilhelmus nat. 1591.
- Christianus natus 1598.

EX FILIO FRIDERICO

- Philippus VVilhel. nat. 1615. Vx. Anna Cather. Constantia Polonica 2. Elisab. Amalia Hassiaca.
- Ferdin. Philippus ob. 1633.
- Eleonora Francisca

- Ruper. Ep. Ratispon.
- Io. Simeren. Vx. Ioanna filia Io. Com. Nassouij.

Ioan. II. Vx. Beatrix Badensis 2. Maria Com. Oeting.

Fridericus Elector. Vx. Maria fil. Cazimiri Marchion. Brandeburg.

Ludouicus Elector. Vx. Elisabetha fil. Philippi Landrag. Hassiæ.

Fridericus IV. Elector. Vx. Ludouica Iuliana fil. VVilhelmi Principis Vraniæ.

IM-

an.1400 *IMPERII OCCVPATIO. An.* 1400. an.1400

III. *Fridericus Cæsar.* CVm *VVenceslao* Electores abrogassent imperium; in eius locum, *Fridericum* Ducem Brunsuicensem, natum *Magno* Iuniore, & *Catharina* filia *VVoldemari* Marchionis Brandeburgensis, postremi ex stirpe *Ascania*, Principem bellicosum, & prudentē suffecerūt. Erat ei vxor *Anna* filia Duc. Saxoniæ, ex qua tulit *Annā* vxorē *Friderici* Ducis Austriæ; & *Elisabeth*. Quia verò inuisus erat Archiep. Moguntino, ab hoc in reditu à Comitijs structas fuisse insidias per Comitem
IV. *VValdecensem* propè Fritzlariam, scribit *Mutius*, & trucidatum. Extat *Friderici* Moneta aurea, quam sculptam vide supra pag. . . . Magni inde per Germaniam motus, & in Moguntiam illud peruulgari cœpit, quod Moguntiæ in limine cathedralis basilicæ inuentum est lapidi cuidam incisum. *Moguntia ab antiquo nequam.* Conuenientes denuò
V. eodem anno Electores, rerum summam ad collegam ipsorum *Rupertum* Ducem Bauariæ, & Rheni Palatinum detulere. Coloniæ coronatur, cum Aquisgranenses eum recipere nollent, siue quod *VVenceslai* exauctorationem non probassent, siue quod VI.
discordibus votis fuisset electus.

Præcesserat quoque *Ruperti* inaugurationem *Iodocus Barbatus* Princeps Morauiæ. VII. *Iodoci electio.* Hic sexto post Comitium mense, fato concessit, & consentientia vota Septemuirum *Ruperto* reliquit. Volunt alij, vt *Peucerus* non post abdicatum *VVenceslaum*, sed ab obitu *Ruperti* electum *Jodocum* non cunctis suffragijs, sed à solis Episcopis, & *Sigismundo* patruele, qui per legatum Burggrauium Norimbergensem suffragium tulit. Palatinus, & Saxo accedere recusarunt.

Iodocus, vt habet *Æneas Syluius*, planè VIII. *Mores.* ad res gerendas ineptus fuit, neque aliquid boni vel memorabile edidit toto vitæ tempore, ferè *VVenceslao* similis. Nonagenarius imperium adijt. Extat eius Constitutio.

De resistendo Regiæ Maiestati, si contra ordinationes Imperij fecerit.

IX. *Lex.* *QVod si Nos ipsi (quod absit) aut quispiam successorum nostrorum, Romanorum Regum vel Imperatorum (quod non speramus,) processu temporis aliquo, huic nostræ statutioni, & ordinationi contrauenire voluerit, aut eam retractare, aut aliquo quouis modo violare præsumpserit, præsentium authoritate literarum, quas mera nostra authoritate, & potestatis plenitudine Regia, ex certa nostræ Maiestatis scientia, nec non cum consensu & beneplacito præfatorum sacri Romani Imperij Principum Electorum, in robur perpetuæ firmitatis sancimus, ex tunc tam ipsi Electores, quam cæteri Principes, Ecclesiastici & seculares, Prælati, Comites, Barones, Nobiles ac Communitates sacri nostri Imperij, vniuersi & singuli, præsentes ac futuri, licitam habeant sine rebellionis aut infidelitatis crimine, resistendi & contradicendi Nobis & nostris successoribus, Romanorum Regibus, vel Imperatoribus, in perpetuum libertatem. Datum in Frankenfurt &c. Anno Domini MCCCCX. Anno vero Regni primo.*

Sex mensibus cum præfuisset imperio, X. *Peucer. Æn. Syl.* diem suum obijt, & Brunnæ in Morauia sepultus est. Eius Genesim à *Ioanne* Marchione Morauiæ, & *Margareta Maultaschia* filia *Genesis.* *Henrici* Ducis Carinthiæ deducunt Comitis Tirolensis; nutat tamen in incerto. Auus eius fuit *Henricus VII.* Imperator. Patruus eius *Carolus IV.* Imper. Fratrueles *VVenceslaus*, & *Sigismundus* fratres Imperatores.

RVPERTI IMP. EXPEDITIO ITALICA. An. 1402.

XI. *Forma corporis Ruperti.* COronatus *Rupertus*, qui primùm (teste *H. Mutio*) oblatum recusarat imperium; animum adiecit, vt collapsum penè restitueret imperium. Fuit *Rupertus* acris ingenio, corpore paruus; sed magnus animo, maiestatis Imperij ac rerum publicarum per quàm amans, ac studiosus. In damnum imperij, *Ioanni V. Comiti* ditiones venditas fuisse Mediolanenses, Ducatus titulo, exagitabat *Rupertum*, atque vindictam machinabatur. Compositis propterea Germaniæ principibus, quoad potuit; *Ludouicum* Comitem Palatinum Rheni elegit Imperij vicarium.

DE

an.1401

DE VICARIATV IMPERII GERMANICI IN ABSENTIA IMPERATORIS.

RVpertus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, vniuersis nostri & sacri Imperij fidelibus, ad quos præsentes peruenerint, gratiam nostram & omne bonum.

1. *Regiam decet Maiestatem illis præcipuè exquisitis intendere laboribus, illis etiam iugibus peruigilis mentis vacare considerationibus, per quæ & Sac. Romanorum Imperium nostris præcipuè temporibus optata suscipiat incrementa, res ipsa publica debitis foueatur subsidijs, & diuorum nostrorum more prædecessorum Regiæ Maiestatis gladius cunctos vibrantibus terreat aciebus persecutores, & per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, atque resectis vepribus sub sacro militantes Imperio desiderata pace fruantur.*

2. *Sanè cum disponente Altissimo pro corona Imperialis diadematis suscipienda ad præsens partes Italiæ simus ingressuri, & vt S.R. Imperij status, salubris tranquillitas & Resp. publ. interim in Germania, Gallia & regno Arelatensi, in absentia nostri copiosius atq; fructuosius procuretur, de Illustris & Magnifici Principis Ludouici Comitis Palatini Rheni, & Bauariæ Ducis, filij nostri charissimi, legalitatis & gratæ circumspectionis industria præsumptionem & fiduciam vtiq; habentes indubiam, præcipuè etiam aduertentes à diuis Romanis Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris hactenus extitisse obseruatum, ac etiam de iure Comitatus Palatinatus Rheni fuisse et esse, quod cum Romanus Imperator vel Rex vltra montes Italiam ingressus fuerit, in ipsius absentia vicariatum Imperij in Germania, Gallia & Regno Arelatensi ad Comitem Palatinum Rheni pertinuisse & pertinere, eundem dilectum filium nostrum Ludouicum, animo deliberato non per errorem aut improuidè, sed sano & maturo Electorum, & aliorum Principum, Comitum, & Nobilium nostrorum, & Imperij sacri fidelium freti consilio & consensu, de certa nostra scientia, & Regia plenitudine potestatis per S.Roman. Imperij in Germania, Gallia & Regno Arelatensi prouincia, principatus, dominia, districtus, ciuitates, oppida, castra, villas, & eorundem pertinentias, qualitercunque nominatis omnibus, iure, via & modo quibus melius & efficacius possumus & debemus, facimus, constituimus & ordinamus, nostrum & S.Rom. Imperij in Germania, Gallia & Regno Arelatensi vicarium generalem.*

3. *Dantes ex nunc, & tenore præsentium concedentes eidem plenam, liberam & omnimodam auctoritatem, temporalem & generalem iurisdictionem, & gladij nutu & prouidentia Altissimi nobis contraditi potestatem, merum & mixtum imperium, ac etiam administrationem, & iurisdictionem omnimodam, contentiosam & voluntariam, vice & auctoritate atque nomine nostris in præfatis S. Imperij prouincijs, principatibus, dominijs, districtibus, ciuitatibus, oppidis, castris, villis & eorundem pertinentijs qualitercunq; etiam nominatis, per se vel per alium seu alios exercendi, animaduertendi, exequendi in facinorosos et delinquentes & reos homines, eosq; & rebelles quoscunq; puniendi, relegandi, deportandi, vltimo supplicio addicendi & deputandi, & alias coercendi ratione præuia & mediante iustitia, prout criminis qualitas exegerit, & delicti ac culpæ rebellium & excessus. Et vt etiam apud & per eum per se ac suum seu suos commissarios, & ad hoc per eum deputandos merum, & mixtum Imperium, administratio & iurisdictio huiusmodi contentiosa siue voluntaria in loca & homines, cuiuscumque status, præeminentiæ vel conditionis existant, infra terminos & limites supradictos consistentes vel consistentia (salua tamen semper sacrosancta Ecclesiastica libertate) liberè exerceantur, secundum quod ius seu ratio persuadent.*

4. *Concedentes nihilominus eidem, & illi seu illis, quibus hoc commiserit, & in ipsum illum vel illos iure plenario transferentes auctoritatem, potestatem & licentiam generalem, ne suis quis militet stipendijs, collectas & datias, consueta onera realia & personalia et mixta, quocumque nomine censeantur, nobis & nostro Imperio debitas seu debita, debendas seu debenda, nec non omnes census, reditus, iura, prouentus, emolumenta, oblationes, conductus, telonea & pedagia principatuum & dominiorum, monasteriorum, ciuitatum, terrarum, territoriorum, districtuum, oppidorum, castrorum, villarum & locorum ad nos ratione Imperij, & ipsum sacrum Romanum Imperium in Germania, Gallia & Regno Arelatensi, de iure consuetudine aut alias pertinentes et pertinentia, exigendi, leuandi et recipiendi, et ad vsus suos pro defensione sacri Imperij et pro ipso*

Impe-

an. 1401 *Imperio ac euidenti expensarum necessitate supportandi & applicandi: penas & mulctas ratione prævia imponendi, leuandi, & ex causis rationabilibus augmentandi, minuendi, remittendi in iudicio & extra: Iudæos Cameræ nostræ seruos acceptandi, & defendendi: bona damnatorum, rebellium et reorum iustitia exigente confiscandi & publicandi: officiales quescunque, & præsertim nostri Imperialis iudicij sine eorum iuris præiudicio, ipsis in suis officijs competentis, et vsque ad præsens in eisdem habiti & quæsiti) instituendi & destituendi: nec non de omnibus criminibus ordinarijs et extraordinarijs, enormibus, leuibus, publicis & priuatis cognoscendi, puniendi, et executionem faciendi tam secundum iura municipalia, quam communia seu legis cognitionem: & decisionem huiusmodi committendi, in integrum restituendi, bannum imperiale pronuntiandi, absolutionem concedendi: infamia tam iuris, quam facti notatos publicandi, eamque iuris infamiam tollendi, & super eam dispensandi: de causis principalibus, & appellationum ad nos, & sacrum Imperium interpositarum seu interponendarum, quibuslibet tanquam noster, & Imperij sacri Vicarius generalis cognoscendi, examinandi, & definiendi, & alia, quæ causarum merita requirunt, exercendi & exequendi; ferias et nundinas instituendi, imponendi, collocandi & concedendi: rebelles S. R. Imperij persequendi et puniendi, priuandi, & exuendi feudis, gratijs, libertatibus, immunitatibus, indultis, iuribus quibuscunque temporalibus: infames & inhabiles reddendi, pronuntiandi, declarandi: atque destitutos, priuatos vel exutos per se, vel alium seu alios, etiam per iudicium dictum* Stillgericht, *aut alia quæcunque iudicia damnatos, & extra ius (vt moris est) sententialiter constitutos & depositos ad honores, status, officia, iura pristina in integrum liberè restituendi: Decreta, statuta ac prouisiones in prædictis omnibus & quolibet faciendi de nouo, corrigendi, & in totum tollendi, semel, pluries, & totiens quotiens oportunum fuerit, & ordo dictauerit rationis.*

5 *Omnia & singula feuda sacri Imperij vacantia vel cum vacauerint, committendi et conferendi, ac de alijs infeudandi, & inuestigandi (exceptis duntaxat feudis insignijs Archiepiscoporum, Ducum & Marchionum, & quæ cũ vexillis seu gladijs recipi consueuerunt, & de quibus Officialibus Imperialis curiæ de more seruitur) & ab illis sic recipientibus feuda, dum & quoties se casus obtulerit, homagij, fidelitatis, obedientiæ & deuotionis debita iuramenta nostro & sacri Imperij nomine & vice postulandi & recipiendi: ad Canonicatus & præbendas ac dignitates, etiamsi curata ac electiuæ & maiores post Pontificales in Metropolitanis, & Cathedralibus ac principales in Collegijs existant, personatus, Ecclesias parochiales & beneficia & officia Ecclesiastica seu temporalia, dum & quoties vacauerint, personas apta & idoneas præsentandi, & eas ad ea conferendi: Dotes, dotalicia, sponsaliorum largitates ac donationes propter nuptias admittendi et confirmandi: mente captis furiosis, & alijs personis, quæ sui iuris non existunt, curatores, orphanis, pupillis, & viduis tutores & defensores præficiendi, ac tutores & defensores minus legitimè datos confirmandi, deuolutiones fiscales quorumcunque dominiorum, prædiorum & agrorum aut hereditatum, seu etiam rerum mobilium, dummodo ius & ratio illud exegerit, nostri & Imperij nomine exigendi, tenutam & possessionem talium accipiendi.*

6 *Dantes etiam & Regia concedentes auctoritate et de certa scientia, nostro ac sacri Imperij Romani Vicario generali supradicto potestatem plenissimam, Notarios publicos et tabelliones cum auctoritate, & potestate plenarijs creandi, faciendi, & de tabellionatus officio instituendi seu inuestiendi (vt moris est) per pennam & calamarium: recepto ab ipsis prius & eorum quolibet pro nobis ac sacro Imperio debitæ fidelitatis solito iuramento: hoc ipsum etiam eadem auctoritate alijs concedendi & committendi, eosque eorum exigentibus demeritis priuandi & destituendi: ac etiam naturales manseres, spurios, bastardos, & quolibet de damnato siue illicito coitu procreatos, viuentibus seu mortuis eorum parentibus ritè legitimandi: etiamsi forent filij Illustrium Principum, Ducum, Comitum & Baronum, & eos natalibus & omnibus legitimis iuribus restituendi, omnemque genituræ maculam & natalium defectum abolendi: ad omnia & singula iura successionum etiam ab intestato cognatorum, & agnatorum, honores, dignitates, officia, & ad singulos actus legitimos admittendi & admitti mandandi (sine tamen legitimorum hæredum præiudicio) ac si eßent de legitimo matrimonio procreati.*

7 *Et generaliter omnia et singula liberè faciendi*

eiendi & exercendi, quæ ad verum sacri Imperij Vicarium generalem pertinent; etiamsi qua ex eis iure, & consuetudine specialius exegerint mandatum, etiamsi maiora fuerint supra & infra expressis, & quæ ad nos & sacrum Imperium faciendi, & agendi pertinere dinoscuntur de iure, consuetudine, seu plenitudine Regiæ potestatis: non obstantibus quibuscunq; literis datis vel dandis, legibus, constitutionibus, consuetudinibus, statutis & iuribus municipalibus & localibus, generalibus & specialibus contrarijs, quacunque firmitate roboratis. Quibus omnibus, & singulis, in quantum præsentibus obuiare seu eis derogare possunt, ac si talia specifice in suis capitulis, et punctis de verbo ad verbum hic forent inserta, & nominatim expressa, de nostra certa scientia, & de plenitudine Regiæ potestatis specialiter derogamus, ac viribus carere decernimus, & declaramus.

8 Mandantes nihilominus firmiter, & districte præcipientes vniuersis, & singulis Ecclesiasticis, & secularibus Principibus, etiamsi Pontificali præfulgeant dignitate, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, ministerialibus, militibus, Clientibus, Vasallis, Ciuitatibus, Oppidis, & eorum vniuersitatibus, locorum rectoribus, & eorum communitatibus, castris, villis, subditis, terrigenis, incolis, habitatoribus, castellanis, custodibus, officialibus, & hominibus quibuscunque, cuiuscunque etiam præeminentiæ, dignitatis, status, gradus seu conditionis existant, præsentibus & futuris, quatenus prædictum Ducem Ludouicum filium nostrum carissimum, nostrum & Imperij Vicarium generalem taliter, vt prædicitur, a nobis constitutum, & personam nostram figurantem: benignè & absque difficultate qualibet recipiant, & sibi ac officialibus suis, quos constituet loco sui, omnibus & singulis nostro, & Imperij nomine fideliter, & effectualiter tanquam nobis in omnibus obediant, pareant & intendant realiter, & cum effectu, vt exinde eorum sincera deuotio per operum efficaciam elucescat. Sub pœnis per præfatum nostrum et Imperij Vicarium constituendis, infligendis, nec non sub pœnis nostræ indignationis grauissimæ, & mille marcharum auri purissimi: quas ab ipsis, qui secus attentare præsumpserint ausu temerario, totiens quotiens contra factum fuerit, irreuocabiliter per ipsum seu substituendos ab eodem exigi volumus, suisque vsibus prout sibi videbitur applicari. Harum sub nostræ Regiæ Maiestatis sigilli appensione testimonio an. 1402 *literarum. Datum Augspurg tertia feria post Festum Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, Anno Domini MCCCCI. Regni verò nostri anno secundo.*

Ad mandatum Domini Regis Io. VVeinheim.

Inde fœdus cum Florentinis iuratis hostibus Mediolanensis Ducis percussit: & collectis copijs, in Italiam descendit, *statuens* (refert ex Mutio transcribere) *labantem per Italiam Imperij statum restituere in pristinum locum. Vocabatur a quibusdam magnis ciuitatibus, quæ miserunt pecuniam in vsum expeditionis. Verum contra erant ciuitates, & Principes, qui quum primum audiuerunt in Germania conscribi milites, se quoque ad bellum parabant. Plus autem temporis in apparando consumpsit, quam incipiens in animo habebat, decreuerat enim ante Pentecostem Romæ esse, & vix in autumno ad primum Italiæ limen peruenit.* XIV. *Vbi venit in Brixiæ ciuitatis agrum, concessit militibus omnia diripienda, et prædam eis reliquit, nam ea vrbs erat subiecta Galeatio quo cum erant magna odia, & simultates Ruperto. Quare Galeatius, qui se ad bellum parauerat dum Rupertus adhuc in Germania profectionem adornaret, occurrit Germanis obuiam, ad defendendos Brixianos. Erat autem Galeatio, præter peditum copias instructissimas; equitatus expeditus & robustus. Primum ergo vbi alteri alteris venerunt in conspectum, prælia leuiora sunt commissa equestria & pedestria: equestria autem frequentius. Fauit autem sæpius Mars equitibus Italis; peditibus vero Germanis. tandemque pedites Galeatij continuerunt omnes se in castris; equitibus vero alacritas quotidie crescebat magis propter fauentem fortunam. Germani enim inferiores erant Italis in equis regendis. Cumque in dies magis atque magis venirent in contemptum equites apud hostes, & apud suos (milites enim ita despiciebant eos, vt in faciem eis dixerint, Concedite nobis vsum equorum, nos pugnabimus, vocabantque eorum equos cancros) factum est, vt quidam Principes Germanorum, qui multos ex equitatu perdiderant, domum reuersi sint: quorum vnus fuit Lupoldus Dux Austriæ. discessit etiam inuito Imperatore Archiepiscopus Coloniensis, & Moguntiæ, qui magna pars Cæsariani equitatus fuit. Quare multis infelicibus pugnis equestribus, & discessione illorum Rupertus, ne aliquid gra-*

an.1402 uius incideret, rediit Tridentum cum copiis, quod non parum animi addidit hostibus eius omnibusque rebellibus per Italiam ciuitatibus.

XV. Quare in magnis angustiis constitutus fuit Imperator, nam pergere sine magno discrimine, redire in Germaniam sine dedecore, & existimationis iactura, non potuit. tandem tamen maluit periculose quàm turpiter agere. Animaduertens igitur peditatus alacres animos, Taruisium adiit, postea Patauium: Patauii obuiam veniunt legati Florentinorum, qui magnam pecuniam illi dederant, antequam exiret ex Germania, & cum primum attigit Italiam. adhortantur eum aduersus Galeatium eorum ex professo hostem (diuturnum enim cum hoc duce Mediolanensi gerebant bellum) Imperator rei difficultatem Florentinis indicauit, maioribus copiis Germanorum, maiori apparatu opus esse, curandumque vt Pontifex Rom. & Veneti se iungant socios eius belli aduersus ducem gerendi. Praeterea ob dictas causas maioribus copiis in Germania conscribendis, maiorem pecuniam esse necessariam, quare magnam pecuniae vim à Florentinis sociisque eorum petit. Legationeque remissa iubet quam primum respondere quid velint facere, pecuniamne numerare, an vt ipse in Germaniam reuertatur. Haec vbi retulerunt domum legati, valde dubii redditi sunt Florentini, velintne plus pecuniae mittere, an eam quàm primo dederant, perdere: imo non solum perdere, sed se cum pecunia perdere: nam sciebat Galeatius maxime ob pecuniam quam miserant Florentini Ruperto, Germanos in Italiam venisse. Facile coniiciebant quid conaturus esset contra Florentiam, & eius socias ciuitates post abitum Imperatoris. Quare censebant Imperatorem omnibus modis retinendum esse in Italia, etiamsi exhaurienda esset tota Respub. Et praeterea omnibus viribus iuuandum, curandumque magna diligentia, vt Veneti & Romanus Pontifex quoque accederent suis partibus. Quare statim mittunt ad Rupertum legatos, qui eum admoneant quid tota Italia censura sit si ita recedat, quid Germania dictura, nempe non rediisse, sed fugisse Galeatium; nec vllum tempus hoc dedecus, & hanc turpitudinem ablaturum. in hanc sententiam multa dicunt, quae facere videntur ad deterrendum, ne in Germaniam redeat. per eosdem legatos pecuniam promittunt quam postulauerat, nec non auxiliares manus, viamque & rationem simul indicant qua facile hostem vinci posse demonstrant. effecturos etiam apud Pontif. Rom. & Venetos vt auxilio sint, pollicentur. Addunt legati quae gloria consecuta sit Caesarem, si deuicerit hunc hostem. omnes rebelles per Italiam ciuitates pendere ab hoc duce, quo victo, omnes certatim obuiam venturas, & gratiam petituras. Et hoc genus mediis docent maiora commoda consecutura, quam ipsa difficultas rei sit. Haec dum missis legationibus aguntur inter Rupertum, & Florentinos, incidit brumale tempus quo bellum geri non potuit. Hybernare igitur Imperat. constituit in amicis ciuitatibus. Incidit vero per hyemem non parua contentio inter Rupertum Imper. & Florentinos de data, & promissa pecunia, asserente Ruperto, non datam suo tempore promissam pecuniae summam: Florentinis autem respondentibus, Rupertum nondum meritum fuisse pecuniam (neque enim recepisse se daturos antequam ingrederetur cum exercitu hostilem Galeatii regionem) Imperatorem autem male habuit, quod Florentini eum obligabant tam seruilibus conditionibus. Imperator autem per eam hyemem nonnihil temporis consumpsit Venetiis. post natiuitatem Christi, repetiit Patauium, ibi expectauit mitiorem verni temporis auram. Cumque neque Florentini prompti satis essent ad promendas pecunias, neque auxiliares paratae essent manus apud Florentinos, neque adhuc Pontifex Rom. & Veneti iunxissent se consortes belli, statuit alio tempore hoc cum duce Galeatio bellum gerendum, & Romam petendam, copiis auctioribus, reduxitque copias in Germaniam. Sic illi contigit, & in Italia, & per Germaniam quod legati Florentini praedixerant de existimationis nota; quanquam solùm apud iniquos, quorum semper numerus maior est, rerum aestimatores. & Dux Mediolanensis post reditum Ruperti in Germaniam, adiecit animum ad totius Italiae regnum, primusque conatus illi feliciter cessit, nam Bononiam in suas manus accepit, & vocabatur in certam spem capiendi Florentiam. Sed Dominus non annuit amplius eius cogitationibus vanis, vt sunt omnes stultae, & vanae cogitationes omnium hominum qui non habent Deum in conspectu suo, & non ponunt Deum mercedem praesidiumque suum. Nam in medio cursu corripuit eum acuta quaedam febris, quae hominem interfecit. Difficulter autem auulsus est ab huius vitae possessionibus, sicut solent omnes

an.1402

Redit in Germaniam. XVI.

Io Dux Mediol. obit. 13.

an.1402 *nes qui diuites in hac vita putant se esse, arrogantes sibi creaturas, quas Dominus creauit vt cum gratiarum actione vtamur eis. Post huius mortem Florentini tranquillitatem consecuti sunt, quanquam enim reliquerit filios duos eiusdem mentis, ingenij, & propositi quo pater fuit: tamen non fuit illis tantum temporis & ocij, vt arma in Florentinos mouere potuerint, du-*

catus enim Mediolanensis magna pars rebellare cepit, ob patris duritiem, & quod filios similiter animatos videbat. Reliquitque, & vxorem viduam quæ post Galeatij mariti mortem imperiose, & superbe (quali muliere vix est intolerabilius malũ) exercuit tyrannidẽ in omnes subiectos: quã tamen vltor pauperũ Deus nõ diu passus est viuere post mortẽ Galeatij mariti sui. an.1402

SIGISMVNDVS REX HVNGARORVM CARCERI DATVS.

XVII. *Maria Hung. Reg. nubit Sigismundo.*

MAria *Ludouici* Hungarorum Regis filia *Sigismundo* filio *Caroli IV.* Imper. nupserat, vt *Ludouicus* eius parens testamento cauerat. Porrò quia *Sigismundus* adhuc impubes erat, ex compacto ita nupserat, vt ad maturas vsque nuptias virum non duceret: consumatis nuptijs, tunc *Sigismundum* in regni consortem duceret. Interim ob gloriosam *Ludouici* memoriam, *Mariam* in Regem salutarunt. Regni hæc fælix gerebat habenas, donec odio *Nicolai Garæ* Palatini,

XVIII. *Carolus Rex Apuliæ, salutatur Rex Hũgar.*

cui per omnia Regina fidebat, proceres concitati; *Carolum Paruum* Regem Apuliæ, in Hungariam accitum, Regem salutarunt, *Mariæ* regno abdicato. Is erat *Ludouici* nepos, quem *Vrbanus* Pontifex, *Ioannæ* Reginæ insolentiam domitare cupiens, *Ludouicum* exorauit, vt se adiutore, *Andreæ* fratris mortem vlcisceretur, regnum reciperet, quod suorum fuerat, *Ioannam* eijceret, non minùs de suis, quàm de Romana Ecclesia immeritam. Delatam belli cõditionem *Ludouicus* nè inuitus accepit, vt regnum comparaтet nepoti. Quare *Carolo* in Taruisino *Sal. An. 1381.* agro in Venetos agenti mandat, vt inde profectus *Ioannam* impetat, paternum regnum occupare nitatur. *Carolus* mandatis obtemperans, in fines Neapolitanos irrumpit. Omnia opinione faciliora fuerunt. Vrbes, oppida aduenienti patefacta. Neapolis ipsa vrbs amplissima dedita. *Iohanna* arcis munitione aliquamdiù bellum defendit. Spe



tandem amissa, deditionem facit: dedita, in custodiam coniecta, anno sequente iussu *Ludouici* Pannonij ea parte suspendio necata est, vbi ipsa viro *Andreaßo* gulam fregerat. Inde *Carolus* auctore *Vrbano* Rom. Pontif. Neapoli Rex coronatur. In hunc porrò concitatur *Ludouicus Andegauensis* Dux, qui ab Antipapa *Roberto* Rex Hierusalem, & Siciliæ renuntiatus, & regno quærendo, & *Vrbano* in ordinem redigendo, ingentes copias Romam, & in Regnum Siculum trahebat. Cum venisset, misit ad *Carolum*, vti sibi illo cederet, ab Regina *Ioanna* dono dato: pareret decreto *Clementis*: ab eo enim se Regem

an. 1402 creatum. Respondet Carolus, *ius non fuisse*
Ioannæ, spe regni fraudare reliquam sobolem
Caroli I. Siciliæ Regis, à quo ipse sit oriundus:
nec penes Clementem esse arbitrium dandi,
adimendiuè Regni; eum non esse verum Pon-
tificem, sed Pontificis hostem: Pontifici Vrbano
id iuris esse: sibi ab eo collatum; ab Ioanna iustis
de causis ablatum esse. Interim dum calamo,
gladioque certant, *Ludouicus* peste absum-
ptus *Carolum* reliquit, qui in Deum, & Pon-
tificem impius, perfidiæ apud Hungaros
pœnas luit: nec diu Hungarorum regnum
iniuria vsurpatum, tenuit alienum.

Nam *Maria* manu *Blasij* cognomento
Forgach tyranno sublato, regnum recupera-
uit, & virum *Sigismundum*. Cadauer inse-
pultum iacuit, humanæ conditionis, regalis-
que miseriæ spectaculum. Accidit hoc An-
Occiditur no 1385. Cæso *Carolo*, Reginæ nil vltra ve-
rentur, tuta putant; Quum D. Iacobi festo,
Diacum versùs iter facerent, ecce in medio
campo Io: Croaciæ Præfectus, qui *Caroli* vl-
turus cædem, coacta tumultuaria multitu-
XIX. dine, reginas adoritur. Palatini se hostibus
impares cognoscentes, fugère omnes exce-
ptis *Blasio Forgachio, & Nicolao Palatino*.
Ille ingenita fretus audacia, dum primos
impetus excipit, obtruncatur. *Palatinus* de
sperata salute, forti animo mori statuens,
dum dextrum Reginarum latus acerrimè
protegit, tandem telis obrutus cadit, non ta-
Elisabetha regina Hungar. demergitur men incruenta hostibus preda relicta. Mox
Croaci euerso Reginarum cursu, conculcato
pudore, & obliterata regia dignitate, reginas
cum matronis crinibus distrahunt ad Præfe-
cti conspectum. Vbi quum sæpiùs *Caroli*
necem infrendens obijceret, *Elisabetha*, &
Maria supplices ad genua prouolutæ ve-
niam rogant: ille obstinatissima feritate tu-
midus, vt diram crudelitatem ocyus exple-
ret, terga vertens, quid fieri cupiat, satelliti-
bus edicit. Ingruente nocte, mater *Mariæ*
subducitur, & in Bozotam amnem regina
demergitur. *Maria*, quia culpæ expers se fe-
rebat, ab hoste ignoscitur, vel diuina cle-
mentia seruatur, vt superesset, qui *Horuati*
immanitatem vlcisceretur. Virgines forma,
ac nobilitate præstantes militarem expleue-
re libidinem. *Maria* seorsim asseruata pa-
rum abfuit, quin pari fato periret. Misera-
bile spectaculum quo & Regum miseria, &
grauitas diuini refulget iudicij. Suos inimi-

cos per inimicos punit. *Carolus* regnandi an. 1402
cupiditate succensus, quum per nefas sorori
sceptrum eripuisset, audaciæ pœnas expen-
dit. *Regina, Palatinus*, & parricida *Blasius*
patrati sceleris non longè distulere suppli-
cium. Sequenti die in Croaciam Maria ab-
ducitur, & in castello cui *Crupa* nomen erat, *Maria*
seruatur. Cum deferbuisset furor, seruitia ad *captiua*
curandum eius corpus subministrare cæpit, *abducitur.*
ipse sepiùs inuisit, sperans *Horuatus* vita XX.
Mariæ plurima posse euitari discrimina.
Sigismundus interea qui celebratis nuptijs, in
Bohemiam aufugerat, de *Caroli* morte, & de
recuperato regno, *Mariæ* ac *Elisabethæ* li-
teris certior factus; reginarum verò casum,
qui paulo post intercesserat, nondum noue-
rat, nil vltra cunctandum ratus, coactu exer-
citu, superioris Hungariæ fines ingreditur, *Sigismundi aduentus.*
vbi plurimos regni proceres obuios habens,
Budâ peruenit, nemineque reluctante in ar- XXI.
cem admissus, sibi de cæde socrus, ac de vxo-
ris repentè carcere admonitus, facinoris in-
dignitate correptus, nōdum acceptis per Sa-
cramentum obsequijs, neque confirma-
to regno, celerem protinus in *Horuatum*
expeditionem subit. *Ioannes* tamen co-
gnito *Sigismundi* aduentu, & quod regno si-
ne controuersia potiretur, pœnitentia du-
ctus, *Mariam* sequentibus addit. *Ludouici* *Maria liberatur.*
memoria te, Maria, seruauit, ne cum matre pe- XXII.
rires ob nefariam Caroli Regis cædem. Pœnitet
me peccasse, si peccatum est tollere regicidas.
Ne tamen Ludouici de me optimè meriti san-
guine manus pollerem, tibi, Maria, peperci; imò
te liberare cogito, quando cautionem habeas, ne
pietatis meæ nulla me vnquàm pœnitentia
subsequatur. De hac cogita, vel materno tu
quoque fato perire. His dictis abijt. Maria ve-
rò collacrymans reuocat, supplexque iurat,
si regno restituatur, *Ioannem* se patris, ac Gu-
bernatoris loco semper habituram; hoc alla-
tis Diuorum confirmat reliquijs. Exoratus
Ioannes non minùs imprudens, quàm ferox
spolia disquirit direpta, quæ inueniri ne-
queunt, ipse rependit, postremò cum hone-
sto procerum nobiliumque comitatu Bu-
dam remittit. Quacunque transiret, popu- XXIII.
los obuios habuit festantes, quasi *Ludouicus*
pater ex inferis redijsset. Quum Budæ ap-
propinquasset, virum cum legionibus, ac
ciuitate vniuersa obuium habuit. Intermi-
scebant congratulationibus lacrymas, &
Maria

an.1402 *Mariæ* ingeminatione omnia resonabant.
Cum ad *Sigismundum* venit, mutuis se se am-
bo lacrymis, osculisque respergunt: mox
hæc prensanda omnibus porrecta dextera à
XXIV. *Sigismundo* in vrbem deducitur. Pro libe-
rata domina celebrantur soteria, nulla cessa-
uit ara, vbi non fuerit abunde supplicatum.
Mox de coronando *Sigismundo* in diem
Pentecostem Albæ conuentus indicitur. Vbi
postquàm de regni concordia *Maria* verba
fecisset, *Sigismundum* laudasset, quem manu
tenebat, sacrum diadema ac sceptrum, quod
ipsa in media concione gestabat, alterum
capiti imposuit, dextræ, iussu populi, pa-
trumque consensu, tradidit alterum. Initis
deinde in Stephaniæ de solemnibus, inter sa-
Sigismũdi coronatio. crificandũ à Strigoniensi Metropolita coro-
natio ritè celebrata est, anno ętatis *Sigismun-*
di vicesimo. Coronatione peracta, Mariæ
Sal. An. 1386. cum nihil materna vindicta videretur anti-
quiùs, dies, ac noctes *Sigismundum* incitabat,
nullum regalis decoris simulachrum eum
retinere affirmans, nisi in parricidam, qui sa-
cro manus cruore fœdarat, pro dignitate
animaduerteret. Victus Reginæ precibus
Mouet in Croatiã. *Sigismundus*, legiones duas cum equitibus
expeditissimis comparat, iter in Turcas si-
XXV. mulans. In Posegam (regale erat oppidum)
se recepisse *Ioannem* Croatiæ præfectum
monitus, illuc diuertit, arcem obsidet. *Ioan-*
nes ne fame periret, clam arci se subtrahere
decernit. Stabant in castris *Sigismundi* Ste
phanus Ladislai Vaiuodæ filius, & Stepha-
nus Simonthorna, qui dissimulata perfidia
se in Regis amicitiam insinuarant: quùm in
horum excubias Io. descendisset, fugam fa-
cile impetrauit. Mox traiecto Sauo (naui-
gando, an tranando fecerit? incompertum)
Dobor oppidum subiuit, quod in ea Bosse-
næ parte situm est, quam Vsoram appellant,
vbi Zagrabiensem Antistitem cum pleris-
que coniuratis esse nouerat. Horum perfi-
dia Dalmatæ, Bossenenses, & Croaci a regia
fide defecerant. Fuga cognita *Sigismundus*,
celer in rebelles descendit: cuius aduentu
Io. capitiuus. absterritis hostibus, *Joannes* ne iterum in
XXVI. angustijs se occluderet, ex oppido fuga exijt
clandestina, sed dum per auia montium lo-
ca iter facit, in Regis concidit insidias, & ad
Sigismundum adducitur. Interim expugna-
to Doborio, captis rebellionis auctoribus,
facile Croacia, omnisque Dalmatia redijt
ad obsequium. Pacatis regionibus in quin-
que Ecclesiarum vrbem Rex se recepit, vbi an.1402
pro *Maria* libidine de *Ioanne* supplicium
sumptum est, reuinctis ad palum manibus
per vicos, & compita curru circumuectus;
candentibus frustillatim forcipibus passim
discerptus, postremo ad Gemitorios vs-
que gradus tractus est, quadripartitoque dis-
sectus, frusta corporis, singulis portis ad
deterrendam facinorosam audaciam impo-
sita. Zagrabriensis Episcopus huius nouita-
tis auctor, ob sacrosanctam dignitatem,
quum capitalis esse non posset, Episcopatu
abdicatus est.

Post hæc in Valachos mouit, qui sceptrũ *Mouet in*
abominati fœmineum in tanta rerum per- *Valachos.*
turbatione defecerant. Rogati præstare ob- XXVII.
sequium, recusarunt. Quare quarto corona-
tionis anno in hos bellum iure suscepit. Præ-
erat Valachiæ *Stephanus Vaiuoda*, qui audito
Regis aduentu, montium præoccupari iu-
bet angustias, & inter Alpes *Sigismundo* oc-
currit. Attrox pugna committitur; Hungari
Sigismundo iubente, equo desiliunt, pedibus-
que pugnant, tandem Valachos ex alto de-
turbant, & per montium fauces ferro viam
aperiunt. Ad Vaiuodæ oppidum cum per-
uenissent; is postquam audacissimum ho-
stem instare cognouit, non vi sed precibus
vincendum ratus; antequam Rex castra-
metari accepisset, data sibi tutò adeundi fa-
cultate, ex arce obuiam prodit, & ad pedes
prosternatus ingenue errata fatendo, ve-
niam rogat, vectigalia exhibet, obsequium
iurat. *Sigismundus* ne inclementiæ nota
maiestatem aspergeret, post exprobrata fa-
cinora, admonet, ne regia abuterentur man- *Eis parcit.*
suetudine. Bene sperarent, si fideles persi- XXVIII.
sterent. Pacata demum prouincia, Budam
reddit, militem anni quiete reficit. Sexto re-
gni anno contempta *Sigismundi* clementia,
iterum Valachi deficiunt, Turcarum confisi
auxilijs, qui ad propagandum prophanum
imperium occasionem optimam nacti, lu-
bentissimè societatem inierant, cum multis
equitum turmis, & frequentissimo pedita-
tu ex Thracia profecti Istrum transmittunt.
Hoc primum fuit à Turcis religionis liber-
tatisque Christianæ exitium. Rex audita de-
fectione, delecto ingenti occurrit exercitu.
Superatis Alpibus, in effusos campos, vbi
erant hostium castra, agmine descendit qua-
drato.

drato. Collatis signis, pugnatum fortiter, sed felici Christianorum Marte. Cecidere hostes non minùs ferro, quàm fuga, multitudine obruti. Nocte ingruente signum receptui datum, ne quid insidiarum hostis

an.1392 moliretur. Rex Nicopolim contendit in

XXIX. altera Istri ripa sitam, hanc graui obsidione circumuentam, admotis machinis oppugnat. Vrbs duplici muro munita, pertinaciter se tuetur, arcem Valachi, ciuitatem protegunt Turcæ; erumpunt interdiu oppidani, & quandoque noctu sæuos in castris excitant tumultus. Rex eo intentiùs oppugnare pergit, tormentis verberat, potitur tandem, quicunque ibi deprehensi sunt, partim exilio, partim morte affecit. Insigni affectus victoria, nondum pedem in Hunga-

Mariæ obitus. riam retulerat, cum Reginæ *Mariæ* nuntia-

XXX. tur obitus. Hinc regi sollicitudo ingens oborta, quod defuncta sine liberis vxore, ad sororem eius *Adiugam* Poloniæ reginam, regnum iure cedere videretur. Nec *Sigismundum* fefellit suspicio. *Ladislaus* enim Polonorum Rex conscripto magno exercitu, Hungariam vxorio nomine repetens iam Hungariæ fines inuasisset, nisi *Ioannes Kanisa* Strigoniensis metropolita vir consilio, opibusque potens occurrisset, & Sarmatas in patriam suam redire compulisset. Budam regressus *Sigismundus*, exequias edidit regales, *Mariæ* corpore in patris sacellum relato. Ocium inde Regem penè perdidit. Perduelles, qui Reginarum tempore, sibi illisue insidias intenderant, cogitans impunitos (duo & triginta numerabantur, quorum Princeps *Stephanus Conthus* ex nobilissimo Hederuatorum genere, opibus & virtute præstans) *Georgium Vaidassium*, virum sibi fidum, cæterum vafrum, & audacem delegit, huic mandat vt rebelles quacumque liceat arte in regiam redigat potestatem. Descendit iste, assumpta fide cohorte ad inferiores regni partes, & dum ex mandato regionem lustrare simulat, audit non procul à Fauo subdio illos dormire. Immissis itaque insidijs, proxima nocte omnes adoritur. Vnus tantùm aberat (quem *Joannem Corpadum* dicunt) hic ita sibi timebat, vt semper ante diem surgeret. Somno experrecti,

Rebelles punit. certatim arma capiunt; *Georgius* contra mitissimis verbis confidere iubet, quod amicus

XXXI. non hostis venerit, cunctos Regi reconciliasse nunciat. Quum numero ac viribus se an.1392

se inferiores cernerent, præ metu in vanam fidem adducti, armis depositis, vltrò se se dedunt, ducunturque ad oppidum, cui Karom est nomen. Hic vinculis mancipati, Budam deferuntur. In itinere sera pœnitentia correpti, consilium ineunt, vt in *Sigismundi* conspectum adducti, nullum ederent venerationis signum, rati fore satiùs, mortem obire, quàm infenso parère tyranno. Obstinata horum pertinacia, veluti adempta benignitatis occasione, Rex admodum exasperatus, capitali supplicio corripi mandauit. *Stephanus* ante alios mortem adeo contempsit, vt quum alij à tergo à lictore obtruncarentur, is vnus fuerit, qui lictorem intentis

oculis spectare voluerit. Spectata famulus XXII.

(cui Ghioka nomen erat) Domini morte, in profusum conuersus fletum commiserabili vociferatione à cunctis spectatoribus lacrymas exigebat, nec vllius monitu à fletu coerceri potuit. Approbata *Sigismundus* famuli fide, *Iam* (inquit) *Dominus tuus ego sum, qui tibi magis, quàm truncus ille prodesse possum.* Ad hæc puer. *Nunquam ego Bohemico porco sanè deseruiam, quin etiam in partes mille discerpi malim, quàm à Domini magnanimitate deficere, cui Bohemi omnes parem animum præstare non possent.* His incensus Rex *Fatum* (inquit) *heri cum immanitate sequere infelix puer, & cui viuens in omni feritate sponte seruisti, mortui latus claudito.* Ille verò Regis imperium minimè detrectans, vltrò

ceruicem lictori supposuit. Tot procerum *Coniuratio in Sigismundum.*

supplicia inuidiam geminauit *Sigismundo*,

qui cum priùs diligi videretur, nunc sæui

more tyranni, ab Optimatibus formidari XXXIII.

cæpit. Intercesserat Mariæ obitus, quo Hungarorum amor sanè deferbuit: quare ad extremum vsque exitum *Sigismundus* sibi cauere coactus est. Augebat inuidiam bellum apud Nicopolim infeliciter gestum. Nam in Mysios (quos Bulgaros vocamus) *Baiaze-*

thes Turcarum Imperator, filius *Amurathis* *Mouet in Turcas.*

(is magnam Græciæ, ac Macedoniæ partem XXXIV.

occupauit, & Thraciam) post vsurpatam Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, Atticam, arma conuerterat. Hoc cum *Sigismundus* accepisset, ad *Baiazethem* legatum misit monens, vt prouincia in qua ius nullum habebat, se abstineret. Distulit ille responsum, donec vniuersam ferè prouinciam

ciam occupauit, deinde quum domos armis instruxerit, accito legato, *sat sibi iuris esse* respondit, *quando parietes etiam sua iura præferent*. Hæc referente legato, agnouit *Sigismundus* ius Turcarum in armis esse. Decimo itaque sui regni anno in Turcas expeditione decreta, plurimi ex Burgundia, Gallia, Belgio, Italia tulere suppetias, quorum insignia Budæ, in æde Nicolai parietibus affixa, expeditionis huius præstantiam testantur. Coacto igitur exercitu, comparatisque rebus ad bellum necessarijs, ex Hungaria in Rassiam, quæ est in superiore Mysia, castra mouet. *Sigismundum* in agmine quandoq; dixisse ferunt, *Tantus exercitus Turcas formidare non potest, imò nec Cælos, qui si forte ruerent, eorum ruinam stantibus hastis subire possemus*. Rassia non sine populatione transijt. At vbi in inferiorem Bulgariam, quæ est in inferiore Mysia, descendit, Oristum & Budinum Turcarum firmata præsidijs multo sanguine expugnauit. Kalendis Octobris ad maiorem Nicopolim castra mouet, ab vna Istri ripa maior, ab altera minor Nicopolis sita est, hæc Traiani, Hadriani illa victoriæ monumentum. Baiazethes audito Christianorum apparatu, ne Europa eijceretur, vniuersam Turcarum Rempublicam ad arma suscitauit, & innumera multitudine stipatus in Nicopolitanum agrum occurrit. Vrbs acri obsidione circumuenta, ac ingenti tuta præsidio, non impigrè obstabat, erumpebant sæpè Turcæ, ac varia fortuna potiti redibant. Appropinquante *Mammethe*, eò vires conuertere opus erat, relicta legione quæ ciuitatem eruptione prohiberet, cæteri omnes in Turcas qui iam venerant in conspectum, se se vertere. Galli primæ pugnæ partes instantissimè petierunt: concessum id facile. Mox aduentantibus Turcis; nondum instructa Hungarorum acie, nec dato signo, Galli elato clamore, concitatis equis in certamen descendunt. Vbi manus conseruere; hi Gallico more descendunt equo, vt pedibus congrediantur, equi dimissi inito prælio cum ingenti clamore in castra recurrunt. Turcis nil antiquius obtingere potuit, quàm vt ab equo cum pedite dimicarent; ab expedito itaque hostium equitatu circumuenti obteruntur Galli, misertimèque cæduntur. Subsidij spe firmati ad necem vsque dimicant, spe

Sal. An. 1396.

Dictum superbũ Sigismũdi.

XXXV.

tandem sua frustrantur: nam equi quos dimiserant, in castra præ tumultu relati, Hungaros absteruere, qui huius moris ignari dum socios cæsos suspicantur, metu perciti castra relinquunt, & palantes in fugam versi nullum imperatoris seruant edictum. Turca cæso Gallo, à tergo instat, fugientes sternit. *Sigismundus* ipse qui Cæli ruinam paulò ante contempserat, in manum hostium peruenisset, nisi parua cymba Danubium traiecisset, Xersis fatum nactus, qui contempto maris imperio, paruo nauigio in Asiam relatus est. In hoc prælio viginti millia Christianorũ cecidere, ex Turcis sexaginta millia desiderata. Traiecto Danubio *Sigismund.* teformidato Hungarorũ impetu ob rem malè gestã in Thraciã Constantinopolim effugit, hinc nauigauit Rhodum, & Ægeum, Ionium que emensus pelagus, in Dalmatiam, & Croaciam venit. Fideles habuit *Io. Canysam* Strigoniensem metropolitam, & Stephanum fratres viros opibus, & auctoritate præstantes. Contra duo *Stephani* intercessere Carolinæ olim factionis principes, quorum alter *Ladislai* Vaiuodæ filius erat, è Simonthoruia alter natus erat. Hi Hungaros Regi aduersos ob rem malè ad Nicopolim gestam aduertentes, ad refouendam pristinam factionem tempus putantes idoneum, procerum plurimos in socios sibi adsciuerunt, populorum animos publicæ charitatis spetie inuertentes, perniciosum Reipublicæ regem, & peiorem in dies, ni tollatur, futurum suadent. Defuncta Maria, regnum ad *Ladislaum Caroli* filium pertinere, qui in Italia latè regnabat, non ad tyrannum, qui duo & triginta nobiles in foro trucidari fecerat. Sollicitatis itaque populis, ad *Ladislaum* mittunt Regem Apuliæ, hortantes Pannoniæ regnum iure naturæ sibi debitum reciperet Hungariam peteret, ipsi omni periculo liberaturi. *Carolus* verò paternam ante oculos fortunam reuocans, miserabile fatum, varia Pannonum ingenia, subornata corda, cunctatiùs agens, spe lactabat legatos. Coniurati tardiorem *Ladislaum* conspicantes, eo magis in dies literis vrgebant; demum per internuncios interiecto Sacramento paciscuntur, quicquid vterque *Stephanus* ipsius nomine in Pannonijs egerint, quousque regno potiatur, eum ratum, ac firmum habiturum. Pacta conditione coniurati

an. 1396

Fugatur. XXXVI.

Ladislaus Rex Apuliæ ab Hungaris vocatur. XXXVII.

an. 1396 rati in dies partem *Ladislai* augebant. Tot
nobiles hac labe coinquinarunt, vt prodito-
rum posteri in hodiernum vsque diem, ad
rusticitatem redacti, luant maiorum errata.
Regnum recuperat Sigismundus. Hi quamuis clam agerent, *Sigismundum* ta-
men latere non poterant, qui in Dalmatia
moram trahebat, vbi antequam in Hunga-
XXXVIII. riam restitueretur, menses duos deuiginti
mansisse dicitur. Dissimulabat omnia, ne
inuidiam sibi ex re male gesta ad Nicopo-
lim conflatam augeret. Strigoniensis tan-
dem Archiepiscopi, & Canisarum ope, ac
Jo. Marothi opera, qui Sclauoniæ præfectu-
rã gerebat, in regnum restituitur. Regno re-
cuperato, iam annus quartus agebatur, & no-
uitatis auctores cœptis in dies multo impen-
siùs instabant: iam gens ferè vniuersa à Re-
ge defecerat. Duorum & triginta equitum
cædes, Nicopolitana clades, in inuidiam
Mariæ obitus, & inita post illius mortem in-
temperantia, qua præ licentia cælibatus sta-
bat obnoxius, in contemptum eum adduxe-
rant. Cuncta in malum interpretabantur
coniurati. Tempus expectabant idoneum,
vt Regem caperent, cætera summa diligen-
Sal. An. 1401. tia parauerant. Anno tandem 1401. festo
Vitalis die, ex composito Regem ingens
procerum multitudo sub officij spetie adit,
frequenti virum corona circumuenit.
Nicolaus etiam, & *Ioannes* duo fortis-
Carceri datur. simi iuuenes *Nicolai Garæ* quondam Pa-
latini filij, quem ad *Elisabethæ* Reginæ latus
XXXIX. à *Ioanne Horuato* cæsum diximus; facile in
coniurationem descenderant, quia illum *Si-
gismundi* factione cæsum censerant. Vbi Re-
gem conuenere, de patratis ab eo facinori-
bus, de Republica malè gesta primò agi cœ-
ptum, oborta contentione ad contumelias
peruentum. Irritati vltro citroque animi,
mox facto impetu, veluti inter eos conuen-
tum erat, Regi manus iniiciunt, hostili more
confrementes capiunt, in vincula trahunt.
Quum de præfectis custodiæ ageretur, *Ni-
colai Garæ* filijs committendum veluti infe-
stissimis decreuerè. Negotium datum vltro
accipiunt, in Sokles oppidum abducunt; *Si-
gismundo* capto, omnes aduersæ factionis ca-
pita extulerunt, suscitato tumultu, proceres
XL. cum numeroso equitatu vrbem discurrunt,
Ladislaus Rex Hungarorum. *Ladislaum* Regem declarant. Redacta in
Ladislai absentis potestatem Hungaria, pa-
trum consulta ad eum legati in Italiam mit-
tuntur, qui *Sigismundi* captiuitatem, & eum an. 1401
Regem declaratum nunciarent. Omnia
cum iam accepisset *Ladislaus*, classem opi-
nione celeriùs parat: Inde Dalmatiam con-
tendit, Iadram appulit, ibique honorificè
excipitur, quamuis adhuc in Hungaria Bu-
densis arx, cæteraque Regis præsidia cum
superioribus Hungariæ partibus, quæ ad
Morauiam spectant, in *Sigismundi* fide per-
manerent. Iadræ substitit *Ladislaus* cun-
ctatiùs patre, longeque consultiùs rem age-
bat, ne pari fato rueret. Vtrinque in dies XLI.
nuncij veniebant, quid in Italia, & Hunga-
ria gereretur, referentes. Non tam potiun-
dæ Pannoniæ spe trahebatur, quàm Apuliæ
sollicitudine remorabatur. Interea *Sigismun-
dus*, qui in Sokles castello angusto carcere
coercebatur, dies ac noctes lacrymis fortu-
nam suam deplorabat, quippe cui nec mors
daretur, quæ eum tantis malis eriperet. Ca- *Soluitur Sigismundus.*
ptiui Regis gemitus assiduos, *Nicolai* Palati-
ni coniunx, Gararum fratrum mater, diu to- XLII.
lerare non potuit, quæ non modò muliebri
ingenio, sed suapte natura pia erat. Infau-
stam Regis miserata conditionem, cœpit
cum liberis de liberatione verba miscere.
Vnde (inquit) *suauissimi filij vobis accedit,
vt infandi carceris præfecturam sortiti, æter-
nam præ cæteris infamiam habeatis? Quid plus
vobis iniuriarum vobis quàm cæteris illatum
est? vnde plus oneris, & periculi in macerando
Augustali, & sacro sanguine accipiatis? Nico-
laus pater vester à Maria, & Sigismundo
pij parentis loco semper habitus, is à Io. Horua-
to cæsus est, qui acerrimus Garæ domus fuerat
inimicus. Vos cum paternis inimicis misere con-
iurastis in Regem sacrosanctum, coniecistis in
vincula, & nefarij carceris præfecturam obi-
uistis. Recordor equidem patrem vestrum sæ-
pe hæc dicere solitum, coronatum sacro diade-
mate regem, etiam sibestijs comparari possit,
nunquam tamen sine magno scelere cædi posse.
Quiduam miseri speratis, qui sacrum carcere
Principem maceratis (Rex ipse futurus formi-
dabit scelus. Laudant proditionem tyranni,
proditorem abominantur, & timent Regiæ cæ-
dis auctores præter infamiam, et inaudita sup-
plicia, quid sperent, non habent. Leuitatis, sũmi-
q; periculi est incerta pro certis sperare. Defini-
te dulcissima pignora ab iniusto facinore Ladislai
factionem deserite, qui quum patrem Carolum
Regem à parente vestro cæsum nouerit, nun-*
quàm

an.1401 *quàm vos aequis oculis poterit intueri. Sigismundus est, qui de patre ac domo vestra fuit semper optimè meritus: huius vxor, & socrus ipsum ita opibus extulerunt, vt alter apud Pannonas Rex esse videretur. Regiam dimittite Maiestatem, pro qua pater vester animam effudit.* Maternis dictis victi iuuenes, grauissima angebantur cura. Postero die pia mater descendit in carcerem, se regijs victam lacrymis fatetur: auxilium offert, dummodo de filiorum suorum incolumitate fidere possit secura. Ad haec *Sigismundus*, oblata spe salutis, quam antea desperarat, expansis brachijs, ad pedes prouolutus, vt Dei internunciam agnoscit, omnia promittit, iurat; tandem *Inter vtrumque* (inquit) *teste Deum, hominumque fide, iam fœdus percutio. Sigismundus liberos tuos in fratres adoptat, adoptat te quoque in matrem pientissimam, & hoc iureiurando affirmo. Quicunq; initum fœdus violarit, non modò libertate careat, veluti omnium compos miseriarum, sed vt fœda porca dissecetur in frusta.* Dextera demum vtrinque data, fœdus ictum est. Mater mox pro Rege liberando, commentum fingit; in Morauiam educendum vt tutiùs custodiretur. E sententia omnia facta sunt, emissus in Morauiam *Sigismundus*, inde in Bohemiam peruenit ad Ciliae comitem, cuius opibus adiutus, quia sororem eius *Barbaram* desponsauit, in Bohemiam redijt. Fuga Regis vulgata, consternati coniurati quò fugiant, non
XLIII. succurrit. Contra qui Regis captiuitate iacuerant, veluti se ab inita seruitute vindicaturi, reuocandum citò *Sigismundum* exclamant, in hostes arma sumunt. Sic omnia miscentur, praetextu regiae vindictae vbique saeuitur. In tanta rerum perturbatione *Sigismundus* comparato ingenti Bohemorum exercitu, adiectis Hungarorum auxilijs, qui superiores regni partes incolebant, Hungariam ingreditur, obuersari hostibus minimè ausis. Recta Budam venit, arcem recipit, caeteraque oppida recuperat. Hoc nuncio *Ladislaus* consternatus in Italiam, irritis cae-
XLIV. ptis elusus, repentè adire contendit. Antequàm è Dalmatia solueret, datis ad *Sigismundus* literis, se excusauit, inuitum in Dalmatiam appulisse, vt diuinam eliceret voluntatem, vnde omnis mortalis potestas: an.1401
Caeterum se sponte cedere, & amicum, immo affinem se offerre, vt viribus suis data occasione vteretur. Gratum etiam sibi fore, si de perduellibus vindictam sumeret.

In Pannoniam regressus *Sigismundus*, quamuis acceptae iniuriae animo altiùs insederant, dissimulato tamen dolore, clementiam praetulit, ne externa inimici desperatione correpti, aliquid obstinatiùs molirentur. Facta itaque securitate, in Sclauonia conuentum indicit in oppido *Keures Duarhel*. Venit eò *Stephanus* Vaiuoda *Ladislai* filius cum magna equitum turma, partim suorum viribus, partim Regis clementia fretus, sed spe sua falsus: cum in concilium venisset, ex composito à nobilitate captus, ibique à lictore indicta continuò causa obtruncatus est: vulgata nece, sumpsere arma milites eius, vt Ducis vlciscerentur mortem, domum circumuenientes vbi habebantur comitia, & iam fuisset cruenta pugna certatum nisi è fenestris corpus in forum deturbatum, eo spectaculo milites deterruisset. In medio tumultu aduersus hos vnus occlamat, *Quò ruitis miseri? en cuius gratia arma sumpsistis, iacet extinctus; in cassum furitis, state ò viri, regiam haud prouocate Maiestatẽ.* Deferbuit hac voce equitum furor. Inter *Stephani* Vaiuodae scelera hoc etiam refertur; post Nicopolitanam cladem, quum in oris maritimis moram traheret *Sigismundus*, ad *Baiazethem* Turcarum regem tabellarios XLVI.
miserat, clamque cum eo de filiae nuptijs cum *Ladislao* Rege egerat, ea quidem conditione, vt generum ad eijciendum Pannoniae regno *Sigismundum*, opibus & auxiliaribus copijs adiuuaret. Rem per internuncios eò adducta, vt sub hac spe affinitatis oblatae, quam tantopere prophanus barbarus appetebat, nonnullas Turcarum legiones aduersus *Sigismundum* inter Sauum Drauumque induxerit, vnde magna Hungariae appendicibus calamitas illata est. Sumpto de *Stephano* supplicio, caeteri quoquè suas dedere pœnas. Laborauit postea *Sigismundus* prò extirpandis *VVicleffi*, & *Ioannis Hus* impijs erroribus, nec sine fructu; dum in Germania accidit.

RVPERTI IMPERATORIS OBITVS. *Anno Sal.* 1410.

IN Italia à suis desertus *Rupertus*, & penè perditus, re infecta in Germaniam redijt, Italiae cura deposita. Domi feliciter gerens Rempublicam, bellum suscepit aduersùs XLVII.

an. 1410 Io. Ep. Moguntinum, sed morte præuentus pœnas infidelitatis exigere non potuit. Oppenheimij xv. Cal. Iunij in morbum incidit, & subitò extinctus, Anno Sal 1410. Sepultus Heidelbergæ, vbi ædem S. Spiritus fundauerat, & vbere dotauerat prouentu, cum hoc elogio. *Rupertus Dux Bauariæ, Comes*
XLVIII. Epitaphium. *Rhens Palatinus, Romanorum Rex, iustus, pacis & religionis amator, dignus Deo visus, qui pro iustitia pateretur, huius sacræ adis, & collegij institutor, hic cum castissima coniuge Elisabetha Norismontis Burggrauiaquiescit, vita functus Anno MCCCCX.*

INSCRIPTIO

Insubris afflictus Galeati Marte Rupertus,
XLIX. Vrsinus Velius. *Italia excedens, pacis amator obit.*

Alia ex Georgio Sabino.

Insuber infregit Galeatius arma Roberti,
Cum tulit auxilium gentibus Arne tuis
Pro quibus aduersi discrimina Martis adibat,
Victor vbi Tuscos est populatus agros.
Inclyta qua doctis iacet Heidelberga Camenis,
In patriaiem morte quieuit humo.

Litteris namque apprimè fauens, ijs perdiscendis Heidelbergensem Academiam condidit, dotauit, varijsque priuilegijs exornandam curauit. I. Instituit Academiã Heidelbergę.

SYMBOLVM.

Misera res digna est misericordia. Vel *Misericordia non causam, sed fortunam spectat.* II.

Scribit de eo *Nider*, cũ aliquando morbo laboraret lethali, ac sacrosumpro viatico, de extrema vnctione suscipienda sollicitaretur, III. 4. Fornic. 11. de die in diem distulisse, quòd persuasum haberet, haud posse percipi, quin continuò moriendum esset. Monitus tandem eam ad corporis, animæque salutem recipi: alacriter accepisse, & conualuisse.

CAPVT TERTIVM

Amor Reipublicæ in *Ruperto* Imperatore, qui populos gubernauit vt pater, titulum exhibet elucubrandum, & est

VTILITAS PVBLICA.

1. *Publica præferre priuatis inter fabulas habetur.* 8. *publica vtilitas necessaria: in quibus obseruata.* 9. *eius vtilitas.* 30. 40. *priuata vtilitas à publica pendet.* 31. *Perdicas publicæ vtilitatis voto Alexandrum sequitur.* 32. *Senatoris munus, solam publicam vtilitatem respicere.*
2. 4. *Rex quomodò à subditis debeat exigere suffragia.* 7. *Regis ius in bona subditorum.* 22. *propter patriam est, non patria propter Regem.*
3. *Dei amor erga homines quantus.*
5. *An omnia quæ in mundo sunt, sint Imperatoris.*
6. *Ius Domini in seruos.*
9. 30. *Reipublicæ interitus ex priuatorum vtilitate.* 25. *amore rei priuatæ tentatur Christus.* 29. *ruit Carthago.*
10. *Auaritia damnosa generi humano.*
12. *Ciuis se gerat vt pater.*
14. *Christus discipulos increpat studentes priuatæ vtilitati.* 16. *Petrum sugillat.* 21. *tributa exigit à natura, cum Republica consulit.* 50. *pro patria moritur.*
15. *Reipublicæ nomen inane.*
17. 48. *Amoris erga patriam exempla: Pompeij. Epaminondæ.* 28. *Michaelis Mauroceni.* 21. *patriæ ignominia non ferenda.* 34. *Exempla amoris in patriam: Aristidis.* 36. *Lycurgi; Solonis.* 37. *Io. Prochitæ vesper siculus* 41. *Curtij; Deciorum.* 43. *Mutij Sceuolæ.* 44. *Sampsonis.* 45. *Eleazari.* 49. *Iepte.* 20. *Abrahami; Ionæ.*
19. *Scutum abijcere infamia.*
20. 22. *Maior amor erga patriam, quàm filios.* 38. *ignis inextinctus etiam in barbaris.*
24. *Fides in iure vltimò extinguitur.*
25. *Patriæ superuiuere extinctæ non licet.* 26. *Cato seipsum occidit, ne superuiueret libertati amissæ.* 40. *Dominum non habet.* 51. *pro patria omnia licent.* 53. 58. *an innocens homo tyranno tradi possit ad liberandam patriam.* 35. *locus particularis in Cœlo datur pro patria laboranti.* 56. *patriæ nomen, quam dulce ad persuadendum.* 57. *mors si pro patria, gloriosa.* 20. *difficillimè patria deseritur; & ob solam patriam supernam.*
27. *Cato an iuerit in seruitutem Pompeij.*
29. *Annibal cur rideret Pœnorum lacrymas.*
33. *Veneti solam vtilitatem publicam respiciunt.*
33. *Alfonsi Arragoni votum ad expellenda odia priuata à Senatu.*
35. *Iniuriam priuatam Princeps non vindicat.*

39. *Au-*

39. *Augustus fisco potius, quàm publico honori detrahi patitur.*
46. 50. 52. 54. *Mortem voluntariam quis potuit pro patria obire.*
47. *Lucretiæ facinus an laudabile.*
49. *Pudicitia matronalis ad Rempub. pertinet.*
49. *Iepte an peccauerit filiam imolando.*
51. *Cato an rectè seipsum occiderit?*

I. *Ventorū, & solis fabula de homine expoliando.* De publica vtilitate verba facturus, fabulam recito. Fabula namque est, publica præferre priuatis. Quis est hic? cui minor sit & diu fuerit Respublica, quàm familia? & laudabimus eum. Ludebant, & illudebant adinuicem Phæbus, & Boreas, quis eorum hominem mollibus vestitum expoliare posset? (qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt) Purpuram adorti, pretiosam, quomodò raperent, cogitantes. Cæpit Boreas experiri fortunam; & gelidus sicca bacchans ab Arcto, ingeminat imbrem, adurit frigore, strider mare solicitum refluentibus vndis: homo verò reclusus in pallio, quasi limax sua concha implicitus; quū impexas glacies obdurat frigida barbas, ipse pallium stringit, aptatque lacertis. Strident venti, vrget Aquilo, vnaque Eurus, Notusque ruunt, tolluntque per aura plantas. Cadit homo, & cadendo triumphat, suoque delitescit ligatus in pallio. Sic venti fatigati reponunt, omnisque rubore suffusus flatus repentè recedit: Collectæ fugiunt nubes, Solemque reducunt. En in arena fulgor splendentis Olympi, suisque flammis omnia lustrat, ignifero consistens in axe. Gaudet homo, qui contracto corpore piget, & gelidus cadebat sepultus victricibus spolijs. Phæbum suspicit, & victus protinus obsequij more caput aperit, pileum proijcit. Altius scandet Titan, medioque stat altissimus. Orbe. Tum primùm siccis homo feruoribus vstus, pallium proijcit, thoracem exuit, subuculamque deponit; iacetque nudus placido Phebi sub æstu. O Mundi Clarissimum lumen, quàm placidè vincis, & sine manibus, vinclisque vincula nectis, exutaque corpora post tergora ducis. Huc pergite Reges, & populos discite placidè domare superbos. Vano vexatis metu, lentoq; irrepunt agmine pœnæ. Omnia vincit amor, me vis vrit amoris. Strepunt venti (vestras hos appello dynastæ phalanges) nil mouent; & potiùs populi fodiunt sub puluere gazas, quàm onere fesso opibus velint succurrere Regi. Spargat lumina Phæbus. Sole cum nouo densæ torreantur aristæ. Animos torqueat gelidos æstus publicæ vtilitatis. Recurrat Publica salus. Fama insonet, posteritas plaudat; excirati subditi, calent, ardenr ad publicum bonum. Qui non mortalia pectora cogis publicus amor? Spargit aurum, rumpit præcordia ferro; Corporaque agresti nudat prædura palæstra. Imaginem si non habes, mecum in Getsemani perge. Quò in aperta respiraturus prosilijt Amor Dei, postquàm concepto igne, suprema se degluriuit in cœna. Iterata toties sanguinis emissione, expertus ardorem non minui, tegumentis abiectis, duro reclinatus in strato, frigidiorem in Monte aerem nudus capiat. Sic proprio sanguine madidus, exurgit tanquàm dormiens, amoris crapulatus à vino; postquàm veneficio charitatis benefico inuisibilem Deum ostendit in carne; visibilem hominem celauit in pane; & impium Catilinæ facinus pio cum iterasset exemplo, coniuratis suis sanguinem propinauit. Lanienam habes sine carnifice: Expoliatur in cruce Deus; latrones adstant; & nemo potest accusari de furto. Solis triumphum do vobis in exemplum, Reges: expoliat neminem; eo tamen feruente, omnes nudi procumbunt. Sit hoc regnantis mysterium, ne arripias, nec manu contrectes; Impera, suade, lauda, mulce, vt subditus blanditijs irretitus proijciat. Qualia sunt regia verba; & quibus suadeat adagijs? diuersa vocant animum, & studia in ambigua fertur. Sunt qui Principis omnia faciunt: Nam, & Imperator in *l.* 3. *C. de crim. sacril.* resonat, *de potestate summi principis dubitare, aut disputare sacrilegij instar esse.* Vnde non est, qui Principem interrogare possit, *cur ita facis? Si quis de nobis* (aiebat Gregorius Ep. Turonensis ad Regem Francorum) *ò Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corripi potest: si verò tu excesseris, quis te corripiet? loquimur enim, sed si volueris audies: si autem nolueris: quis te damnabit?* Mundi diceris Dominus *l.* 9. *ff. ad l. Rhodiam, de iactu*; atque omnia, quæ in mundo sunt, cum Cæsaris esse intelligantur *l. bene à Zenone. C. de quad. præscript.* Cur de illis disponere pro libito

Marginal notes: II. *Reges quomodo à subditis exigere debeāt suffragia.* — III. *Dei Amor quātus erga hominē.* — IV. — V. *Mundus Imperatoris an sit.*

bito non licebit? Licere iam Dominus Deus Samueli intonuit. *1. Reg. 8. Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietquè sibi equites ac præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum; filias quoquè vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas: agros quoque vestros, & vineas & olueta optima tollet, & dabit seruis suis; sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis: seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos & asinos auferet, & ponet in opere suo: greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui.* Si serui, cum Dominus inuito seruo disponat: seruorumque ius vitæ ac necis sit in manu Domini, vt bos in manu pastoris, nec sit qui interroget, cur ita facis? etiam si Dominus iniustè seruum expoliet, vel mactet: cur Rex non maiori, vel saltem pari iure gaudebit? Non gaudebit, quia *non accipies* (mandat Rex Regum, & dominantium Dominus per prophetam Ezechielem. *c. 46.*) *de hæreditate populi per violentiam, & de possessione; sed de possessione sua hæreditatem dabit filijs suis, vt non dispergatur populus meus vnusquisque de possessione sua.* Pastor est Rex, cuius est tradere non deglubere pecus. In ędificationem, non in destructionem rectores natura posuit: nec populus natiuitate liber carnificem elegit, sed patrem, cuius imperare officium esset, non regnum, *Seneca ep. 90.* Orbem ei in *iurisdictione*, & *protectione* subijcimus, non in *proprietate*. Nec est in iure locus, vbi subditorum bona indistinctè dicantur Cæsaris. Habet Fiscum, patrimonialia, quibus debet esse contentus. Quòd si tyrannus etiam prædiolis subditorum inhiet, Achabi Regis pœnam habet in exemplum. 4. *Reg.* 10. Nec ius Regis à Samuele exaratum suffragatur, vt ciuium auferat agros, & opes eorum attenuet. Nam ibi Samuel iniuriam potiùs, violentiam, tyrannidem, quàm ius commemorat: licet ius dicat, nec iniuriam appellet. Quod planè cognosces, si obserues quos Samuel alloquatur. Non enim tunc Regem instituit, quod videlicet legitimum, & diuinum eius officium sit erga populum: sed cum populo sermonem facit, eumque docet, quid ipsi à Rege ferendum, & absque vlla violenta recusatione liberandum sit. Etenim si ad Regem orationem habuisset de officio Regio, nimirùm proposuisset ei exemplar Regis in lege Domini descripti. Admonuisset eum, vt non multiplicet sibi equos, non reducat populum in Ægyptum: non habeat plures vxores, quæ decipiant animum eius, nec paret sibi immensam vim auri, & argenti, sed habeat exemplar Regis secum, & legat illud omnibus diebus vitæ suę vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verbum, & cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt: nec eleuetur cor suum in superbiam contra fratres suos, neque declinet in dexteram, vel sinistram. Hæc Samuel inculcasset Regi: nam hanc optimi Regis imaginem pinxerat Deus. Nunc autem populum alloquitur, & officium populi erga Regem describit, crudelem Regis tyrannidem ius vocando; non quòd pio Regi ea tyrannide in subditos grassari liceat: sed quòd subditi Regem super se eligentes, & Dominum ipsi conferentes iure talem tyrannidem ferre debeant, nec liceat eis, violenter resistere, sed Deo vltionem relinquant. Populi itaque bona insequi, quia sint omnia Regis, vox non est Regia, nec auribus sonora, vt populum habeat obsequentem. Sonet vox dulcis, & modulamine publicæ vtilitatis beneuolum auditorem conciliet, quæ lex esse debet suprema, ait *Cicero*. Amabile est bonum cuique proprium, sed necessaria publica salus. Brachium non semel excipiendo vulneri occurrit, vt alia membra defendat, & incolumitatem, sui etiam detrimento conquirat. Non est salus in corpore, si membrum aliquod cōpaginem rumpat, vt sibi solumodò acquirat. Publica priuatis anteferenda bonis: quia generosè amittitur, quidquid cunctorum commodis applicatur. *Grues* (aiebat Cassiodorus) *moralem nouerunt exercere concordiam, inter quas nullus priuatus quæritur: quia iniquitatis ambitus non habetur. Vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt, ipse pastus alternus est. 9. Var. 2.* Ni gruis quælibet proprij somni dispendio aliarum inuigilaret tranquillitati, tota illarum facili interiret negotio Respublica. Romanam vrbem, quum adhuc Aristocratico regeretur imperio, præ cæteris floruisse, & moderato

illo

VI. *Ius Domini in seruos.*

VII. *Quale ius Regis in bona subditorum.*

VIII. *Vtilitas publica necessaria.*

IX. *Causa ruina Romana priuatorum vtilitas.*

illo regimine magnam orbis partem in
ſuam redegiſſe poteſtatem , hiſtoriæ re-
cenſent , quaſi nunquàm interituram.
Manſit ſanè imperium hoc florentiſſi-
mum, frequenti incremento quamdiù pu-
blica vtilitas charior priuata fuit. Verùm
quùm regnandi cupiditas,occultum odium,
priuatum commodum , iuuenilia conſilia
irrepſere , tunc tuta ab externis hoſtibus vi-
ctrix Regum, viribus, ac opibus abundans,
ſeipſam bellis vicit vel vitijs inteſtinis. De-
crementi cauſa non alia, quàm diſſolutio ci-
uilis harmoniæ , quæ mutuo vinculo
membris conciliabat caput, & in commune
ſociabat. Res Romana moribus cum ad-
huc ſtaret antiquis , qui Magiſtratum inter
Romanos gerebant, omnem nauabant ope-
ram , vt publicum à priuato ſecernerent
commodum. Eo tempore, inquit Valerius
lib.4.c.4. animi virorum, & fœminarum vi-
gebant in ciuitate, eorumque bonis: dignita-
tis æſtimatio cunctis in rebus ponderabatur:
hæc imperia conciliabant : hæc iungebant
affinitates: hæc in foro, hæc in curia: hæc in-
tra priuatos parietes plurimum poterant.
Huic tam præclaro propoſito illa merces
reddebatur, quod præmium virtutis emere
non licebat, inopiæque virorum ſuccurreba-
tur illuſtrium. *Quid hominum illo genere feli-
cius*(ait Seneca *ep.90.*)*in commune rerum na-
tura fruebantur, ſufficiebat illa vt parens in tu-
telam omnium: hæc erat publicarum opum ſe-
cura poßeſſio: quid ni ego illud locupletiſſimum
mortalium genus dixerim, in quo pauperem in-
uenire non poſſes?* Quia omnium cura eſſet
commune bonum. *In medium quærebant*
(cæcinit Virgilius) *ipſaque tellus omnia libe-
rius nullo poſcente ferebat.* Hanc ſanctam,
X. *Humano generi auaritia, quàm dãnoſa.* vtilemque concordiam auaritia diſſidit, nec
timuit omne hominum genus varijs agitare
calamitatibus , dum plus acquiſiuerit ſibi.
Irrupit (addit Stoicus) *in res optimè poſitas
auaritia, & dum ſeducere aliquid cupit, atque
in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & in angu-
ſtum ex immenſo redacta paupertatem intulit.*
Dum cæca ambitio ſibi laborat acquirere,
generalitatis ſalutem non veretur deperde-
XI. re. Potentiſſimus tyrannus *Siſara* dum po-
pulum præmeret Iudaicum , conuenerunt
duce *Debbora* omnes exceptis Rubenitis, vt
iugum excuterent. Hinc carpendo, ſugil-
landoque deſides *Debbora*, *Quare habitas in-
ter duos terminos , vt audias ſibilos gregum?*
Iud.5.n.16. Vbi Arrias Montanus, *Rubenitæ
deſerti accuſantur officij: ſiquidem temporibus
ducis, quibus de communis ac publicæ rei ſalute
agitur, nullam vel loci, vel negotij, vel priuati
muneris excuſationem admitti, probari ue opor-
tet. Interrogatione præmuntur Rubenitæ, quod
cæteris ad auxilium communiter ferendum
excitatis, officiumque facientibus, ipſi tamen pe-
rinde atque ſi nihil aliud, quod agerent, habe-
rent, in otio ſecure degerent , gregibuſque pa-
ſcendis, vel potius contemplandis vacarent.*
Ditantur ouibus Rubenitæ, ſed carent victo-
riæ plauſu: ipſas incrementaſſent diuitias, ſi
communi inſudaſſent vtilitati ſpolij partici-
patione. Sed grandi diſpendio quæſierunt
propria, deſpexerunt communia. M.Vip- XII.
ſanius Agrippa laudatur merito, quòd fami- *Ciuis ſe gerat vt pater.*
liariſſimus Cæſari Auguſto vtilitati omnia
ſubijceret publicæ , & cum ciuis eſſet, pa-
trem gereret Reipublicæ, iuxta illud Clau-
diani *In Muſa monitrice*

Sic gere tu ciuem, patrem vt interim geras: XIII.
Et omnibus fac conſulas, ſed non tibi.
Te damna publica moueant, ſed non tua.

Diſcipulos cum Chriſtus delegaſſet, fidei
lumen aduersùs gentilitatis caliginem diffu-
ſuros, illique non ſine fructu varia peragraſ-
ſent loca , velut iactantes reuerſi, nequam
ſpiritum ſibi paruiſſe, *Reuerſi sũt ſeptuaginta
duo cum gaudio dicentes; Domine etiam dæ-
monia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.* Re-
ſpondit, imò increpauit Dominus, *In hoc no-
lite gaudere , quia ſpiritus ſubijciuntur vobis.*
Non quòd Apoſtolorum doleret trium-
phum, & de communi hoſte victoriam, *ſed
à priuato gaudio* (ait Gregorius homil. 19. in
Ezech.) *veritas ad commune diſcipulos reuo-
cat, cum eos de prædicatione redeuntes, & de
ſubiectione dæmonum lætantes admonet , di-
cens: Nolite gaudere ſuper hoc. Admonentur
ergo* (ſubnectit Gregorius) *diſcipuli priuatam
lætitiam deponere, de communi autem, & per-
petua felicitate gaudere.* Publicæ ſalutis mini-
ſtros dedecerat venati plauſum inanem, &
vniuerſalem poſthabere ſalutem, vt ſibi glo-
riam quærerent ambitioſi. Vbi vtilitas præ-
ualet publica, Rex & regnũ eſt: vbi propria,
tyrannus. *Deſcripſi vobis* (aiebat Thomas XIV.
Morus *lib. 2. Vtopiæ.*) *quam potui veriſſimè* *Reſpublica qualis eſſe debeat.*
*eius formam Reipublicæ , quam ego certè non
optimam tantum, ſed ſolam etiam cenſeo, quæ
ſibi*

sibi suo iure possit Reipublicæ vindicare vocabulum. Si quidem alibi de publico loquentes vbique commodo, priuatum curant. Hic vbi nihil priuati est, serio publicum negotium agunt, certè vtrobique merito. Nam alibi quoties quisque est, qui nesciat, nisi quid seorsim prospiciat sibi, quantumuis florente Republica, semet tamen fame periturum, eosque necessitas vrget, vt sui potius, quàm populi, idest, aliorum habendam rationem, sibi censeat: contra hic, vbi omnia omnium sunt, nemo dubitat (curetur modo, vt plena sint horrea publica) nihil quicquam priuati cuiquam de futurum. Neque enim maligna rerum distributio est, neque inops, neque mendicus ibi priusquam. Et cum nemo quicquam habeat, omnes tamen diuites sunt; Nam quid ditius esse potest, quam adempta prorsus omni solicitudine, læto ac tranquillo animo viuere? Non de suo victu trepidum, non vxoris querula flagitatione vexatum, non paupertatem filio metuentem, non de filiorum, nepotum, pronepotum, abnepotum, & quam longam posterorum seriem suorum generosi præsumunt, victu esse, & felicitate securum. Hæc illa

XV. *Reipublica nomen inane.* Respublica, quam nomen exigit Reipublicæ, non quam principes agunt. Talis effingitur, sed inane resonat nomen

Publica res nihilum, vel tantum nomen inane.

Sugillari patres ne credas, in Apostolos prouoco, quorum Princeps Petrus Thaboris

XVI. *Sugillatur Petrus.* verticem gloria exundantem construendis eligit tabernaculis, ibique manere desiderans. *Domine bonum est, nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula Matt.* 17. Differebat tunc Dominus cum Moyse, & Elia de sua apud Hierusalem morte, qua effusus sanguis felici naufragio omnia deleret peccata, & tabernacula reseraret cælestia. Petrus verò gaudio illectus præsenti, vult tabernaculum struere, minimè de aliorum salute sollicitus. Vnde arguitur nescisse, quid diceret; quòd inde disponeretur ad requiem, vnde Deus accendere illum intenderat ad laborem. Iniurius bono (quod ad tres solos arctaret) diuturniorem voluptatis vsuram non meruit, cuius in partem relictos in Montis radice socios non vocaret *Vade itaque retrò Satanas, non enim sapis ea quæ Dei, sed ea quæ hominum.* Si Petrus in Thabore cum Domino maneat, quæ cunctos homines mors depascit, non fugiet: si non maneat, vita instaurata lucebit: at eo errore tenetur Petrus, vt malit æternam cunctis præferre calamitatẽ, ne tẽporali priuetur comodo, & careat transituro citissimè gaudio. Cecidit tunc iuxta petram Petrus, vnde vt Satanas sugillatur, quòd designatus in Principem bonum commune desereret, vt sibi vni consuleret.

Rei frumentariæ designatus *Pompeius*, in Siciliam ipse, inde in Africam nauigauerat, vim magnam frumenti cum apparasset, Romam repetiturus, cum mare infestaretur procellis, & gubernatores se alto committere timerent, primus nauem ingressus, ancoram solui iussit, clamitans, *necessitas vrget, vt nauigemus, non vt viuamus.* Plutar. *in vita Pompeij.* XVII. *Pompeij amor ergà patriã.* Idipsum mouit Epaminondam Thebanorum fortissimum Ducem, quum in prælio lethaliter vulneratus esset, secedere non mortis timore, sed reliquæ ne incomodo esset phalangi, quia obesum, & corpulentum vix ternum scutum protegeret. XVIII. *Epaminonda amor ergà patriam.* Interrogauit porrò an clypeus saluus esset? Deinde an Thebani vicissent? quæ postquàm ex animi sententia comperit; *Non finis* (inquit) *commilitones, vitæ meæ, sed melius & auctius initium aduenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.* Rectè itaquè Lacon cuidam percontanti, *quare apud Spartanos ignominia notarentur, & infami vocabulo Rhipaspides appellarentur, qui scutum abiecissent? qui galeas, & thoraces non item?* respondit, *Quoniam hæc sua ipsorum causa gerunt; scutum verò communis exercitus gratia.* XIX. *Scutum abijcere infamia.* Significans vnicuique pluris esse faciendam communem vtilitatem, quàm propriam. Qui galeam, aut thoracem abiecit, seipsum tantummodò prodit, & exarmat: qui scutum abiecit, prodit vniuersam phalangem. *Est patria* (aiebat Hierocles) *velut alter quidam Deus, & primus maximusque parens.* Quare qui nomen ei imposuit à reipsa, non temerè patriam nominauit, vocabulo quidem à patre deducto, pronuntiato tamen fœminina terminatione, vt ex vtroque parente mixtum duobus debitum, vni conciliaret obsequium. Lacon in bello captus, cum sub hasta veniret, ac preco diceret, *Laconem vendo:* obturauit illi os. *Captiuum* (inquit) *prædica te vendere.* Suam conditionem æquo tulit animo, patriæ ignominiam ferre non potuit. Policratidas orator missus ad Duces regios, quum ab his interrogaretur, vtrum

pri-

priuatim venisset, an publicè? *Si impetro*, inquit, *publicè: sin minus, priuatim.* Vox pij candoris in patriam index. Si cessisset ex sententia legatio, gloria patriæ cederet: sin minus, repulsæ ignominiam ad se pertinere.

XX. Sic mulier illa Lacæna quinque filijs in bellum emissis, (plures non habebat) ante suburbium stabat expectans, quis esset belli exitus. Vt accessit quispiam nuntians filios illius omnes occubuisse: *Non istud percontabar, ignauum mancipium, sed quid ageret patria?* Is cum respondisset, à patria stetisse victoriam: *Libenter* (inquit) *accipio filiorum interitum.* Egregia mulier, priuatum in liberos affectum publicæ in patriam pietati posthabuit: cui felicem interest dare fortunam; imputari nobis aduersam. Charitas & propensio erga liberos *quædam est naturæ* tyrannis teste Chrisostomo *hom. 17. in Matth.* Nec tantum vinculum scindit quàm Amor patriæ. Xenophon sacra faciens de more coronatus, audita filij morte, coronam primùm abiecit; sed cum rescit strenuè dimicantem cecidisse, coronam capiti reposuit dicens, *male se habere filium strenuum, quàm longæuum.* Sic Antigonus filij denũciara morte in bello strenuè suscepta, adeò non ingemuit, vt potiùs elato animo exclamarit, *Serius ò fili tam gloriosam mortem obijsti.* Plures alios refert Hieronymus *ep. 3. ad Heliod.* *Quorum* (inquit) *non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit.* Hæc in sugillationem nostrã dicta sint, si non prestet fides, quòd exhibuit infidelitas. Vrget fortius argumentum, si eos recenseas, qui filios molientes in patriam sustulerunt, vt de Bruto Virgilius canit. 6. *Aeneid.*

.... Natosque pater nouat bella mouentes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocauit:
Tantus Amor patriæ, laudũq; immẽsa cupido.

Tantus amor patriæ, vt persuasio superna non valeat etiam Sanctos in terram alienam subducere. *Aegredere* (inquit Deus ad Abrahamum) *de terra tua Gen. 12.* Quis non crederet statim sine vllo præmio ægressurum, qui ex solo Dei imperio ad proprium filium occidendum festinauit. Nihilominus adeò inhærebat patriæ, vt opus fuerit septem illi præmia longè maxima proponi, quæ eodem capite referuntur, vt Caietanus aduertit. Nec satis (quia terrena) fuere, vt ægrederetur *de terra sua*: adhibentur insuper & diuina. Nam in forma gloriosa apparuit illi Dominus, vt Caietanus deducit ex *Actibus Apostolorum c. 7. n. 2. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ.* Tam difficilis nãquè à patria egressus, vt solùm ad cælestis gloriæ conspectum suscipiatur. *Vnicuique patria sua charior est* (ait Cassiodorus *lib. 1. ep. 21.*) *dum supra omnia saluum fore quæritur, vbi ab ipsis incunabulis commoratur.* Ionæ Prophetæ imperat Deus seriò profectionem in Niniuem, *Surge & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea. Ionæ 1.* Quis non expectabit Ionam baculo innitentem in procinctu positum, non currentem, sed volantem, vt diuinis iussis obtemperet? intueor fugientem à facie Domini. *Surrexit Jonas, vt fugeret in Tharsis à conspectu Domini.* Sed à quo, & quò fugis ò Iona? Forsam in Tharsis non est facies Domini? Siue in mari, siue in terra lateas, facies Domini inueniet te: Si Tharsis interpretatur, *contemplatio gaudij*; quale gaudium potest inesse viro, qui fugit à facie, in quam desiderant Angeli prospicere? Sic Ecclesiastæ munus profanas, & voluntario exilio vagus, & profugus fugis, ne Verbum Domini de suggestu Niniuitis explanes? Sic propriæ vitæ prodigus eligis fluctibus abripi, & imanis belluæ vterinum habitaculum, quàm comminatorium sermonem Niniuitis referre? O quanta Ionas pericula deuorat, ne Niniuitis deferat vaticinium, *Scit Propheta* (glosat Hieronymus) *sancto sibi suggerente Spiritu; quòd pœnitentia Gentium ruina sit Iudæorum: idcirco amator patriæ suæ, non tam saluti inuidet Niniue, quàm non vult perire populum suum.* Et subdit: *dolet se solum electum qui mitteretur ad Assyrios, & quòd bis maius est, timebat, ne per occasionem prædicationis suæ, illis conuersis ad pœnitentiam Israel penitus relinqueretur.* Satagentis & soliciti animi pro patriæ salute actio est, à Niniuitis fugere; filios suos, Iudæos suos habebat in corde; hinc denegat Niniuitis præconium ne patriæ, nationiquè suæ, acceleret supplicium. Si homo es, patriam amare debes, etiam impendio priuatæ familiæ.

XXI. Experiri Pharisæi volentes, an Christus homo esset & Deus, à publica ad priuatam tentant vtilitatem retrahere. *Si Rex Israel est, descendat nũc de Cruce, & credimus ei. Matth. 27.* An plus homine sit, vel sola constet humanitate Christus; peculiare bonum offerunt

Difficillimè patria deseritur.

Deseritur ob solam spem patriæ supernæ.

Ionas recusat Niniuitis prædicare ob amorẽ suæ patriæ.

Christus oblatione priuatæ tentatur vtilitatis.

runt amplectendum, dum communi homines vrgentur periculo. Vt homo cognoscitur, si ob gloriam inanem, communem despiciat felicitatem; aut plus homine, si generalitati prouiderit. Naturæ namquè proprium humanæ ob priuata commoda, Reipublicæ populique detrimenta despicere: vt supra vires humanas est, communi saluti consulere, non suæ tantumodò attendere. Ecce subdolis promissis nonnulli Pharisæi, scribęq; in Regem inauguraturos se offerunt, si de ligno Christus descendat, *Et credimus ei*. Nolens tamen descendere vt communi bono consuleret, *à sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam*: insolito prodigio veluti omnium Dominus obsequij tributa colligit eo momento, quo pro humani generis salute vitam impendit. *Nulli dubium* (inquit Hieronymus apud D. Thomam) *est, quid significet iuxta literam magnitudo signorum, vt crucifixum Dominum suum, & Cælum, & terra, & omnia demonstrarent*. Regem dicit Pharisæus, si Christus descendat. Tota Regem natura resonat, nisi descendat. Boues, Apes suum habeat rectorē; sed is alijs, non sibi congregat

XXII. *Sic uos non uobis fertis aratra boues;*

Sic uos non uobis mellificatis Apes. Virgil.

Rex propter patriam. Pharnaces Parthorum Rex præteritis filijs (quos plurimos habebat) fratri potissimùm Mithridati, insignis virtutis viro reliquit imperium, plus regno quàm patrio deberi nomini ratus; potiusquè patriæ, quàm liberis consulendum. Familiæ quidem pater est Rex, sed & patriæ, quæ vel nomine successionem sibi debitam paterni designat amoris, vt inde agnoscas non propter patrem dari patriam, sed patrem propter patriam.

XXIII. *Erga patriã maior amor est, quàm erga filios.* Q. Fabius Max. ad filium consulem Suessam à Senatu legatus, cum filius animaduerteret equo sedentem patrem accedere (Romanorum lex erat, nemo eques ad consulem accederet; Valer. Max. *De Instit. Antiquis.*) per lictorem ei indicari iussit, vt equum relinqueret. Cui quum continuò Fabius pater obsecutus esset; *Non ego* (inquit) *fili summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires Consulem agere*. Digna vox patre, qui patriæ pater erat. Paternum minimè conuenit nomen ei, qui sibi liberos non Reipublicæ procreauit. Beruicum cum obsiderent Angli (oppido præerat *Scotus Gulielmus, Suetonius*) & duos ipsius præfecti filios tenerent in potestate: vnum in excursionibus captum: alterũ obsidem ex pacto, ni ante Cal. Augusti suorum aduenirent suppetiæ, vrbs Anglo dederetur. Antequàm dies aduenisset, *Eduardus* Rex misso feciale, vt pactis staret, præfectum monet; aliter se animaduersurum in filios. Terrorem vt augeat, crucem erigi iuxta oppidum mandat, filiosque præfecti ad supplicium produci. Angebant patrem hinc charitas, & misericordia, hinc metus ergaquè patriam officium: cum coniunx ante oculos fide erga Regē proposita, charitate in patriam, nobilissimæ dignitate familiæ, liberos alios illis extinctis superesse, alijs gignendis vires non deficere, maritum aliò diuertit, vt filiorum salutem patriæ postponeret. Ita de nobilissimis illis iuuenibus supplicium ab Anglo sumptum, suis etiam inuisum, & ingratum. *Buchanan. lib. 9. Rer. Scot.* XXIV.

In ciue fides vltimò extinguitur. Plurimæ cum ciuem virtutes exornent, fortitudo, prudentia, fides hæc omnium extinguitur postrema, & morienti superuiuit. Fides pugnant & Amor, si seruilem accipias amorem. Coeunt, si nobilem summas, & patrium à patria appelles amorem. Helenam cum Græcis restituendam Troiani consulerent, Hecuba dissuadente in gratiam filij: bonum publicum gratia est materna corruptum, ait *Dites Cretensis*; Non nisi fœminam poterat patria habere inimicam.

Causa mali tanti fœmina sola fuit.

XXV. *Patria extincta superuiuere non licet.* Silla oppido capto Præneste decreuit quidquid ciuium esset, trucidare, hospite suo excepto, hoc beneficio pensare volens hospitij gratiam. At ille contra liberè, *Nolo* (inquit) *patria mea extinctori uitam debere*, simulque turbæ ciuium se se admiscuit, & cum illis trucidatus est. *Plutar. lib. 6. apopht.*

XXVI *Cato seipsum occidit: ne superuiuat amissa libertati.* Catonem recole, cum inter fragores bellorum (ait Seneca *ep. 95.*) ciuilium impauidus, & primus incessens admotos iam exercitus Alpibus, ciuilique se bello ferens obuium, alijs Cæsarianas opes, alijs Pompeianas fouentibus, vtrumq; prouocans, ostendit aliquas esse Reipub. partes; cum contra decem legiones, & Gallica auxilia, & mixta barbarica arma ciuilibus, vocem liberam misit, Rempublicam hortatus, ne prò libertate decidat, sed omnia experiatur, honestiùs in seruitutem casura, quàm itura.

Pro-

Proderit non tantùm quales esse soleant boni viri, dicere, formamque eorum, & lineamenta deducere, sed quales fuerint narrare; & exponere Catonis illud vltimum, ac fortissimum vulnus, per quod libertas animam amisit. Sic fantem Catonem, dum Cæsar Pompeiusque spectarent ad arma, Lucanus pingit *lib. 2.*

. . . . . Sic fatur at illi
Arcano sacras reddit Cato pectore voces.
Summum Brute nefas ciuilia bella fatemur:
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur.
Crimen erit Superis & me fecisse nocentem.
Sidera quis, mundumq; velit spectare cadētem
Expers ipse metus? quis, cū ruat arduus æther,
Terra labet, mixto coeuntis pondere mundi,
Complosas tenuisse manus? gentesne furorem
Hesperium ignotæ, Romanaq; signa sequentur.
Deductique fretis alio sub sidere reges?
Otia solus agam? procul hunc arcete furorem
O Superi, motura Dacas vt clade Getasque
Securo me Roma cadat. ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulū iubet ipse dolor: iuuat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque agere busti
Ipsum atras tenuisse faces: non ante reuellar,
Exanimem quàm te complectar Roma, tuumq;
Nomē libertas, & inanem prosequar vmbram.
Sic eat: immites Romana piacula diui
Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.
O vtinam, cœlique deis, Erebique liberet
Hoc caput in cunctas damnatū exponere pœnas!
Deuotum hostiles Decium pressere cateruæ?
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat, cunctis ego peruius hasta
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat sanguis populos: hac cæde luatur,
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad iuga cur faciles populi, cur sæua volentes
Regna pati pereunt? me solum inuadit ferro,
Me frustra leges, & inania iura tuentem:
Hic dabit, hic pacem iugulus, finemq; laborum
Gentibus Hesperijs: post me regnare volenti
Non opus est bello. quin publica signa, ducemq;
Pompeium sequimur? nec, si fortuna fauebit,
Hunc quoque totius sibi ius promittere mundi
Non bene compertum est: ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet. Sic fatur: & acres
Irarum mouit stimulos iuuenisque calorem
Excitat in nimios belli ciuilis amores.

Gemitus erant morientis libertatis in pe-
XXVII. ctore Catonis. Ipse tamen Cato pedibus ierit in seruitutem Pompeij? *Grotius* asserit *innotis Lucani* grandi seruitutis honore, & vili libertatis dedecore, vt moreretur sine Catone: Quem fortem in vita fecerat, ne socius sibi in morte deesset. Catonis obsequium erga Pompeium satisfuit, vt infamis decederet, & lacrymas posceret in testimonium timoris, quia pater patriæ filiam deseruisset morientem. Infelix Roma, cui morienti & Cato defuit, qui tædas accenderet. Vel potius infelix, quia cadenti, & Cato iusta canere non erubuit. Dicas Roma, vt ad Brutum Cæsar, *etiam tu Brute fili mi?* sic Libertas Catoni, *etiam tu Cato pater mi?* grauiori quidem piaculo, si amor descendit, non ascendit, vnius Catonis in pectore cum seruari potuisset libertas; de totius Reipublicæ Cato cæde teneris, quia eructasti. Absit Reipublicæ illi (quæ adhuc virgo Romanæ libertatis reliquias collegit, seruauit, & religione potiùs, quàm ferro immaculata custodit) si tales habuisset Catones. Ex Syria XXVIII.
rediens Michael Maurocenus (teste Ignatio *lib. 6. c. 5.*) & amplissimis comparatis opibus, Rhodum insulam appulsus incolumis, accepit patriam in summo discrimine positam, neque vllam eius seruandæ spem superesse. Adhortabantur multi, vt diuenditis mercibus ingentique conflato thesauro, aliò se reciperet spe melioris fortunæ; *Ego ne* (inquit) *tam graue facinus, & scelus hoc tempore ausim? vt tam grauiter laboranti patriæ desim?* Diuendam potiùs libenter omnia, in commune rependam. Mox celerrimè comparata naui, auri, argentique copia succinctus Venetias appulit, nec Ducem, patresquè passus est celate consilium. Pecunijs igitur omnibus profusis, quæ magna ex parte sumpto vsui publicè fuere, merito mortuo Duci est surrogatus. Si hæ fuissent Carthaginensibus artes, Romanos elusissent astus, exprobrabat Annibal apud Liuium *lib. 30.* Deui- XXIX.
ctis pœnis cum Romani tributum imposuissent, & exhausto diutino bello errario, prima collatio pecuniæ videretur difficilis, mæstitiaque & fletus in curia esset: ridentem ferunt conspectum Annibalem; Hasdrubali verò risum increpanti in publico fletu, cum ipse lachrymarum causa esset: respondit, non lætantis hominis illum risum esse, sed eorum inanes lacrymas deridentis, quæ eo tempore in leuiore malo, quod cuiusque

Cato an ierit in seruitutē Pompeij.

Michaelis Maurocæni amor erga patriā.

Annibal ridet lacrymas Pœnorū.

priuati ciuis pecuniam tangeret, potiùs manarent, quàm antea cum Romani classes, arma, & amplissimarum victoriarum spolia Carthaginensibus detrahebant, victisque imponebant leges. Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet: nec in eis quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum stimulat. Itaque quum spolia victæ Carthagini detrahebantur, quum inermem iam, ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit: nunc quia tributum ex priuato conferendum est, tanquàm in publico funere comploraris. Quàm vereor, ne propediem sentiatis, læuissimo in malo vos hodie lacrymasse. Ciuile corpus Respublica est, sed more humano concidit inter medicorum consilia, iuxta id, *Dum Romæ consulitur, perditur Saguntum*. Quatit nostræ ciuitatis mœnia hostis, commeatus deficit, caritas vrget, pecunia deest, & ciues disputant, quomodò conferant suffragium? An Geometrica, vel Arithmetica debeat esse contributio? Vnum cæterorum onera subire, æquũ non esse. Omnia omnes debere, si viritim accurrant, secus si paucis pondus imponas. Dum hæc calamo certant, hostis ferro respõdet, & per mœnia ciuitatis ingreditur, inter litigantes tertius gaudet. Cupiditas cæca non intelligit priuatas opes cum Republica esse coniunctas. Qui res suas ex Reipublicæ statu considerat, illas sine hac nequaquàm stare posse intelliget. Hinc aiebat Demosthenes, quo magis res priuatæ eorum, qui Rempublicam gerunt, augentur, eo magis Rempublicam minui. Malum omen cum Patrum excrescunt opes more fluminum, latenti scilicet incremento; ex mari dicas fluere Reipublicæ, huiusque instare ruinam, si aquarum more mare non ingrediatur publicæ vtilitatis. Diuitias dũ ciues non Reipublicæ sed familiæ congerunt, breui cogita in angustam familiam augustam fore Rempublicam. In grande regnum Romanum creuit tugurium, quia in commune primi illi contulere pastores. Perdicas (teste Plutarcho) cui Alexander Macedo ad Asiaticam se comparans expeditionem de prouentibus attribuerat Macedoniæ, quum Alexandrum audisset dicentem, solam spem consilijsui sibi reseruare, dono renuncians, dixit, se quoque velle fieri illius

XXX. *Priuata vtilitas à publica depẽdes.*

XXXI.

spei participem, cuius exemplum cæteri æmulantes, & in commune conferentes, Arborem Solis habuere prò termino gloriæ. *Quum de publica ò viri vtilitate* (aiebat Narses in expeditione Gothica ad Belisarium, & reliquos exercitus) *consulitur, est quidem, vt existimo, vtilitas ipsa per se inspicienda, nec alijs respectibus, vel odij, vel amoris pessundanda &c.* Ob eam causam, & Romani laudantur. Quamdiù enim illis fidum erat, & altum Reipublicæ pectus Curię, silentijque salubritate munitum, & vallatum vndique; cuius limen intrantes, priuata charitate abiecta publicam induebant: tamdiu ab omni iniuria, & hostili vi tuti fuere. Senatorem edocet elegans, & pia illa in curia Ratisbonensi inscriptio, quomodò Rempublicam gerat.

De bello Italico cõtra Gothos.

Publica vtilitas solum respicitẽda.

XXXII. *Quisquis senator curiam officij causa ingrederis, ante hoc ostium priuatos affectus omnes abijcito: iram, vim, odium, amicitiam, adulationem, Reipub. personam, & curam subijcito. Nam vt alijs equus, aut iniquus fueris: ita quoque Dei iudicium expectabis, & sustinebis.*

XXXIII. *Venetorum laus*

Hæc non in marmore sed in corde exculpta habeas, & Venetos sequere Senatores, quando in curiam pro re publica conueniunt. Solent (ita fertur) ante vestibulum priuatas deponere simultates apud S. Marcum, expedito consilio, reassumunt; nec vindictam prætereunt; Laudabile hoc institutum *Alfonsi* fuit Aragonum Regis. Dicere solebat, si mihi contigisset nasci temporibus Romanæ Reipublicæ; Templum *Ioui Positori* dicassem, vbi priusquàm venirent in Senatum Patres, odium, priuatosque affectus deponerent. Cæcam est qui pingat Astream; videntem melius est facere, vt merita inspiciat eorum, qui in commune Reipublicæ vitam conferunt, & fortunam. Aristides licet Themistoclis potissimùm opera in exilium erectus esset, vrgente tamen totius Græciæ periculo, priuatas omnes patriæ condonauit iniurias, sponteque ad Themistoclem sibi antea accedens inimicum, eum ita apud Herodotum compellit, *Nos cessare oportet, omni tempore, non priuatis simultatibus, & odijs, sed vter nostrum, melius de patria mereri, & plura in eam beneficia conferre possit.* Iniuria, quam priuatus sustinueris, non est in magistratu exercenda. Adrianus Imperium nactus, conuocatis inimicis, quos

XXXIV. *Aristidis erga patriam amor.*

XXXV. *Priuatã iniuria in Magistratu nõ vindicanda.*

priuatus habuerat, *Euasistis* inquit, signifi-
cans gladio non abutendum iustitiæ, ad vl-
ciscendas priuatas inimicitias. Iniuriam non
semel passus Rex Galliarum *Ludouicus XII.*
cum Dux esset Aurelianensis, has vt Rex fa-
ctus vlcisceretur, monentibus respondit; *Re-*
gem non decet Galliarum inimicitias persequi
Aureliani Ducis. Quamobrem non imme-
ritò culpatur Henricus Rex Lusitaniæ, suc-
cessor Regis Sebastiani in Africa interfecti,
quod pœnam exegerit ab ijs, à quibus cum
Cardinalis esset sibi illatam iudicabat iniu-
riam. Cum Magistratum gerimus, obire
potiùs iniuriam, si ita Reipublicæ intersit,
XXXVI. maius, quàm persequi. Spontaneum subijt
Lycurgi: amor erga Patriã Lycurgus exilium, vt bellum effugeret inte-
stinum, *Plutar*. Solon latis legibus, cum lau-
darent alij, alij improbarent, permulti ades-
sent, qui eas temperandas censerent, perspi-
ciens hæc, & negare absurdum esse, & facere
inuidiosum futurum, statuit his se difficulta-
tibus liberare, offensionemque ciuium, &
calumniam effugere, impetrando ab Athe-
niensibus, vt ab vrbe sibi decem annos abesse
liceret. Sperabat enim eo tempore, leges
vsu, & consuetudine ciuibus gratiores fieri.
XXXVII. *Plutar*. Inter recentiores *Ioannes* occurrit
Prochita Siculus, qui simulata insania, ordi-
tus *Vesperum Siculum*, Gallos omnes neci
tradidit, vt patriam à tyrannide vindicaret.
Adest semper ciuitatis custos (*Genium* dixe-
XXXVIII. re Gentiles, nos *Angelum*) qui ad commu-
Patriæ amor ignis inextinctus. nem excubans salutem, quomodò proui-
deas, consulat, & amorem inflammet. Patriæ
Amor, ignis est ille, qui etiam in gelido bar-
barorum sinu ardet inextinctus, & sacras ex-
citat flammas. Fatis cedens *Acmat* Turca-
rum Imperator *Osmano* filio duodenni fra-
trem *Mustafa* præposuit, quod imberbem,
& imbellem pupillum tanto oneri impa-
rem crederet, singulari exemplo, patriæ fa-
milia posthabita: *Sagredus*. Si à Republica
sortimur honorem, & imperium; & lucet fa-
milia, quia splendet Respublica, cur priuatis
publica non præponimus? Liuiæ prò quo-
dam tributario Gallo roganti ciuitatem ne-
gauit Augustus, immunitatem offerens, &
XXXIX. affirmans, *se faciliùs passurum fisco aliquid*
detrahi, quàm Romanæ ciuitatis honorem vul-
gari. Suetonius *in Aug. n.* 40. Rei suæ quili-
XL. bet Dominus esto, aliena ne tangito. Rem
in terra cum haud sit reperire vacantem; &

si reperias, primo concedant iura occupanti;
Patriam excipio, quæ dominum non habet *Patria nõ habet Dominũ.*
præter eũ, qui est omnium Dominus, Deus.
Arctissimis ita vinculis Natura parentes col-
ligauit, & liberos, vt genuisse iuuet, & gene-
rare libeat. Patriæ tamen maiestati, etiam
hæc quæ Deorum numinibus æquatur pa-
rentum auctoritas, vires suas subiecit. Do-
mo namque euersa, intentatus Reipublicæ
status manere potest: vrbis ruina, penates
omnium trahat secum necesse est. Hæc ita
Dij in cordibus hominum exararunt, vt plu-
rimi suæ salutis impendio testati sint, natura
cogente ciuem accurrere in ciuitatis subsi-
dium. Cum media in parte Romani fori
vasto ac repentino hiatu terra subsideret, re-
sponsumque esset; *re illum tantummodò comple-* XLI. *Curtij facinus.*
ri posse, qua populus Romanus plurimum va-
leret. Curtius, & animi & generis nobilissi-
mus adolescens, interpretatus Vrbem Ro-
manam virtute armisquè præcipuè excelle-
re; militaribus insignibus ornatus, equo con-
scenso præcipitem se dedit in profundum:
super quem vniuersi ciues honoris gratia
certatim fruges iniecerunt, continuòque
terra pristinum habitum recuperauit. Simile
de Decijs Valerius habet *lib. 5. c. 6.* patre, & XLII.
filio. Ille, qui primus in familiam suam in-
tulit consulatum, cum Latino bello Roma-
nam inclinatam aciem, & penè prostratam
videret, caput suum pro salute Reipublicæ
deuouit: protinusque concitato equo, in
medium hostium agmen (patriæ salutem,
sibi mortem petens) irrupit; factaque in-
genti strage, plurimis telis obrutus, super
corruit. Ex cuius vulneribus, & sanguine
insperata victoria emersit. Patre postea non
minor filius in quarto consulatu paternum
æmulatus exemplum, æquè strenua pugna
consentaneo exitu labantes, perditasquè vi-
res vrbis nostræ correxit. Vt dignosci ar-
duum sit, Vtrum Romana ciuitas vtiliùs ha-
buerit Decios Duces, an amiserit: quoniam
vita eorum ne vinceretur, obstitit, mors fecit
vt viueret. Prætereo Mutium Scæuolam, XLIII. *Mutij Scæuola.*
quùm in Porsenæ castris tormenta contem-
nens, perosus dexteram suam, quòd eius mi-
nisterio in cæde Regis vti nequisset, inie-
ctam foculo exuri passus est. Nullum pro-
fectò (ait *Valerius*) dij immortales admo-
tum aris cultum attentioribus oculis vide-
runt. Spartium, Balidem recole, quorum vi-

ctima Xerſis ira deferbuit. Theſeum, quum ad patriæ ſalutem ſe obtulit aduerſùs Minotaurum. Inter ſacra Sampſonem, quùm in Veneris templo Cyclopem ludere iuſsus, nec larua egens, labefactis columnis templum impellit; & ſpectaculum perimit ſpectatores. Sic ſua inter trophæa moritur Sampſon non minùs vita, quàm morte hoſtibus metuendus, poſtquàm patriam viuens liberaſſet, moriens vindicaſſet. Eleazarum etiam, quũ maluit ſub bellua frangi, quàm ſub tyranno viuere. Machabæorum libertas Antiocho Eupatore regnãte, Eleazarũ accendit, vt cataphracto elephãti (cui turris inſidebat, in qua abſcondi Rex credebatur) diſtricto ſtylo ſuccederet, inermem beſtiæ vterum ſuffoſſurus, vt vno ictu tres caderent, à vulnere moles, tyrannus de mole, ipſe ſub mole. Procubuit furtiuo ictu euiſcerata belua; & victor ſuperincidentis beſtiæ ruina teritur. Extincta libertas de cineribus Eleazari reuixit, qui ſuo in pectore ſi non tyrannum, tyrannidem ſepelierat, mori contentus, dum patria viueret.

XLIV. *Sãpſoni.*

XLV. *Eleazari*

XLVI. *An quis propter patriã poſſit mortẽ obire volũtariã.* Quo verò iure Eleazar ſeipſum perderet? (ſi tamen perdere eſt, prò patria mori. Pro patria namque in bello mortui, dicuntur viuere propter gloriã *Inſtit. 1. tit. de excuſ. Tutor.*) quærunt Theologi. Si non licet priuata poteſtate alicui hominem occidere vel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui ſeipſum occidit, homicida eſt. Et tanto fit nocentior, cum ſe occiderit, quanto innocentior in ea cauſa fuit, qua ſe occidendum putauit; ait Auguſtinus 1. *de Ciuit. Dei c. 17.* Nam ſi Iudæ factum meritò deteſtamur, cum laqueo ſe ſuſpendit, eumque veritas iudicat ſceleratæ illius traditionis auxiſſe potiùs, quàm expiaſſe commiſſum: quoniam Dei miſericordiam deſperando exitialiter pœnitens, nullum ſibi ſalubris pœnitentiæ locum reliquit: quanto magis à ſua nece ſe abſtinere debet, qui tali ſupplicio, quid in ſe puniat non habet? Iudas enim cum ſe occidit, ſceleratum hominem occidit: & tamen non ſolùm Chriſti, verùm etiam ſuæ mortis reus finiuit hanc vitam, quia licet propter ſuum ſcelus, alio ſcelere ſuo occiſus eſt.

XLVII. *Lucretiæ facinus an laudabile?* Quod ſi hæc minimè ad communem ſalutem patrata obijcias, ſed deſperatione cogente, vel inſania furente reum geminaſſe piacula: Lucretiam profero, cum Tarquinij adulterium in ſe commiſſum puniuit. Adultera hæc, an caſta iudicanda? Soluit quidam apud Auguſtinum *c. 19. lib. cit.* Mirabile dictu, *duo fuerunt, & adulterium vnus admiſit.* Corporum fit commixtio duorum, ſed vnius eſt inquinata cupiditas, alterius caſta voluntas. Cur ergo caſta punitur, & pudica mactatur? Lucretiam innocentem Lucretia perimit. Vnde ſi laudas vim paſſam, nequis homicidam extollere. Homicidium læſæ eſt conſcientiæ argumentum. Forte quia non inſontem, ſed malè ſibi conſciam peremit, clamat *Auguſtinus*. Quid ſi enim (quod ipſa tantummodò noſce poterat) quamuis iuueni violenter irruenti, etiam ſua libidine illecta conſenſit? Idque in ſe puniens ita doluit, vt morte putaret expiandum. Falſum itaque quod duo fuerint, & adulterium vnus commiſerit. Vnus manifeſta inuaſione, alter latente conſenſione. Vndiquè anguſtiæ Lucretiam premunt. Nam ſi extenuatur homicidium, adulterium confirmatur. Si purgatur adulterium, homicidium cumulatur. Exitus non inuenitur, vbi dicitur. Si adultera cur laudata? ſi pudica cur occiſa? Puduit eam alienæ turpitudinis in ſe commiſſæ, etiam ſi non ſecum. Romana mulier auidiſſima laudis more patrio, de quo dictum

Vincet amor patriæ, laudũq; immenſa cupido XLVIII. *Amor patria.*

Quin de ipſa Lucretia Ouidius *in Faſtis*

Succubuit fama victa puella metu,

ne putaretur quòd violenter eſt paſſa cum viueret, libenter paſſa, ſi viueret; ad oculos hominum mentis ſuæ teſtem illam pœnam adhibendam putauit, quibus conſcientiam demonſtrare non potuit. Sociam quippe facti ſe credi erubuit, ſi quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipſa patienter. Non hoc fœminæ Chriſtianæ fecerunt (concludit *Auguſtinus*) quæ paſſæ ſimilia viuunt. Tamen nec in ſe vltæ ſunt crimen alienum, ne aliorum ſceleribus adderent ſua.

Quid tamen (dices) Lucretia cum patriæ & Reipublicæ ſalus cum ambitione fœmineæ? Romanos gloriæ cupidos multum intererat bona fama; cuius iactura totam credebant interire Rempublicam. Et ſi ad Rempublicam Matronarum pudicitia ſpectabat, quam ſuo ſanguine Lucretia vindicare non debuit, fruſtra quærimus an liceat mortem obire

XLIX. *Intereſt Reipublicæ matronalis pudicitia.*

obire voluntariam ob patriæ salutem.

Quid igitur dicendum de Iepte, quum filiam occidit, quia se immolaturum Deo voverat, quod ei redeunti de prælio victori primitùs occurrisset? Prætereo Agamemnonem, qui (vt scribunt Tragici) in Aulide filiam Iphigeniam Dianæ immolauit. Laudandus, vel damnandus Sampson, quod seipsum cum hostibus ruina Domus oppresserit? Damnarem, ait Augustinus 1. *de Ciuit. Dei c. 21.* nisi Dei iussus excusaret, qui per illum miracula faciebat. Factum non improbo, facientem excuso, quia Deo authore peregit. *His igitur exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur.* Ita Augustinus.

Iepte an peccauerit filiam immolando sic Sampson?

L. Homicidium voluntariũ prò patria.

Sed ab Augustino fortiam non discrepat Amor patriæ. Si homicidium excusas lege iubente factum, vel Deo auctore; nonne ipse Deus carnem induit, vt moreretur prò patria? Contradicenti præcurro, & patriam designo. Cęlum, vel terram dic. Si terram, in terra moritur Christus, non pro genere Angelico, sed humano. Si Cœlum, in terra moritur, sed vt Cœlos aperiat, & Cœlo terram conciliet. Hinc quid patriæ debes, exemplum habes ab homine simul & Deo.

LI. Pro patria omnia licent.

Legem quæris? profero

Prò patria, atq; fide fiunt licita omnia nobis

Italicè

Per la fe, per la patria il tutto lice.

Licuit ergo Catoni, victo ad Pharsaliam Pompeio, ne cum tyranno Cæsare superuiueret, & honestam patientia sua faceret patriæ seruitutem, se gladio confodere? Cato adducitur in exemplum, non quia solus id fecerit, nam & alij se occiderunt, ne potestatem sui hostibus facerent; sed quia vir doctus, & probus habebatur, nam Catonis innocentia, & sapientia in prouerbium abierunt. Vnde & illud apud Iuuenalem

Tertius è Cęlo cecidit Cato.

vt meritò putetur rectè etiam fieri potuisse, vel posse, quod fecit.

Sana ratio (Augustinus respondet) exemplis est anteponenda, cui quidem, & exempla concordant. De Catonis facto, ait Augustinus dicam, quod potissimùm docti eius amici, qui hoc fieri prudentiùs dissuadebant, imbecillioris quàm fortioris animi facinus esse censuerunt. Stabant Vticæ cum Catone, Apollonides Stoicus, Demetrius Peripateticus, & Cleanthes. Nocte qua se occidit, Plutarchus refert disputationem super cœnam ortam de ijs, qui ne serui caderent, se occiderent; quorum laudem cum aduersus Demetrium Cato ageret, suspitionem fecit, eum se sua manu statuisse tollere. Catonis verò non fuisse honestatem turpia præcauentis, sed infirmitatem aduersa non sustinentis, ipse Cato in suo charissimo filio indicauit. Nam si turpe erat sub victoria Cæsaris viuere, cur author huius pater filio fuit? quem de Cæsaris benignitate omnia sperare præcepit. Cur non & illum secum coegit ad mortem? Nullo modo igitur Cato turpe esse iudicauit sub Cæsare victore viuere, sed turpe sibi, quòd Cæsaris indigeret clementia. Gloriæ inuidens Cæsari, ne ab illo etiam sibi parceretur, sibi manum consciuit. Nota est illa Cæsaris vox ad nuntium mortis Catonis. *Inuideo Cato gloriæ tuæ, nam & tu inuidisti meæ: ne inter cetera mea præclare facta numeraretur & illud, me Catonem seruasse.*

Quid itaque infelix patria ciues seruabit ingratos, & claudicante iustitia, ipsa pro ciuibus omnia impendens, ardebit flammis, quatietur tormentis, in cineres dissoluta, ac solo æquata; dum ciues vnius victimæ impendio liberare possunt, nec volunt. Catonis exemplum, quod Augustinus improbat, ciues non declarat immunes, vt mortem subeant voluntariam, cum vnius ciuis interitus Rempublicam liberat ab imminenti discrimine. Captiua libertas sub Cæsare nec sperare, nec respirare poterat, quàm gemitu Catonis si viueret: dedignatus victori superuiuere, & illa expirauit. Vnde incertum an plus profuerit Cato viuẽdo, quàm nocuerit moriendo. Mutium, Curtium, Decios, Marcum Puluillum, Marcum Regulum potiùs recenseamus, quorum sanguine, & hostijs Romana exultauit Respublica. Horum gesta Augustinus non damnat, sed laudat *c. 28. lib. 1. de Ciuit. Dei.* Imò suffragante Augustino, Deus tantis virtutibus mercedem rependit amplitudine imperij, ac nationum triumphis. *Proinde per illud imperium tam latum, tamq. diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum, atque gloriosum, & illorum intentioni merces est reddita, quam quærebant, & nobis proposita necessaria commoni-* LII.

monitionis exempla : vt si virtutes, quarum istæ vtcumquè sunt similes, quas isti prò ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur: c. 18.

Itaque si ciuis vnus quamuis innocens ad
LIII. exitium deposcatur ab hoste, poterit à patria deserri, & à Republica non defendi, si appareat ciuitatem hostium viribus imparem esse. Imparem dico, ne temerè deseratur, vt de Italico peditatu legitur, qui Pompeium rebus nondum planè desperatis deseruit, de sua salute certior factus à Cæsare. Hoc timoris, & infidelitatis est argumentum.

Sermo est cum imminente ciuitatis excidio, tyrannum placare non potest quàm victima innocens: vt cum Demosthenes nobilem illam de canibus, quos lupi pacis causa ab ouibus tradi sibi postulabant, fabulam protulit. Nequè aduersus patriam stare audeo, non tam iustitiæ munere, quàm pietatis officio. Iustitia exigit, vt in totius salutem membra conspirent, vndè brachium iure rescindimus, si corpus totum conualescat ex vulnere. Perielitante Republica, interroga singulos, an sit innocentia tradenda? omnes plaudunt, nemo tamen onus subire se offert. Ex communi tamen consensu, naturæ concursus arguitur, & in reluctantem personat murmur, mortis timore patriam prodi. Thebis euersis, Magnus Alexander Athenas misit, qui decem oratores, inter quos clarissimi erant Demosthenes, & Lycurgus, contra se ad populum concionatos dedi peterēt. Regia audita postulatione, sollicitudine, & dubitatione animi magna omnes correpti sunt. Cupientes Reipub. suæ dignitatē tueri: & malū quod imminebat, auertere. Plutimi cum verba fecissent, exurgens Phocion, admirari cæpit timorem Demosthenis, quod minimè de patria solicitus non imitaretur Hyacinthidas, & Lei filias, vltro mortem subeundo, ne sui causa detrimenti aliquid patria sustineret. *Diodor. Sicul. lib.* 16.

LIV. Quòd si Phocionis testimonium suspectum habeas, & in priuatam vtilitatem conuersum; testem profero *Tullium* tantò veriorem, quanto sibi aduersum, & superuiuentibus vtilem. *Si mihi* (ait Cicero prò P. Sextio) *in aliqua naue cum meis amicis nauiganti hoc accidisset, vt multi ex multis locis prædones classibus eam nauem se oppressuros minarentur, nisi me vnum sibi dedissent; si id vectores negarent, at mecum simul interire, quàm me hostibus tradere mallent: iecissem me potius in profundum, vt cęteros conseruarem, quàm illos mei tam cupidos non modò ad certam mortem, sed in magnum vitæ discrimen adducerem*. Idem de Finibus III. *Vir bonus, & sapiens, & legibus parens, & ciuilis officij non ignarus, vtilitati omnium plusquàm vnius alicuius, aut suæ consulit*. Consulentibus Atheniensibus, an Alexandro Demosthenis, & Lycurgi deditionem imperanti parendum esset? respondit Phocion, accito ad se *Nicocle*, quo nec amore sibi, nec consuetudine quisquam fuerat charior, *Huc malorum ventum est, viri Athenienses, vt Alexandro si vel hunc meum Nicoclem sibi deposcat, vitandi publici periculi causa continuò dedendum censeam, mihique ipsi si pro vestrà, patriæque salute lux ista relinquenda sit, summam medius fidius incomparabilemque felicitatem me consequuturum putarim*: Plutarchus *in Phocione*. Consilium hoc fuit Nicephori Patriarchæ datum Michaeli Langabæ de transfugis pacis causa reddendis Bulgarorum Duci, *Satius iudicemus esse, paucos aliquos mala ferre, quàm immensam multitudinem*: Zonaras. Iniquum enim est, totum fieri accessionem partis, ait Philo *lib. 2. de vita Mosis*. Africanus cum teste Macrobio *lib. 1. c. 8.* nepotem suum adhortaretur, vt dominando pariter philosopharetur, & philosophando dominaretur, hęc habet: *Sed quò* LV.
sis Africane alacrior, ad tutandam Rempub. sic habeto: Omnibus, qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certum esse in Cælo definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia cætusque hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. Earum Rectores hinc profecti, huc reuertuntur. Sic cap. 24. *Sed sic Scipio, vt auus hic tuus, vt ego qui te genui, iustitiam cole, & pietatem, quæ cum magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est. Ea vita via est in Cælum, & in hunc cætum eorum, qui iam vixerunt, & corpore laxati incolunt locum, quem vides*: Significans Galaxian. Sciendum enim quòd locus, in quo sibi esse videtur Scipio per quietē, lacteus circulus est, qui *Galaxia* vocatur.

Locus particularis in Cælo datur pro patria laboranti.

Prima itaque ex operosis virtutibus illa est, quæ patriæ incumbit tutelæ. Nam vt bene Homerus, *optimum auspicium est, pugnare prò patria*. Et Lucianus, nulla Ducis oratio plus virium apud milites est habitura, quàm ea, quæ pro patria depugnare admoneat. *Tirteus* ille, qui militum animos ad pugnandū versibus acuebat teste Horatio in *Arte*

LVI. Patriæ nomen quam dulce ad persuadēdū.

Tyrteusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

Ille inquam, eo tantùm carmine vsus fuisse dicitur, *gloriosum esse prò patria pugnantem inter primos mori*. Quò mihi videtur Horatius allusisse 3.*carm*.2.

LVII. Gloriosa mors prò patria.

Dulce & decorum est prò patria mori

Licet Ouenius *lib*.1.*epig*.48.sequētibus ludat,

Pro patria sit dulce mori licet atq; decorum
Viuere pro patria, dulcius esse puto.

Chari sunt liberi, (aiebat Tullius 2.*offic*.) *propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria vna complexa est: prò qua quis bonus dubitet mortem appetere, si ei sit profuturus?*

LVIII. Distinctioné, an innocenté possimus tradere tyráno, vel suadere, vt ipse ad tyrānū pergat; alioquin iure deseri possit, ad rem non credimus, & idem ducimus, vel deserere innocentem, vt coactus ad tyrannum pergat, vel nos captum tradere. Nam 4.*Reg*.*c*.10. Viri Samariæ occiderunt septuaginta filios Achabi timore belli, quod Iehu illis minabatur; nec Domino factum displicuit: Ad bonum itaq; commune licet innocentem tollere. Nec Samaritas excusat eis Domini reuelata voluntas; nam ibidem legitur non Domino reuelante in filios Achabi conspirasse Samariā, sed timore correptam. *Timuerunt illi vehementer, & dixerunt: Ecce duo Reges non potuerunt stare coram eo, & quomodò nos valebimus resistere?* Septuaginta perdamus, vt vni-

Samaritę occidunt 70. viros pro publica vtilitate.

LIX. De duobus malis minus eligendum.

uersitas superstit incolumis. De duobus malis, elige minus. Legem forsam reformidas *Non occides*? occidere non dicitur, qui lege occidit iubente. Si ad bonum patriæ leguntur Sacerdotes Sancti animæ subijsse periculum, cur digladiamur de corpore, veluti de stipula ante faciem venti? Iesus filius Iosedech populum Israel de Babylone in patriā Ierosolymam, annuente Cyro deduxerat: cum apud Zachariam Prophetam à Satana in iudicium Dei vocatur, & peccatorū reus accusatur, *Zachar*.3. *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini; et Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei*. Et postea *vers*.4. *Ecce abstuli à te iniquitatem tuā*. Cuius criminis reus factus est sacerdos? quod Syrianam, contra leges patrias, vxorem duxerat? An cultum Chaldaicæ Idolatriæ Diabolus criminatur? Causam Theodoretus assignat: *Ego existimo eum, nempè magnum sacerdotem sibi populi iniquitatem vindicasse, & attribuisse: & velut vnà cum ipsis peccasse, preces adhibuisse, & tanquam suorum veniam delictorum, populi suscepisse*. Amore patriæ aliena in seipsum transfert crimina Iesus; vt si in populum Dei ira desæuiat, diuini furoris impetum in seipso frangeret; aut si sua telaxet crimina, simul populum à peccatis absoluat.

Perpēdamus modò aduersariorum obiecta. Quorum illud præcipuè timeo, si tyrannus virginem sibi tradi ad violādum peteret; haud posset Respublica eam inuictam tradere. Similiter si peteret sacros codices ad comburendum, vel sacramenta ad temerandum, impium esset assentire. Ergo nec innocens tradi poterit, qui ad mortem quæritur. Postremum hoc de Sacramentis, & Euangelio facile tollitur, imò retorquetur: Si pro patria terrena, atque caduca mortem obire tenemur, quid prò æterna, & cœlesti? Euangelium patriæ cælestis index est, vt tessera vitæ immortalis sacramenta. Hæc si temeranda permittimus, patriam negamus æternam, ad quam gradimur per patriam temporalem.

Ad illud de Virgine possem Atiochenæ mulieris historiam obijcere, quam Augustinus recitat *lib*.1. *de Sermone Domini in monte c*.29. imò eam laudare videtur, *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: possit in tantum valere vt permittente vxore, quæ maritalis corporis habet potestatem, possit vir cū altera, quæ nec aliena vxor sit, nec à viro disiuncta concumbere: sed nō ita est existimandum, ne hoc etiam fœmina, viro permittente, facere posse videatur: quod omniū sensus excludit. Quanquàm nōnullæ causæ possint existere, sibi & vxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta fermè annos Constantij tēporibus. Na Acindinus tunc præfectus, cum quendā libræ auri debitorē fisci exigeret, nescio vnde cōmotus, quod plerūq;*

Mulier an viro permittéte possit cum alio coire?

in

in iſtis poteſtatibus pernicioſũ eſt, quibus quodlibet licet, aut potius putatur licere, comminatus eſt iurans, & vehementer affirmãs; quòd ſi certo die quem conſtituerat, memoratum aurum non exolueret, occideretur. Itaq; cũ ille teneretur immani cuſtodia, nec ſe poſſet debito illo expedire, dies metuendus imminere cæpit; Et forte habebat uxorem pulcherrimam, ſed nullius pecuniæ qua ſubuenire poſſet uiro, cuius mulieris pulchritudine cum quidam diues eſſet accenſus, & cognouiſſet maritum eius in illo diſcrimine conſtitutum, miſit ad eam pollicens pro una nocte ſi ei miſceri uellet, ſe auri libram daturum. Tum illa, quæ ſe ſciret non habere ſui corporis poteſtatem, ſed uirum ſuum, pertulit ad eum dicens paratã eſſe ſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe coniugalis corporis Dominus, cui tota illa caſtitas deberetur, tamquàm de re ſua pro uita ſua uellet id fieri. Egit ille gratias, & ut fieret; imperauit, nullo modo iudicans adulteriũ eße concubitũ, quòd & libido nulla, & magna mariti charitas ſe iubente, et uolente flagitaret. Venit mulier ad uillam diuitis, fecit quod uoluit impudicus: ſed illa corpus nonniſi marito dedit, non concũbere, ut ſolet, ſed uiuere cupienti. Accepit aurũ, ſed ille qui dedit, fraude ſubtraxit, quod dederat, et ſuppoſuit ſimile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier iam domui ſuæ poſita inuenit, proſoluit in publicum eadem mariti charitate clamatura. quod fecerat. Interpellat præfectum, fatetur omnia. Tum Præfectus primò ſe reũ, quòd ſuis minis ad id ventum eßet, pronuntiat, tanquam in alium ſententiã diceret, de Accindini bonis auri libram fiſco inferendam; illam verò mulierem Dominam in eam terram, vnde pro auro; terrã accepiſſet, induci. Nihil hic in alteram partẽ diſputo, liceat cuique æſtimare, quod velit. Nõ enim de diuinis authoritatibus deprõpta eſt hiſtoria, ſed tamen narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus quod in illa muliere viro iubẽte cõmiſſum eſt, quemadmodum ante eum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus. Exẽplo hoc non plura audemus, quàm Auguſtinus. Nec ad argumentum de virgine defloranda à tyranno expetita, ſit reſponſum: ſter clauus in clauum.

Dico modò de virgine defloranda, ad hominẽ occidẽdum illationẽ non currere; quia ſtuprum eſt malũ culpæ, mors verò eſt malum pęnę. Si omnis homo mortalis eſt, quid intereſt obitum accelerare pro patria, & diẽ præcurrere in curru gloriæ, ne ciuitas excidium ſubeat tantarum animarum diſcrimine? Si patrem, matrem, fratres, affines, amicos iuuare poſſum eiſq; animæ, corporiſq; diſcrimen auertere, cur non faciam? Lędam, ſi non faciam. Non ſic in virgine, quę ſtuprum paſſa, ſuæ ſalutis diſcrimine tentat aliena auferre pericula. Hoc forſam voto fęminæ illę (de quibus Euſebius *lib. 8. c. 12.* Ambroſius *lib. 3. de Virginibus*) cum ad tyrannũ eſſent adducendæ, ſe in flumen præcipitauere, ne pudicitiam amitterent: S. Apollonia ſeipſam in rogum coniecit. Quilibet enim tenetur perditionis, & pollutionis detrectare diſcrimen. *In perſecutionibus non licet propria perire manu* (ait Hieronymus *c. 1. Ionæ*) *abſquè eo, vbi caſtitas periclitatur*. Priuata itaq; damna publicis remitte vtilitatibus. Nam propter publicam vtilitatem ſtricta priuatorum ratio non attenditur. Et ſi cum Paulo obijcias non eſſe facienda mala, vt inde eueniant bona: Facile id largimur, ſi toto genere, ac natura ſint mala, quæ nullius boni publici prætextu poſſunt excuſari; vt impietas Iulij Cęſaris pro conſequendo principatu: Iniuſtitia Philippi Macedonis litigantibus arbitrum ſe offerentis, vt poſſeſſione vtrũq; exueret pro dilatando imperio: Adulteria Auguſti, quo faciliùs conſilia aduerſariorum per cuiuſq; mulieres exquireret: Inceſtus Claudij cum fratris filia, ne fęmina expertæ fęcunditatis, claritudinẽ Cæſarum in aliam domũ inferret; nullo modo tolerari poſſunt. Cætera quæ ſimpliciter haud mala ſunt, nec pro intentione nocendi fiunt, quaſi apicularum morſus ſunt, quibus dempto aculeo, non ſubeſt virus. Ac vt ſubſit, tamen id per neceſſariam defenſionẽ abſorbetur, ob quam etiam homicidiũ inter minis inculpatæ tutelæ commiſſum in foro poli excuſabile dicitur. Innocentem cum tyrãno tradimus, proditionẽ vrget neceſſaria defenſio, in qua inculpatam tutelã agnoſces exẽplo duorum hominum natantiũ in mari. Si horũ vnus alterum grauet, & pondere ſuo ſociũ ſubmergat, iuuare debeo, ſi poſſum. Cęterũ ſi propriũ vrgeat naufragiũ ex pondere ſocij, non tãtum ſocium deſerere licet, ſed & mergere fas, ni poſſim aliter enatare, & me in tutum recipere. Ita ciuitas, cum ciuium pondere premitur, nec enatare valet, quàm morte ſocij, quæ lex iubet vna perire?

SI-

SIGISMVNDVS
OCCIDENTIS IMPER. XL.
LIBER QVADRAGESIMVS. CAPVT PRIMVM.

1. Sigismundus dignitates meritis distribuit. 3. Hieroglyphicum. 4. in eo clauditur Aquila Vaga. *5. adoptatur à Ludouico Rege Hungar. 6. eius filiam ducit. 10. Rex Hungar. 11. rigore vindictæ in se concitat Hungaros. 13. à Turcis victus; ab Hungaris vinctus. 16. fugit. 17. se eligit Imperatorem. 18. pacem Ecclesiæ restituit, sublatis pseudo pontificibus. 19. vt Concilium conuocaret, ipse Reges adit. 21. Ziscam vincit. 22. coronatur Romæ. 23. Basileense concilium Papæ reconciliat. 25. adulatores odit. 24. vxorem carceri tradit. 26. mors. 27. monita eius.*

6. Maria regina Hungarorum subditis inuisa. 9. eius mater flumine demergitur. 12. mors.
7. Carolus Dyrrachinus Rex Hungar.
14. Galli à Turcis victi.
18. Laus propria quando licita.
20. Crematur Jo. Hus.
24. Barbara vxor Sigismundi Imp. auara, impudica, infidelis.

I. SVb imagine Herculis Cœlum *Sigismundus* conscendit. Iouem obuium habet, cui monstra offert, quæ claua prostrauit. Argumentum aulicis non nisi per gradus laboris ad Honorem conscendi. Mos namque *Sigismundo* dignitates meritis retribuere, quæ sunt Reipublicæ munera, non sanguinis prçmium.

II. *ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.*

HErculeos statuit cur Rex deferre Labores,
Antè Iouem? Alcides Alter an Ipse manet?
Est Leo sub Nemea Sylua: fuit Hydra malorum:
Auriger et Ceruus: Tumue Erymanthis Aper.
Stymphalides fugiunt: Stabulumque lauatur, & Vndis:
Vincla sed ex Auro, Victa dat Hippolyta.
Caduntur Diomedis Equi cum Rege: domandus
Taurus, & Ille furens sub iuga, colla dedit.
Geryon cecidit Triplici cum Corpore victus:
Cerberus ex Orco tractus, in orbe stetit.
Postremò Hesperidum carpuntur & aurea mala.
Hæc Duodena probat Iupiter Acta Ducis.
Sors aduersa nihil; nil & Fortuna nocebit:
Stat Rex, si Fortis, vincere Fata potest.

M.Ant.Moles Neap. S.Th.D.

A L I A

IVpiter Herculeis, iam functum ingentibus ausis
Aspicit vt stipent hinc opus, inde labor;
Clauibus his Cœlum patuit, nouique quod vnà
Virtute, & non à sanguine manat honos.

Vel

Ante Iouis solium cum Sigismundus adesset,
Exoluisse ferunt talibus ora modis;
Ne mirere Pater mortalem ad sidera ferri,
Qui mortale nihil voce manuque sapit;
Os hominem præfert; sed rerum gloria, dignum
Me facit æterna conditione Deum.

Franc.Franzinus S.Th.D.



SIGISMVNDVS
OCCIDENTIS IMPERATOR XL.

Post varios casus, per tot discrimina rerum — IV. *In Sigismundo clauditur tomus præsens, qui inscribitur Aquila Vaga.*
Sal. An. Nidum inuenit, vbi pullos reponat *Aquila Vaga*.
Mundus sistitur *Sigismundo*
Mali patris, pessimi fratris, optimo filio.
Sic Fatis recurrunt Fasti
Caroli IV. Cæsaris *Augustum* sanguinem — V.
Externi Reges voluere in filium.
A *Ludouico* Hungarorum Rege in hæredem adoptatus;
Non minùs regni, quàm sanguinis
Mariam eius filiam coniugem habuit:
Quam primam sine exemplo mulierem, — VI.
In Regem Pannona coronauit,
Bono nomine, sed malo omine.
Vbi se virorum caput mulier aduertit
Desipuit, quia supra sexum sapere voluit.
Viros cum puderet mulieris imperium
Carolum Dyrrachium ex Apulia vocarunt. — VII.
Sub larua amici ingreditur hostis;
Victoria securior, quòd hostem haberet fœminam.
Ignauus non esse iram super iram mulieris: — VIII. *Carolus Dyrrachinus veneno tollitur.*
Quæ cum viribus nequit, dolo pugnat, & astu.
Simulata inter cupedia cupidine
Cum vino haud posset, virus tulit virum sustulit,
Tantum scelus aqua sola diluere potuit, — IX. *Vidua Regina Hung. demergitur in flumine.*
Quàm fœminæ in flumine ministrauit *Horuatius*
In hoc tamen felicior parente filia
Quòd è carcere educta vnà solem reuidit, & solium. — X. *Sigismundus Rex Hungar.*
In hoc iterum sola sedere non ausa,
Thori, & throni socium *Sigismundum* admisit.
Laudabilior dum cum alio, quàm cum sola regnaret.
Acephalam sine Rege Reginam dicunt:
1386. *Quoniam vir est caput mulieris.*
Per Martem Venerem adiens *Sigismundus*
Iratam placare haud potuit, quàm sanguine subditorum. — XI. *Rigore vindictæ in se concitat Hungaros.*
Rigor concitauit metum, metus odium, odium vindictam.
Vt mallent audere semel, quàm semper timere.
Vt arbores pullulant recisæ;
Sic Regia crudelitas auget inimicos, tollendo. — XII.
Inter tot victimas *Maria* cecidit, occulto functa fato,
Quasi rebelles sequeretur ad inferos;
Vt Matris manibus parentaret.
Amissa vxore, & dotem perdidit *Sigismundus*, — XIII. *A Turcis victus, exosus suis, carceri datur.*
Ferro Turcarum victus; Hungarorum catenis vinctus.
1396. Tantas copias contraxerat, — XIV. *Galli primam pugnam petentes, à Turcis fugati, victoriam Hungaris eripuere.*
Vt Cœli ruinam stantibus hastis, subire posse iactaret;
Sed Gallorum præcipiti cantu, præcipitato conflictu
Qui Cœlum contempserat, vix cimba hostem euasit.
Xersis Fatum nactus;

Qui spreto Maris imperio, catascopo in Asiam refertur;
Sic Galli, qui primi gloriam poposcerant, primum dedecus retulere.
XIV. *Solio priuatur.* Alienæ culpæ inuidiam *Sigismundus* subijt.
Ad *Ladislaum* Neapolitanum pro solatio Hungari confugiere,
Solio indignum iudicantes, qui lædere sciret, non sanare.
XVI. *Fugit Sigismundus.* Non defuit tamen *Sigismundo* amica Venus 1401.
Mulieris astu solutis vinculis,
Felicius imperare, non pugnare cæpit,
Martem itaque expertus iniquum, Ianum clausit
XVII. *Se Imperatorem eligit.* Sibique Romani Imperij ianuas aperuit. 1410.
Nec Ambitiosum credidere septemuiri
Cum de suffragio rogatus, *se omnium* dixit *dignissimum*.
Laus in ore proprio sordescit,
Vbi adulatio est omnia:
Et veritati non est locus in aula.
XVIII. A Pontifice coronatus,
Concordiam reduxit in Domum Dei
Quam ab Apostolorum limine eliminauerat Triumuiratus:
Conuulsam namque Petri petram
Atlas licet tergeminus sustinere non poterat.
Gladio cum posset, maluit Patrum Concilio;
XIX. *Vt concilium conuocaret, ipse Reges adit.* Cuius ne vacillarent decreta, *Constantiæ* indixit.
Vt Dij conuenirent, conuenit ipse Reges,
Et quasi Spiritus Sancti tabellio
Triennij spacio totam peragrauit Europam,
Vt synagogam Deorum Deo congregatet,
In qua Christo tunicam redderent inconsutilem.
Partiti cum essent vestimenta Christi, 1414.
Et super vestem eius misissent sortem;
Trino capite vnitas laborabat Ecclesiæ.
XX. *Crematur Io. Huss.* *Io: Huss* violatam asserens Christi fidem, 1418.
Per rogum missus est ad reuidendum exemplar.
Sed incendij pestilens fumus totam Bohemiam succendit.
Tentauit deploratæ Reipublicæ succurrere *Sigismundus*,
Quæ *Zisca* Duce, se suis manibus lacerabat. 1419.
XXI. Cum pro aris pugnaret, pro arra Deus stetit, ne aleam perderet.
Inclinata ad tyrannum, Regem declinasset Exoculata Dea.
Ni ille in cuius manu sunt sortes Regum,
XXII. Victoria teste, errorem cæci Numinis emendasset.
In Salo, non in solo cum instaret Piscatori naufragium;
In Italia descendit, sed nil aureum inueniens præter coronam,
XXIII. *Basileense Concilium Papa reconciliat.* Basileam redijt, & lasciuienti Concilio consilium reddidit, 1433.
Ne à capite membra recederent.
Qui tanta potuit sub leges reducere regna,
Barbaram non potuit vxorem nomine, & vita.
XXIV. *Barbara impudica symbolum habuit, Danaem excipientem Iouem, sub lemate* Omnia subiecta auro. Omnia cum crederet Noua Danae, excepto Deo
Iouem damnauit, si sine auro.
Luxum ducens non luctum, debili marito carere,
Curauit *Sigismundo* mortem arcessere, non arcere.
Hanc lenis, ne leno esset,
Ex lecto carceri dedit, cum letho deberet.
Tyrannum est qui dixerit,

Quòd

Quòd adulari noluerit. XXV. *Adulatores odit.*
1437. Moritur non minus prudens, quàm infelix Cæsar, XXVI. *Mors.*
Quòd se Rege, primum Hungaria iugum sentiret barbarorum.
Plura in monumento monimenta reliquit,
Vt quid humana prudentia debeat, successori consuleret. XXVII. *Monita Sigismundi.*
Quid possit, Fortunam consuleret.
Tu fastos sequens, non fastum,
Subiectis parce, Dominare superbos.
Armis præfer literas
Quas donat Iupiter, illa homo.
Sapiens Dominabitur astris: Regemque dicas,
Ni aduersa deprimant, extollantque secunda.
Iniuriam vir fortis, felixque ferat.
Male agens, malè loquentes audiat,
Latrant, quia laceras.
Exodium hoc sit tibi exordium,
Vt me mortuo, benè viuas:
Et vera si non auribus oculis, & à Manibus haurias.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM.

1. *Sigismundi Imper. genesis.* 2. *vxores, liberi.* 3. *Seipsum elegit.* 4. *quādo coronatus.* 4. 110. *pacis & religionis amator.* 5. *Orbem percurrit, vt pacem restituat Ecclesiæ.* 5. *cogit concilium celebrari.* 112. *legem edit de immunitatibus Clericorum.* 9. *retrahit Papam Io: XXII. fugientem à concilio.* 12. *constitutio de electione Rom. Pontif.* 13. *in Hispaniam pergit, vt Petrum de Luna ad concordiam prouocet.* 14. *colloquitur cum Ferdinando.* 23. *in Angliam descendit, vt Reges conciliaret. ibi in curia præcedit.* 24. *prohibetur in Gallia exercere iurisdictionem.* 30. *Rex Bohemiæ.*

31 *Bohemia pellitur.* 33. *Fugatur à Zisca.* 36. *infaustus pugnat in hæreticos.* 38. *petit reconciliari cum Zisca.* 43. *Norimbergæ comitia celebrat in Bohemos. fugatur iterum.* 46. *in* Italiam *descendit.* 47. *Mediolani coronatur.* 51. *inuitatus à Philippo Maria Mediol. deseritur.* 53. *prohibetur ingredi arcem Mediol.* 53. *mandat omnibus adhærere Concilio Basileæ, & ne dißoluatur, Papam rogat.* 56. *se protectorem exhibet Romanæ Ecclesiæ.* 58. *Romæ coronatur.* 59. *Stratoris implet officium.* 60. *Io: Franciscum Gonzagam Marchionem creat.* 61. *Constantiam repetit.* 62. *sedet ibidem imperiali plaudamento indutus.* 63. *Concilio Papam reconciliat.* 64. *muneribus donatur à Turca.* 71. *Fridericum Misniæ Marchionem, Saxoniæ Ducem, & Electorem creat.* 76. *mandat ne Principes Imperij ad Concilium prouocent in causa imperij.* 78. *cum Bohemis conuenit.* 79. *leges dat Hungaris.* 80. *honorificè susceptus à Bohemis.* 82. *moriturus in Morauiam secedit, vt eludat dolos uxoris.* 83. *uxorem carceri tradit.* 84. *Albertum Austrium designat successorem.* 86. *obit.* 87. *ploratur.* 88. *adulatores odit. apophtegmata.* 91. *patiens.* 97. *literatos amat.* 98. *diuitiarum contemptor.* 99. *gratus, liberalis.* 103. *clemens.* 105. *fortis.* 108. *uenerabilis.* 110. *religiosus, pius obit opinione sanctitatis.* 515. *adulter.* 113. *inscriptio sepulchralis.* 114. *Symbola.* 24. *obstat nuptijs Iacobæ Hollandæ cum Io. Brabanto.*

2. 81 *Mariæ uxoris Sigismundi Imper. symbolum impudicitia.* 83. *custodiæ datur.*

7. *Io. XXII. Papa Concilium Constantiæ permittit celebrari.* 9. *clam fugit Constantia ad Fridericum Austriæ.* 10. *Pontificatu priuatus, custodiæ traditur.*

7. *Constantiense Concilium quomodò celebratum.*

8. *Ladislai Regis Siculi mors pudenda. Symbol.*

9. *Ioannæ II. Reginæ libido, effigies, Symbol.*

9. *Fridericus Austrius* Senior *à Sigismundo* pro-

SIGISMVNDI IMPER. GENESIS.

I. EX Imperatore *Carolo IV.* & *Elisabetha* filia *Bugislai* Ducis Stetinensium nascitur *Sigismundus* An. Sal. 1368. die 28. Iunij. Proauus illi fuit *Henricus VII.* Imperator. Frater ei fuit *VVenceslaus* Imperator. Patruelis ei fuit *Iodocus* Imperator. Quinquennis cum esset Marchiam Brandeburgensem à patre accepit; deinde adhuc puerum *Ludouicus* Rex Hungariæ adoptauit in filium, & successorem, propter generosæ indolis signa conspicua, quæ de eo spem concitabant eximiã; post Rex Bohemię, & Imp. factus est.

VXORES SIGISMVNDI IMPERATORIS.

II. DVas habuit *Mariam* filiam *Ludouici* Regis Hungariæ, quæ in dotem Regnum tulit Hungaricum, & primo à nuptijs anno vitam cum morte commutauit. Alteram, *Barbaram* filiam *Hermanni* Com. Ciliæ, quæ ei peperit vnicam filiam nomine *Elisabetham* hæredem regni, quam *Alberto Austriaco II.* Imperatori despondit. Fuit *Barbara* impudicissima fœmina, & de vita beata nil planè credebat, vt videre est in eius numismate pag. 32.

IM-

III. Boh. 23. Sigismundus seip. sū eligit. Illud de electione *Dubrauius* memorat. Cum ad Augustalia Comitia ab Electore Mogūtino *Sigismundus* velut Marchio Brādeburgensis accessisset, vocatus, & Regię eius dignitati primæ dicendi suffragij vices essent delatæ, togatus quem nominaret? *Me* (inquit) *ego noui: alios non item. Cum nesciam, an quispiam alius æquè sit idoneus capessendo orbis imperio, in tanta præsertim rei Christianæ ob Pontificum multiplicitatem, agitatione, meipsum nomino*. Sigismundi candorem cæteri mirati Electores, eius votum communi assensu comprobarunt. Ipsum verò non tam honoris ambitione, quàm Ecclesiæ pacificandæ desiderio, hanc dignitatem assumpsisse, labores apprimè pro ea suscepti demōstrant. Non tam citò coronatus apparet ex VI. Quando coronatus. *Chron. Belg.* certiùsq; ex literis ab eo ad Io. Pōtificem scriptis. *Anno Domini M.CCCCXIV. die octaua Nouemb. coronatur Sigismundus Rex Hungariæ in Regem Rom. cum Regina in Aquisgrano Leodiensis diœcesis, vbi Theodoricus de Mors Archiep. Colon. primam Missam celebrauit*, ait Chron. Belg. Quum primùm Pacis, & religionis amator. imperium suscepit, scribit Mutius, *nihil æquè studio habuit, quàm ut is omnibus per Rom. Ecclesiam, & imperium nationibus omnes dissidiorum causas tolleret, & tumultus bellorum sedaret. Nam non nihil laboris subire statuit vt componeret Ecclesiam, quæ tum factionibus miserrimè erat turbata, confusissimoque chao similior, quàm congregationi fidelium. Eius rei* Ecclesiæ miser status. *gratia peragrauit multas terras, exposuitque se magno periculo, & multorum odio, & inuidiæ. Misit legatos ad Pontifices, ad Episcopos de Ecclesiæ rebus componendis, & de Pontificibus concordandis, nam pro singulari prudentia prævidebat felicem Rempub. Imperij sui esse non posse, nisi Religio esset in summo loco, quæ tum propter Pontificum dissidia, & aliarum Ecclesiasticarum personarum improbitatem, corruptamque vitam contempta iacebat, multarum piarum conscientiarum pessimo scandalo*. Tres V. Tres Pōtifices. enim Pontifices elegerant Cardinales in contraria studia diuisi, *Iohannem XXIII.* Romæ. *Gregorium XII.* Arimini apud *Malatestas*, & *Benedictum XIII.* in Hispanijs. Hi mutuis digladiabantur execrationibus, & diuersarum gentium studijs. Dimicabant non de gloria Dei, sed de principatu, vter vrbi imperaret. *Gregorius* Arimini, *Benedictus* Auenione, *Iohannes* Bononiæ agebat. Hæc igitur mala cum rectiùs synodo, quàm armis tolli posse cerneret *Sigismundus*, plurima regna obiens, penetrauit Franciam, viditque Regem eius. Nauigauit in Angliam, & vbique iecit semina futuræ pacis, ac inespectata celeritate, & admirabili locorum tolerantia perfecit, vt Regum consensu Synodus cogeretur. Extant literę *Sigismundi* ad *Carolum* Regem Franciæ, vt ad Concilium veniat. Sigismundus orbē percurrit Krantz Saxon. 10. c. 29.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper-Augustus, &c. Serenissimo Principi Carolo Regi Francorum Illustri, Consanguineo nostro carissimo, & fideli dilecto, &c.

1. *Rex pacificus pia miseratione disposuit, ne homo creaturarum dignissima, quem de limo terræ formatum ad imaginem, & similitudinem suam fecit, per abusum liberi arbitrij laberetur, & labendo à cognitione sui recederet creatoris, dum par in parem imperium non haberet, Præsides suo operi superesse voluit, quorum ducatu vita cuiuslibet regeretur, ac ipsorum motibus & præceptis inferiores ceteri obedirent. Sicque statuit duo luminaria super terram, maius videlicet atque minus, vt in ipsis vniuersalis ecclesiæ consisteret firmamentum, in quibus Pontificalis auctoritas & Regalis potentia designantur: vna videlicet, qua spiritualia; & altera, qua corporalia regerentur. Ad subsistentiam igitur machinæ spiritualis, beatum Petrum Apostolorum Principem, & in beato Petro Pontifices successores, summus Pontifex in æternum vnigenitus Dei filius Iesus Christus, qui doctrinam humano tribuit generi salutarem, magistros esse voluit & pastores: ad corporalis verò compaginis firmamentum, cuius facilis est profectò distinctio, Reges & Principes Rex Regum & Dominus Dominantium idem ipse præesse voluit Iesus Christus, vt illi quidem in executione Pontificalis officij spiritualibus vacando negocijs proficerent ad salutem: & hi salubriter in excellentia Regiæ dignitatis corporalia gubernando malicijs hominum obuiarent: sicque machina fieret vtriusque subiecti stabilior, dum haberet quodlibet proprium seruatorem. Debitum profectò caritatis, quæ* à non quæ sua sunt quærit, *nimirum exposcit, vt non solùm is, qui contemplationis speculam ascendit, sed oportunitate suaden-*

te

te actionis onera supportans magis necessarius inueniatur: quia licet ille sit securior, hic tamen est utilior, sibi & alijs commodum afferens & profectum. Licet enim Maria sedentis secus pedes Domini otium, Marthæ ministerio præferatur, & quòd sit status ille tutior, utpote à seculari strepitu segregatus; actiua tamen potest utilior iudicari esse, quòd sibi prodest, & alijs, tribulationes sustinens & pressuras, per quas uirtutes suscipiunt incrementum: quoniam, sicut ait Apostolus, tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. *Et plerumque contingit, quòd uirtus in infirmitate perficitur.*

2 *Sed quia diebus istis nouissimis, in quibus superexcrescente malitia in immensum refrigescit caritas, in plerisque proprius appetitus, qui* niti semper in vetitum consueuit, *adeò debacchatur in homines, quodam dato quasi libello repudij libertas arbitrij, qua bonum malumuè discernitur, exulat extra terminos honestatis, multum oneris multumque sollicitudinis nobis incumbit, ut animarum corporumque periculis caueatur. Nisi enim malicijs hominum congruis obstaculis obuietur, descensus est profectò labilis ad excessus, & dum per lubricum iter discriminis abusiuè descenditur, facilis (proh dolor) releuatio vix habetur. Inter profectò curas varias nostris processibus influentes, sollicitudo quotidiana nos excitat, qualiter generali bono status totius populi Christiani multiphariè multisque modis, nostris temporibus proficere valeamus, ut cum in die illa nouissima, die scilicet districti & tremendi Iudicis, discussio venerit, plenam possimus ipsius Dei superfauente clementia de commissis nobis talentis, duplicata Domino importando, reddere rationem. Maximo etenim desiderio iamdudum tenebamur, ut diebus nostris videre possemus unicam Christi sponsam, Catholicam Ecclesiam, feliciter reformatam: posteà verò cùm ad Imperialia gubernacula fuissemus assumpti, id quod erat nobis in desiderio, transiuit in præceptum; cùm teneamur Sanctam Matrem Ecclesiam per Imperiale officium tueri, cuius etiam Canones sanctorum Patrum nos appellant Aduocatum & defensorem.*

3. *Considerantes verumtamen, qualiter & quomodo salubriter id peragere valeamus, cum Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & Proceribus, alijs quoque prudentibus, & peritis nostri & Imperij sacri fidelibus, prout tantæ rei instantia exigebat, accurato & frequenti tractatu præhabito: intereà contingit nos intellexisse, quomodo sanctissimus Dominus noster, Dominus Iohannes Papa XXIII. venerabile Concilium indixisset. Summo itaque studio curauimus, ne quid negligentiæ posset in hoc nobis apud Deum & homines imputari. Et ob hanc rem per litteras, & nuncios institimus apud eundem Dominum nostrum Papam pro indictione generalis Concilij, loco alibi & tempore congruo deputandis. Qui nostris votis annuens misit ad nos reuerendissimos in Christo Patres, Dominos ad titulum sanctæ Cæciliæ Presbyterum, & sanctorum Cosmæ, & Damiani Diaconum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Apostolicæ Sedis Legatos, & Nobilem M . . . tradita eisdem in prædictis plena potestate. Ipsis verò ad nos peruenientibus, post multa nobis cum habita super ijs consilia tandem nos cum eisdem pro loco Concilio elegimus ciuitatem Constantiensem Prouinciæ Moguntinensis. Quem locum nos eisdem nominauimus tanquam idoneum, tutum, & communem omnibus nationibus ad Concilium venturis: & in quo, Deo fauente, curabimus personaliter interesse, & omni modo posse secundum nostrum Imperiale officium tueri omnes cuiuscumque status ad Concilium venturos in plena libertate: ita quòd omni timore postposito poterunt ad Concilium venire, ibi stare, & recedere pro sua voluntate. Et insuper nos cum prædictis Legatis, & nuncijs ad initiandum præfatum Concilium assignauimus tempus vnius anni, incipiendo die prima mensis Nouembris nunc instantis.*

4. *Expedit quippe, ut uniuersi & singuli solicitudine non pigri, feruente spiritu Domino seruientes, in vinea Domini Sabaoth, in qua ex denario diurno, & labore conuenimus, irrefragabiliter operemur extirpandis vitiorum spinis & peccatorum tribulis, quæ superficiem eius obumbrasse videntur: nec non plantandis virtutum germinibus, in quibus Dominus delectatur, totis affectibus intendendo illlustrare. Illustrem itaque Serenitatem vestram ex Imperiali officio ad tam suaue, & dulcissimum conuiuium fraternè, vel caritatiuè inuitamus, & requirimus & hortamur in Domino, ut pro religione Catholica, quam Deo debetis, ad cuius diuinæ religionis exaltationem, & statum insti-*

tutum

tutum est præmissum Concilium, velitis in præfato Concilio, tempore præscripto, si commodè potestis, per vos, vel si commoditas personalis non patietur, saltem per vestros solemnes Ambasiatores interesse, atq; cum effectu disponere, & curare, vt Prælati, Doctores, & Magistri, & viri Ecclesiastici, religiosi & seculares, qui sunt in vestro regno & territorio, veniant ad huiusmodi Concilium tempore constituto.

5. *Vbi dum tantorum Regum, Præsulum, et Principum, quos vnitas fidei Orthodoxæ connectit, fuerit honorabili congregatione Concilium ipsum, & Comitiua suffultum, ac in eius nomine, cuius* Spiritus vbi vult spirat, *collecta Ecclesia reparationem, ordinationem, reformationem & stabilitatem sacrosanctæ matris, et vniuersalis Ecclesiæ, ac pacem & quietem populi Christiani, sicut casti consilij seminator Altissimus infusionem suæ gratiæ amministrabit..... Illa commune consilio etiam decurando vetustissimi antiqua, & antiquata peste dissidij, quo vniuersalis Ecclesia vnitatem Orientalis seu Græcorum dissensio damnabiliter secuit, vt in domum Domini indiuiduam sponsæ vnicæ, in vnitate orthodoxæ collectionis, & intemeratæ fidei puritate, (vtinam nostris temporibus cœlitùs infundatur hæc gratia) per prouidam reintegrationem reducatur, & lucis cœlestis illuminatione solidet lumen in reuelationem gentium, inueniatur prouisio, & eiusdem approbatione Concilij roboretur, per cuius salutiferam executionem virtus Altissimi fugatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, reintegrata eiusdem fidei vnitate, extirpatis vitijs, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, & eiusdem Ecclesiæ statu prospero recuperato occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conseruet, viamque aperiat idem ipse qui nouit, & facultatem tribuat ipse qui potest: vt sic in præmissis iuxta intensum animum nostrum desiderium sibi ministrari salubriter, quod idem verus eiusdem vniuersalis sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam purgatam maculis, ornatam virtutum monilibus, ac speciosam, vnam semper habeat cum vnico sponso vero, & formosam, quam in dilecta tabernacula sua virtutum bonis pastor, qui animam suam pro suis posuit ouibus, non habentem maculam neque rugam, in vestitu deaurato circundata varietate introducat ad sui nominis laudem, & gloriam, animarum profectum, robur fidei, sanctæ matris, & vniuersalis Ecclesiæ exalationem ac pacem plebis Christianæ, &c.*

Concil. priusquam *Sigismun* peteret, Aquisgrani diadema suscepit, vt ex literis eiusdem. VI.

Sanctiss. in Christo Patri & Domino, Dom. Ioanni Sacrosanctæ Rom. ac vniuersalis Ecclesiæ Pontifici, Domino nostro Pontifici.

Sanctissime Pater & Domine, Domine Reuerendissime. Cum debitorum nostrorum Cyrographa legimus, dum Calendarij nostri volumina diligentissime perscrutamur, & nos debitores alijs euidenter agnoscimus, & aliorum nos esse prospicimus creditores. Hinc igitur pulsantis ad ostium iusta nos vrget instantia ne fœnore prægrauemur. Ab illo namq; bono patrefamilias instanter à nobis exigitur debitum, qui peregre proficiscens peculium suum Romanum videlicet Imperium sollicitudini nostræ supposuit, cui talenta quæ tradidit reddere cogimur duplicata, sed & Catholicæ fidei fulcimenta contra venenata reptilia non leuia amministrat, & ad honorem Dei grande producit, vt speramus auxilium Ecclesiæ militanti. Propter quod gratissimum offerre viuo Deo putamus obsequium, si zelo laudabili, & constanti proposito ad totius Imperij statum pacificum tanto libentius aspiremus, quanto præclariori præsagio hoc de cœlesti colligimus voluntate. Nec enim ob aliud credimus quod prouidentia Saluatoris sic magnifice imo mirifice dirigit processus nostros, dum quasi ab Orientali zona peculiare regnum nostrũ gloriosa videlicet Hũgaria locorum amenitate conspicua, situum habitudine speciosa, exuberanti rerum affluentia copiose pollens delectabilem indigenis, & aduenis sub diuersitate linguarum, & nationum exhibet incolatum, & in quo iucunditatem, & exultationem thesaurizando omnium diuitiarum temporalium nulli in orbe terrarum secundus suauitate deduci delectabiliter viuere, & feliciter regnare possemus. Veruntamen generale bonum priuato preponentes commodo legimus namq; plures pro quiete publica populorũ labores eximios magnanimiter assumpsisse. Ad quod etiam progenitorum nostrorum clara proprietas & celebris famagestorum, quæ diffusa per orbem, consueuit etiam redolere remotis

tis nos inuitat exemplis. Ad id sine dubio nostra intentio directa est, nec in hoc prouideri commodis proprijs intendimus, sed potius publicum, & prosperum negotium Reip. Christianæ Ecclesiasticæ videlicet, & secularis in quantum eum Deo possumus directissime procuramus. Cum omni nempe reuerentia, & filiali deuotione Sanctitati eidem annunciamus vt quemadmodum veneranda sanciuit antiquitas progenitorum nostrorum laudabilibus vestigijs inhærentes die 8. mensis instantis in festo videlicet Quatuor Coronatorum per prius Missarum officijs cum inuocatione Spiritus sancti paracliti celebratis, & alijs ceremonijs legitime peractis in copiosa multitudine Principum Ecclesiasticorum & secularium, Prælatorum, Comitum, Baronum & aliorum plurimorum magnatum, Procerum, nobilium, militum, Cleri, & Populi in Ecclesia Collegiata Beatissimæ & intemeratæ Virginis, Dei & Domini nostri Iesu Christi genetricis dulcissimæ Aquisgrani Leodiens. Diœces. loco videlicet longeuæ obseruationis exemplo coronationis ipsius Regiæ dignitatis speculam conscendimus, primum diadema Imperialis fastigij, & Coronam Romanorum Regiæ dignitatis, vt moris est seruatis seruandis in nomine Conditoris vniuersæ Creaturæ et Principis Regum terræ, qui sapientia fundauit terram, & firmauit cœlos prudentia, omniaque solus ordinans cælestia & terrestria ineffabili prouidentia moderatur, quique omnis regiminis & gubernationis est alpha, & omega, qui & creationis est solus auctor suscepimus & etiam caput amantissimæ consortis nostræ Dominæ Barbaræ Reginæ eodem instanti successiue fuit ibidem coronatum. Vt ex hoc Romanorum Regiæ dignitatis titulus in nobis signa maioris auctoritatis indueret, et Originalis electionis initium, & omen renouaret noua Coronationis claritudo, & felicitatis antiqua domus nostra iucunditate florida iubilaret. Quibus solenniter peractis eodem etiam die Principes electores & cæteri Principes Ecclesiastici, & seculares Prælati, & Abbates, Magnates, Comites, Barones, & Proceres homagia præstantes nobis vexilla sua in signum obedientiæ, & subiectionis debitæ cum omni reuerentia præsentarunt. Et insuper honoris nostri solemnia dignis militantium præter celebrata magnifice tantæ festiuitatis insignia, quæ tanti boni iucunditas requirebat plurimos cingulo militiæ, tyrocinis quoq; titulis & insignijs ornauimus. Et iam ab inde sub felicitatis futuræ præsagio ad locum Concilij generalis versus Constātiam continuatis gressibus procedimus, filiali nempe deuotione nos & Regna nostra fortisque nostræ processus Sanctitati eidem committimus supplicantes obnixe quatenus humeros nostros ad tanti fastigij onera supportanda de solita benignitate dignemini auctoritate Apostolica, & paterna gratuita beneuolentia sustentare, & omnes defectus, & insufficientiam nostram corroborando releuare, & releuando corroborare, ac robur & auxilium ad diuini nominis laudem, & gloriam administrare. Vt orbis vniuersitas agnoscat, quod pater diligit filium, & debita relatione pertractat, & sicut mandatum dederit tibi pater, sic filius faciat, paratis cum omni promptitudine cordis & operis beneplacitis & mandatis sanctitatis vestræ obseruare. Et si in loco Concilij aliqua fuerint apud ciues & incolas corrigenda, postquam Deo auspice illorum celeriter veniemus ad mandata sanctitatis vestræ emendabimus, & ad directionem cuncta suauiter disponendo faciemus. Personam sanctitatis Vestræ sanam & incolumen conseruet & muniat altissimus cum dierum felicitate longæua regimini Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum Aquisgrani nono die Nouembris Regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. vigesimo octauo, Romanorum electionis quinto, Coronationis vero primo.

Sanctitatis vestræ deuotus filius, Sigismundus Dei gratia, Roman. Rex, semper Augustus, & Hungariæ, &c. Rex cum humillima recommendatione ad pedum oscula beatorum.

PONTIFICIS RESPONSIO.

Ioannes, &c. Chariſſimo in Chriſto filio Sigiſmundo Rom. & Hung. Regi Illuſtri ſalutem &c.

IVcundissimæ fuerunt nobis charissime fili litteræ serenitatis tuæ. Plenæ siquidem sunt amoris & fidei. In eis enim tuam, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Barbaræ Romanorum & Hungariæ Reginæ illustris Regiæ cōthoralis felicem coronationem, Aquisgrani, maiorum more solenniter celebratam filiali deuotione significas, & sincerum affectum, quem erga nos & Ecclesiam sanctam Dei geris, Catholica assertione demonstras, pro quibus omnipotenti Deo, & clementiæ tuæ gratias ab intimo.

an.1314 *timo corde referimus & gaudemus atque exultamus in Domino pro huiusmodi votiuo tuæ Regiæ ac Imperialis dignitatis initio, quod & alia in dies feliciora semper Deo auctore secutura speramus, pariter & optamus ad diuini nominis laudem, pacem Ecclesiæ, Romani Imperij firmitatem, & celsitudinis tuæ gloriam sempiternam. Etsi forsitan vt prædictæ tuæ litteræ requirebant ad gloriosi fastigij onera supportanda nostra & Sedis Apostolicæ auctoritate nostrisque suffragijs indigebis, Tua sublimitas certa sit nos in re nulla nobis possibili pro status & honoris tui amplificatione defuturos. Dignissimum enim est, vt te ante omnes peculiarem filium suum, & inuictissimum pugilem fidei christianæ honoret & extollat ac strictissimis charitatis vlnis sancta amplectatur Ecclesia, quæ hac tempestate laborum suorum singulari tui regalis animi bonitate ac virtute eximia contra schismaticorum perfidiam se dignitatem pristinam cum pace, & tranquillitate recuperaturam sperat. Cæterum quia nos & venerabiles fratres & nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales multis, & magnis rebus & opportunitatibus ipsius Ecclesiæ, quæ in manibus tenebantur prætermissis cupiditate proficiscendi ad hoc sacrum Generale Concilium ad Ciuitatem Constantiæ iuxta sui desiderium conuocatum hic sumus cum copioso numero Prælatorum, tuam celsitudinem expectantes, sine qua nil ponderosum cupimus ordinare. Serenitatem tuam rogamus, & quanta possumus charitate requirimus, vt quantum celeriter fieri potest, huc velis accedere: vt ea quæ pro pace & reformatione præfatæ Ecclesiæ, & tranquillitate christianæ Reipub. necessaria videbuntur, tuis consilijs & auxilijs tractari possint, & ad optatum finem, Deo adiuuante perduci.* Datum Constātię Cal.Dec.Pontific.nostri Anno V.

Legit postea Pontifex duos Cardinales in Germaniam legatos, quibus ediderat nomina vrbium, quò placeret conueniri: sed ijs iam abituris, mutata repente voluntate, libera ijs mandata impertitus; *Ite* (inquit) *quod è fide vestrâ videbitur, facite*: discerptisque, quæ scripta dederat, nominibus, dimisit. *Ioannis* factum fuit pacis exordium, quia nullus erat futurus seditionum exitus, donec Constantia ad cōcilium celebrādum electa. duraret de loco conueniendi contentio. *Constantia* delecta est miro *Sigismundi* gaudio, in cuius fide ciuitas erat. Itali Patres eò conuenturi sperabantur, & in auctoritate Concilij *Gregorius*, & *Ioānes* futuri, natione Itali. Quo minùs de *Benedicto* speraretur, peruicacia eius suadebat. Franci eum de sententia non mouerant: Hispani pertinaciam fouebant. *Sigismundus* nihilominus Constantiam accessit; cum eo fuere multorum Regum legati, tres Electores Imperij, *Ludouicus Palatinus*, *Rudolphus Saxo*, *Fridericus Brandeburgicus*, cæterorum Principum ingens numerus: Patriarchæ tres, Aquileiensis, Antiochenus, Constantinopol. Cardinales 28. Episcopi 155. Theologi, & Iurisperiti complures. Imperator, vt omnia ordine gererentur, totum Concilium distribuit in quinque nationes, in Italos, Gallos, Anglos, Hispanos, Germanos; quæ singulæ elegerunt Prælatum suum, qui negotia Concilij tractaret; id quod Papæ, & Cardinalibus adeò displicuit, vt deserendū Conciliū cogitarent. Inchoato tandem Concilio, tametsi ob eam potissimum causam coacto, vt schisma an.1414 extingueretur, nunquàm tamen in eo elaborarunt Patres, vt singulorum Pontificum ius perpenderent, aut quis reliquis præferendus esset, argumentis exquirerent. Erat enim id difficillimum, vixque vnquàm ad exitum VIII. causa fuisset perducta. Id vnum curabant, vt Inchoatur Concilium. illi tres Pontifices de suo quisque iure decederet, aliusque verus Pontifex eligeretur, de quo nulla esset dubitatio.

Mortuus erat *Ladislaus* Rex Siculus, & Ladislai Regis Apuli mors pudenda. totius ferè dominator Italiæ. Romanæ Ecclesiæ hostis accerrimus, à *Ludouico Andegauensi* victus, & fugatus cum (hoste minimè victoriam prosequente) copias reparasset, solebat dicere, *si hostes ea die insecuti fuissent victoriam, tam se, quàm regnum in eorum potestate futurum: si postera die, non se, sed regnum: tertia, nec se, nec regnum.* Is cum Perusium currenti anno, ineunte Iunio, magnis copijs venisset, & non solùm Florentinis, quibus erat infensissimus, verùm etiam ipsi Pontifici *Io. XXII.* Bononiæ tunc agenti, quem toto nisu persequi decreuerat, ingentem terrorem incussisset, post initam dubiam cum Florentinis pacem, morbo cogente, Neapolim redijt. Fama fuit, pudenda Florentinorum opera præbitum ei fuisse venenum. Medicus quidam Perusinus, cuius filia Rex abutebatur, pecunias sibi promissas filiæ vitæ præferens, filiæ persuasit medicamine quodam venenato pudenda linire, quo Re-

an.1414 gis libido, & in se amor magis incitaretur. Hinc ipsa, & Rex infectus ægritudine, & Cæli impatientia cadens, recessit. Succeslit *Ladislao* (qui nullos liberos reliquit) soror eius

IX. Ioanna II. Regina. *Ioanna* huius nominis *Secunda*, vidua *Guillelmi Austrij*, annum agens XLIV. sed amore cuiusdam *Pandolfelli Adolphi* Neapolitani conspicua forma iuuenis, impudica, & infamis, cui etiã dignitatẽ magni Camerarij (cuius erat administratio regij patrimonij) contulit: quousque ad auferendam regiam notam, virum duxit anno sequenti *Iacobum*



Marchia Comitem ex familia Borbonia, præstanti corpore, & forma, qui Neapolim petens, ac regio susceptus honore, Reginam propemodùm captiuam tenuit; *Sfortiam* Regni Cõnestabulum carceri inclusit; quosdam in se conspirantes plexit; donec Regina in libertatem à populo restituta, ipse *Iacobus* vice versa in custodiam datus est, *Sfortia* liberatus, Reginaque sese cuidam *Ioanni Caracciolo* substrauit ingenti sui infamia, & regni detrimento.

X. Ladislai itaque morte *Io. XXII.* Pontifex excitatus, cum nihil iam esset, quod illum cogeret ad *Sigismundum* Romanorum Regem respicere; quia tamen Conciliũ erat solẽniter congregatũ, noluit promissis deesse, vt Pontificatu caderet, si *Gregorius*, & *Benedictus* se vellent abdicare. Constantiam porrò cum peruenisset, mutato consilio, clam noctu, abiectis insignibus Pontificijs, Constantia discessit, & se in oppidum *Friderici V.* Ducis Austriæ, cognomento *senioris*, cuius auxilium implorauerat, perterritus se recepit. Eo protinus cum copijs aduolauit *Sigismundus*, & proscripto *Friderico* hostibus eius ditiones obtulit diripiendas, & occupandas. Partem tamen Imperatori reconciliatus recepit. Schafhusium, Rhinfelda, Dissenhouen, & Cella ex hoc tempore cesserunt imperio. Tigurini eadem occasione Comitatum Kiburgensẽ ad Arolam: Pagi veteres Bregomartum, & Mellingam: Lucernates Comitatum Rore, loca ad Rusam (olim Vrsa) amnem, cum oppido Surseio: Bernates Zofingam; Arburgum, Arouium, Lentzburgum, Pontes siue Brugam sibi subiecerunt. Sic vno anno Austriaci florentissimo, & antiquissimo primoque illo familiæ dominio Vindenissensi omni, ob fidem seruatam Pontifici exciderunt, ex proscriptione *Sigismundi* Cæsaris; ex cuius iterum testamento, & matrimonio *Elisabethæ* filiæ cum *Alberto V.* Austriæ, amplissima regna Hungariæ, & Bohemiæ cum Romano Im-

perio

perio ad familiam deuoluerunt Austriacam. Habuit Fridericus fratrem *Ernestum*, cognomento *Ferreum* à robore corporis, qui *Friderico* proscripto, dum eiusdem per Sueuiam, & Heluetiam ditiones occuparentur ab hostibus, ex Stiria à Prouincialibus euocatus, Oenipontem aduolat, & Tirolensem, & Athesinam ditionem (nè vt cæteræ à familia diuellerentur) occupat. Anno 1414. Legatos *Sigismundi* Cæsaris, prouinciam ex proscriptionis lege sibi cedi iubentis, irritos remittit. Retractus è fuga Papa, non habens quod testibus opponeret, nec admonitus se abdicare vellet, lata sententia seruato iuris ordine, eidem Pontificatum abrogarunt, & ad *Ludouicum* Bauariæ Ducem miserunt, apud quem quadriennio Germanis custodientibus detentus fuit. Interim *Sigismundus* tanquàm Romanæ Aduocatus Ecclesię, & Constantiensis Concilij protector, atque defensor decretum edidit, *ne Synodus dissolui posset, sed in suo robore conseruaretur, & manuteneretur, quousque libera Electio fieret Summi Pontificis, & reformatio Ecclesiæ, sub pœnna banni Imperialis, & infamiæ perpetuæ in eos, qui libertatem Concilij aliquo modo turbare præsumerent*.

XI. *Gregorius Pontificatui renũciat.* Porrò *Gregorius* ne id sibi accideret, quod *Ioanni*, misit *Carolum Malatestam* cum literis, data facultate, & iure cedendi Pontificatum. Is insignia Pontificis indutus, in augustissima Sella consedit, ac veluti *Gregorij* personam gerens, depositis insignibus, relictaque Sella, se abire Pontificatu effatus est. *Gregorio* ius pilei redditum, Legatione Piceni, & Principatu Cardinalium attributo. Sed non diù superfuit, dolore animi absumptus. XII. Sublatis duobus Pontificibus, supererat *Benedictus*, qui & *Petrus de Luna* dictus, peruicacior animi. Quare cum non facilè cessurum suspicarentur Patres, *Sigismundum* rogarunt, vt Ecclesiæ patrocinio suscepto, vnà cum legatis Concilij *Benedictum* adiret, & ad officium cohortaretur, Quod si eum adducere minùs posset, *Ferdinandum* Regem Arragonium, qui præter cæteros *Benedicto* fauebat, ab eo auerteret.

XIII. *Sigismũdus in Hispaniam pergit ad pacẽ Ecclesiæ.* Annuit libentissimè *Sigismundus*, & cum antea per literas cum ipso *Ferdinando* egisset, vt Nicæam Prouinciæ Vrbem ambo conuenirent, tum verò graui ac diuturno morbo *Ferdinandus* fatigatus, nullo modo Nicæam venire posset, Imperator clarissimus, cui Ecclesiæ dignitas chara erat, purpura, & maiestate Imperatoria indignum non putauit, in Hispaniam se conferre, ac Regem auctoritate, & potentia inferiorem, licet tam longè abesset, quoniam ita expediebat, intra Aragoniæ fines conuenire. Erat *Ferdinandus* eo tempore *Perpiniani* (locus est citra Pyreneos montes in Gallia Narbonensi situs,) Ibi *Sigismundus* vnà cum sex Concilij legatis, quorum Princeps erat *Iacobus* Turonensis Archiep. regio acceptus apparatu, statim cum *Ferdinando* egit, inde cum *Benedicto*, qui eiusdem *Ferdinandi* opera Perpinianum venerat. Obsecrarunt eum Reges, ac Legati, vt Ecclesiæ aliquandò consuleret, & quoniam nil præter ipsius voluntatem detestabili pesti depellendæ tunc obstabat, daret ipse quoque manus, tribueretq; hoc summum Ecclesiæ beneficium, eiusque vtilitatem, vt virum Christianum decet, nomini & insignibus Pontificis anteferret. XIV. *Colloquium cũ Ferdinando.* Verũ ille, vt erat eruditione & facũdia insignis, quà vel priuatus nemini suorum temporum cederet, voce, lateribus, spirituque animi magnitudinem ęquante, septem horas suam causam orauit, tanta contentione, vt *Ferdinandus* Rex, tædio longæ ac intempestiuæ dictionis affectus, dicenti non modò fuerit dissensus, sed decreuerit, eum deinceps in ordinem redigere. XV. *Petri de Luna oratio conciõ.* Orationis hæc summa fuit. Contendebat se legitimum esse Pontificem, & si non esset, tamen solum ex omnibus Cardinalibus superesse, qui aut à *Gregorio XI.* indubitato Pontifice, aut à recentioribus Pontificibus sint donati purpura: reliquos à controuersi iuris æmulis esse creatos, nec dici posse certos, sed ambiguos Cardinales. Quod si sedes Pontifice vacet, si sit interregnum, si ex vsu & dignitate sit rei Christianæ cedere Pontificatu, penès se vnũ, ac nonnullos Canonicos Romanos, quos nominaret ipse, fore ius eligendi Pontificis. Cæsar, Rexque *Ferdinandus*, nihil contra obstinatam orationem pugnandum rati, id duntaxat suasere, fideret suæ causæ, atque eadem, quæ prolixè demonstrauerat, vel ipse coram, vel per Legatos Constantiæ peroraret. Si persuaderet, sanctiùs Pontificia Maiestate vsurus. Sin nouum Pontificem eligendum Synodus decerneret, ipsi desperandum non esse, cum toto in orbe aptior eo reperiri

an. 1314 petiri non posset, qui Dei vices gereret. Quod si Orbis Christiani par[?]alium exposceret, illud saltem prò certo haberi, vt proximus à Pontifice esset, & perpetuas amplissimasque legationes adipisceretur. Verùm expugnari dicendo non potuit. Vnde Rex edicto suo vetuit sacra ab eo iura, beneficiaque petere. Constantiam omninò eundum esse, atque Concilio parendum. Re itaque infecta, ditemptum colloquium, *Benedictus* Panischolam concessit, *Ferdinando* exprobrans, se authorem eum Regem fuisse creatum; nunc summo beneficio ingratè responderi. an. 1314

Deferitur à Ferdinando.

Cæsare Constantiam reuerso, *Benedicto* sede Pontificia moto, *Othonem Columnam* Romanum ciuem, nomine *Martini V.* Pontificem renunciarunt. Mox sequuta est XVI.

Electio Martini V. Rom. Pontif.

CONDEMNATIO IOANNIS HVSS. &c.

XVII. *Hist. Bohem. c. 35.*

Qvomodò hæc contigerint, altius repetam. *VVenceslao* regnante, Studuerat quidā ex domo, quam *Putridi prisci* vocant Bohemi apud Oxouiā Angliæ, vbi *Vuycleffi* imbutus erroribus, librum *de Vniuersalibus* (in quo *de ciuili, ac diuino iure, de Ecclesia* contra clerum agitur) veluti preciosum thesautum patriæ intulit: & *Ioanni* obscuro loco nato, ex villa *Huss*, quod anserem significat cognomen accipienti tradidit. Hic cum esset ingenio peracri, & lingua diserta, auide Vuicleffarum doctrinam arripuit, qua Theutonicos cæpit vexare magistros, qui scholam regebant Pragensem, nec destitit, donec à *VVenceslao* impetratum, vt Pragense gymnasium ritu Parisiensis gubernaretur. Quam ob causam Theutones magistri, ac discipuli iureiurando adacti, vno die supra duo millia secuti apud Lipsiam Misniæ ciuitatem trium dietum itinere à Praga distantem Accademiam erexere, Bohemis scholæ suæ gubernatione relicta, quorum princeps erat *Io. Huss*. Qui vbi satis fidei comparatum sibi existimauit, venenum occultè conceptum, cæpit euomere, & in templo S. Matthæi, vbi festis diebus ad populum concionem faciebat, insanam Vuicleffi explicare doctrinam. Cuius dogmata sunt. *Romanum Præsulem reliquis Episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen. Purgatorium igne nullum inueniri. Orare pro mortuis, figmentum esse sacerdotalis auaritiæ*, cum reliquis quæ postea renouauit *Lutherus*. Hisce blasphemijs studuit occurrere *Subinco* cognomine *Lepus* Pragensis præsul, & supra ducenta volumina huius pestiferę sectæ publicè cremari mandauit. *Huss* prædicatione prohibitus, apud villam, vbi sibi origo fuit, permittente loci Domino, qui eius insaniæ fauebat, plebem docere non destitit. Vtque animos magis sibi conciliaret, decimas non magis quàm eleemosinas sacerdotibus debitas asstruit. Odioso quamuis animo hæc *VVenceslaus* intelligeret, desidia tamen corruptus, impunè debachari sinebat hæreticos. Archiepiscopus vbi nullum aduersùs mala imminentia inuenit in Rege præsidium, ad *Sigismundum* fratrem *VVenceslai* confugit. XVIII. Dat fidem *Sigismundus*, breui se petiturum Bohemiam, Ecclesiæ catholicæ consulturum. Sed dum dies die ducitur, *Subinco* moritur, & *Albicus* ei sufficitur natione Bohemus, arte medicus, *Sigismundo* charus. Homo porrò adeo auaritia corruptus, vt claues cellæ vinariæ sibi tantùm crederet. Idoneus profectò Præsul, qui surgenti hæresi fomentum daret. Infestabat ea tempestate Romanam Ecclesiam *Ladislaus* Rex Neap. in quem *Ioan. XXII.* (vocant alij XXIII. vel XXIV.) Papa bello decreto, peccatorum remissionem indulserat ijs, qui ad tuendam Ecclesiam arma induerent. Recitabatur in Ecclesia Pragensi decretum Pontificis. Hoc cum audissent sordidi homines, Papam clamare cæperunt Antichristum, quia crucem in Christianos decerneret. Eos è vestigio Senatus in carcerem rapi iussit, sed populus arreptis armis dum vindicare festinat, tentauit Senatus oratione placare, tanquàm vita captiuorum in tuto esset, dum clam sumebatur supplicium. At cum sanguis extra prætorij ianuam deflueret, iterum occurrens populus interremptorum corpora rapuit, & veluti sanctorum reliquias in templo aromatibus condidit.

XIX. Dum hæc aguntur, generale Concilium Constantiæ cogitur: quò per nobiles Bohemos, & consiliarios suos *Sigismundus* conuenire persuasit *Ioanni Huss*, ad purgandam & suam, & totius regni Bohemiæ infamiam, propter hæresim, quam profiteri dicebatur. Ne autem *Io. Huss* alicubi in itinere sibi aliquod

an.1414 quod discrimen præparatum esse existimaret, publicæ securitatis litteras *Sigismundus* illi transmisit, his verbis conceptas. *Sigismundus Rex &c. Vniuersis, & singulis Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Ducibus & Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus, Militaribus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Potestatibus, Gubernatoribus, Præsidibus, Publicanis, Officialibus, quibuscumque Ciuitatum, Oppidorum, Villarum & locorum Communitatibus, ac Rectoribus eorundem, cæterisque nostris & sacri Imperij subditis & fidelibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, gratiam Regiam & omne bonũ.*

XX. *Venerabiles, Illustres, Nobiles & fideles dilecti: Honorabilem Magistrum Ioannem Hus, sacræ Theologiæ Baccalaureum, & Artium Magistrum, præsentium ostensorem, de Regno Bohemiæ ad Concilium generale in ciuitate Constantiensi celebrandum in proximo, transeuntem, quem etiam in nostram, & sacri Imperij protectionem recepimus & tutelam, vobis omnibus, & vestrum cuilibet pleno recommendamus affectu, desiderantes quatenus ipsum cùm ad vos peruenerit, gratè suscipere, fauorabiliter tractare, atque in his, quæ ad celeritatem, & securitatem itineris ipsius pertinent, tam per terram, quàm per aquam, promptam sibi velitis, & debeatis ostendere voluntatem, necnon ipsum cum famulis, equis & alijs rebus suis singulis, per quoscunque passus, portus, pontes, terras, dominia, iurisdictiones, ciuitates, oppida, castra, villas, & quælibet alia loca vestra, sine vlla solutione tributi, telonij, aut alio quouis solutionis onere, omnique prorsus impedimento remoto, transire, stare, morari & redire liberè permittatis, sibique & suis, cùm opus fuerit, de securo & saluo velitis, & debeatis prouidere conductu, ad honorem & reuerentiam nostræ Maiestatis. Datum Spiræ, An. Sal.* 1414. an.1414

Salui conducti verba perpende, quibus *Sigismundus* ITINERIS præstat securitatem, & VECTIGALIVM immunitatem, nomine suo, non nomine Concilij; & quod hæretica prauitate conuictus, resipiscere nolens *Hus*, hæreticorum pœnas minimè lueret, vt ipsemet *Hus* obtulerat in litteris ab eo publicè affixis Pragæ, Hebraicè, Græcè, & latinè. XXI.

XXII.





Venerunt itaque *Io: Hus, & Hieronymus de Praga non tam verecundè aliena* (subiungit Syluius) *discere quàm sua impudenter ingerere parati, docendi quippe quàm discendi cupidiores, & populares amantes aures. Auditi sunt in consessu patrum Ioannes ætate maior, & autoritate habitus, doctrina ac facundia superior Hieronymus. Lecti ex omni natione patres diuini atque humani iuris doctores, sæpe cum his colloquium habuere, dogmata eorum à lege diuina aliena esse monstrarunt, neque bonis conducere moribus. Rogauerunt, ne plus sapere quàm ecclesia vellent, sed saperent ad sobrietatem. Peregrinas opiniones relinquerent ingenia sua, quæ quidem essent nobilissima, Vuycleffitarum insania ne fœdarent. Eloquentiam, qua præditi essent, in corroborandis ecclesiæ institutis, non euertendis, in edocendis populis, non dedocendis, exercerent. Posse eos & in conspectu Dei, in ecclesia militante sublimem consequi locum, si reiectis nouitatibus patrum vestigia sequerentur, inuentionesque suas vniuersalis Concilio submitterent. Stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi, neque victi ratio-*

c.36.

rationibus vinci voluere: Si veraces, se sancti Euangelij æmulatores, se Christi discipulos esse, Romanam Ecclesiam, cæterasque per orbem dispersas, longe à traditionibus Apostolorum abijsse, quæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populos, & primos in conuiuijs accubitus exquirerent, canes, equos alerent, ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciuiam luxumque consumerent. Aut nescire prorsus diuina mandata, aut scientes contemnere. Primo res magnæ Synodi, vbi pertinaciam, & immutabiles animos perditorum hominum animaduerterunt, membra ecclesiæ putrida, quæ sanari non poterant, ne reliquum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Lata est in consensu patrum aduersus contumaces sententia, cremandos esse qui doctrinam ecclesiæ respuerent. Prior igitur Ioannes combustus est, Hieronymus diu postea in vinculis habitus, cũ resipiscere nolet, pari supplicio affectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas inuitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Vbi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quã isti incendium. Pogius Florentinus, ætatis nostræ nobilis scriptor, de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicoli conciuem suum, elegantem scripsit epistolam, quamuis paululum sua consuetudine in mores cleri inuectus videatur. Cineres extinctorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum proiecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulere, in quo ignis fuit, eamque veluti sacram secum attulere in patriam.

SIGISMVNDVS IN ANGLIAM PROFICISCITVR. An. 1417.

XXIII. Digladiabantur adhuc Anglorum, Gallorumque nationes; eorum sedaturus iras Sigismundus, in Galliam deflectit. Ad eum excipiendum Principes sibi nihil reliqui fecere, quo nomen Cæsareum apparatius coli posset. In curia præsedit, causæ actæ, orationes habitæ. Cum de præfecturâ Bellocarensi Inter duos contentio esset Eorum alter cæteris omnibus superior, vna re vincebatur, quod equestri balneo donatus non erat, quo insigni alter decoratus, ea maximè nitebatur fiducia. Causa vtrinque perorata, ne virtute superior, insignium inopia, Præfectura deijceretur, vocatum eum ad se, ense baltheoque Cæsar donauit. Constituebat etiam Comitem Sabaudiæ Ducatus insignibus exornare. Intercesserunt Regij Magistratus, ne in Regno Francico quicquam prò imperio agere posse viderentur Augusti. Permolestè id Cæsar tulit. In Angliam decedens, fuit à Rege Calicij, & Londini honorificentissimè habitus; & frequentissimo comitatu, victu cultuque gratuito præstito. Comitabantur Cæsarem aliqui à Patribus Constantiensibus destinati paci conciliandæ. Eam ne consequeretur, nuncius obstitit, qui in continente ad quadrigentos Anglorum à Francis cæsos significauit. *P. Aemil.* in Carolo VI.

Prohibetur in Gallia exercere iurisdictionẽ.

IACOBÆ HOLLANDÆ, & IO: BAVARI DISSIDIVM. An. 1418.

XXIV. *Iacoba, & Ioannis Brabãtici nuptiæ.*

Vvilhelmo VI. adhuc in viuis agente, *Iacoba* eius filia *Ioanni* Turonensi Delphino *Caroli VI.* Regis Franciæ filio nupserat, cum vix ageret ætatis annum XIV. maritus vigesimum. Cum iste viuere, veneno petitus, desijsset; *VVilhelmus* Primates vtriusque comitatus primùm iureiurando deuinxit An. 1417. vltima mensis Maij die, vt *Iacobam* filiam suam Duci Brabantiæ *Ioanni* coniungeret. Verùm quia Dux, & *Jacoba* secundo consanguinitatis gradu se mutuò pertingebant, missi Constantiam, qui sanguinis veniam fieri à Synodo Patrum ibi congregata expeterent. *Sigismundo* Imperatore, ac *Ioanne* Bauaro, Electo Leodiensi refragantibus, diù frustra laborarunt. Bauarus enim iam pertæsus rerum sacrarum cum sacerdotio initiari nolentem sui etiam spernerent, paulò post Leodio ægressus, pertentatis secretò Dordracensium primis, mox eo oppido receptus est: misitque Procuratores Constantiam qui Episcopatum resignarent Synodo, ac simul Ducis *Ioannis* ac *Iacobæ* nuptias impedirent. Interea Bauarus Dordracenos in verba sua, tanquàm *Tutoris-Jacobæ* neptis iurare coegit: litteris ad reliquas Hollandiæ vrbes missis, paria ab ijs fieri postulabat. Quibus non ad votum succedentibus, cum & *Iacoba* patrui tutelam aspernaretur, *Schonhouiæ* de conciliandis parti-

Obsiat Sigismundus cum Bauaro.

An. 1417 partibus actum est. Vbi palam sibi denegatis Hollandiæ gubernaculis, iratus discessit; Gorichemum occupauit. *Iacoba* verò cum *Margareta* matre, classe venit in arcem; & fortiter hoste repulso, oppidum recuperauit. Interim Legatis Constantiæ fidelem operam nauantibus, *Martinus V.* connubio Ducis, ac Iacobæ consensit: quod metu *Sigismundi* Imperatoris postea reuocasse fertur. Disceptatum *Hagæ* aliquandiù super Pontificio diplomate, placuit tamen in connubio procedi. Mense Aprili Anni 1418. celebratæ sunt nuptiæ. Bauarus Brabantiæ Ducem Hollandia cæterisque *Iacobæ*





vxoris opibus potiri fremens, ducta *Elisabetha* Ducis nouerca, & cum *Sigismundo* Imperatore fœdere inito, Hollandiam, Zelandiam, & Hannoniam beneficiario iure ab eo possidendas accepit: quasi ad Imperium, mortuo *VVilhelmo* Comite sinè mascula prole deuolutas. Interdicta est Brabanto administratio harum regionum, datis litteris Constantiæ XXIX. Martij. MCCCCXXIX. *Bauarus init con-iugium.* Hisce fretus Bauarus, cum Hollandiæ, Zelandię oppida sollicitaret, hoc responsum tulit. *Regiones has neque feudum imperij esse, nec ad mares solos deuolui.* Coactis propterea naualibus copijs, Hollandiam populatur; Dordracum obsedit, paulò post Roterodamum intercipit. VVorichemi tandem Dux, & Bauarus conuenientes, pacem iniere. *Pax.*

BELLVM HVSSITICVM. An. 1418.

XXV. Bohemis interim nunciato Hussi, & Hieronymi Pragensis supplicio, eorum sectatores, communi placito annuos illis honores velut Martyribus, & sanctissimis olim Christi athletis consuetos decernunt, Catholicorum templa inuadunt, partem suis declamatoribus sacrisque temerant. Ex ijs, supra quingenta, direpta, incendio cremata. Euersa cænobia, ipsumque Aulæ Regiæ, Regum Mausolæis insigne monasterium. Sacerdotes, viri religiosi, sanctimoniales, ferro Hussitarum, flammisque cesserunt. *Sigismundus* verò Imperator, Concilio Constantiensi dimisso, cui ad finem vsquè adfuit, reuersus in Hungariam, *Martini* Pontificis concessione, è rebus sacris decimas accepit, grauia post hæc cum Hussitis
XXVI. *An. Sal.* 1419. habiturus certamina. *VVenceslaum* Regem olim Cæsarem, cuius oscitantia Hussi hæresis inualuerat, mors rebus humanis exemerat; cum *Ioannes Zisco* Trosnouius, nobili genere, censu tenui à puero in Regis aula educatus, altero captus oculo, rapinarum auidus, Hussitarum contagione demens, collecta hominum sibi non absimilium manu, quæ ad quadraginta armatorum millia mox excreuit, crudeliter cæpit in res, hominesque sacros grassari. *Sophia Bauara* filia *Ioannis* Ducis Monacensis, *VVenceslai* vidua, immanibus Hussitarum turbis exterrita, *Sigismundi* Imperatoris opem implorabat; sed cum ipse in Turcam bellum parasset, dilato Bohemiæ subsidio, mouit in Baiazetem infortunato consilio, quo nec hostem depulit ab Hungaria, nec regnum fraternum tempestiuè adiuuit. Ars interim VVissegradensis, vrbs Pelzinensis à Ziscone socijsque fuerant occupatæ. Vnde Sophia *Obitus VVenceslai.* XXVII. *Sophia vidua VVenceslai.*

 mirè

an. 1419 mirè anxia arcem Pragensem, & minorem
ciuitatem, quæ arci adiacet, præsidio firma-
uit, pontem Moldauo impositum munijt
aduersus rebellium irruptiones. Eius auspi-
cijs Petrus Sternbergius apud Benedicti in-
sulam æquo Marte pugnauit. Secutum po-
stea ad Pragensem pontem certamen, quo
Hussitæ in suam potestatem redacto, decli
uiorem Pragæ minoris regionem sui iuris fe-
cerunt, Catholicis in superiorem partem re-
ceptis. Instauratum certamen quinque dies
nulla interruptum mora tenuit. Vtrinque
occubuere multi, exustę domus magnificæ.
prætorium inferius incęsum atquè deletum.

XXVIII. *Aeneas Syluius Bohem. c. 39.* Cum hic esset rerum status, *Sigismundi*
superuenere legati, *qui regni gubernationem*
accipientes cum ciuitate Pragensi ea lege indu-
cias fecere, vt arce Vissegradensi reddita, lice-
ret ciuibus ad Sigismundum oratores mittere,
deque re sua cum eo transigere: Zischa Pelzi
nam, Picstam, & alia quæ occupauerat loca, re-
stitueret. Conditionibus acceptis atque comple-
tis, externi heretici vrbem reliquere, consula-
tus ex prisco more gubernationem inijt, quietior
reddita ciuitas, non tamen Catholici qui exces-
serant, redire ausi. Expectabant autem Sigis-
mundi aduentum, cuius præsentia sese tutos ar-
bitrabantur. Sed interruperunt spem literæ ab
eo missæ, in quibus scriptum erat ipsum breui
venturum, regnumque eo modo gubernatu-
rum, quo pater ipsius Carolus prouinciam gu-
bernasset. Quibus ex verbis intellexerunt he-
retici sectam suam exclusum iri, quæ regnan-
te Carolo nondum ortum habuisset, proinde
magis ac magis indignari. Sigismundus au-
tem ad festum natiuitatis Dominicæ, Bru-
mam, quod est Morauiæ oppidum, petijt, ibique
Pragensibus veniam petentibus ea lege peper-
cit, vt catenas & repagula tota ex vrbe depo-
nerent, suos magistratus acciperent. Paruit
attonita ciuitas, cum primores regni eleuatis
in cælum manibus aduentum noui regis gratu-
labundi exposcerent, eiusque rectores sine con-
trouersia reliquæ vrbes admitterent. Nec du-
bium videbatur, quin tota Bohemia labes Hus-
sitarum excessisset, si ex Bruma Sigismundus
recta via se Pragam contulisset. Sed diuertit
ille, vt fortasse fati sui erat, Vratisla-
uiamque Slesiæ caput accessit. Quo in loco po-
pulus vrbanus non diu antea Consulatum à
Venceslao fratre suo constitutum per seditio-
nem obtruncauerat, cuius sceleris authores se-
curi percussit. Quod vbi Pragæ renunciatum an. 1419
est, diffisi de venia ciues, exemplum Vratis-
lauiensium veriti manifesto desciuerunt, &
allecto præmijs Cenchone, qui arci Pragensi
præerat, in totum regnum literas dedere, ne
quispiam Sigismundo aditum præberet, qui
Dalmaticæ linguæ hostis esset, nec alia cura
teneretur, quam regni perdendi, qui anti-
quam Pruthenorum ciuitatem ordini iure pi-
gnoris obligasset, Brandeburgenses autem
à corona Bohemica alienasset, Iohannem ac
Hieronymum in Constantiensi concilio cre-
mari non solum permisisset, verum etiam
procurasset, dogmata quæ ipsi sequerentur,
totis conatibus impugnaret. Zisca dum hæc
aguntur, relicta ex fœdere Pelzina, bis à
fidelibus inuasus, bis versutijs vsus, ex
penè victo victor euasit. In montanis pu- XXIX.
gnabant vbi inutilis equitatus. Vt ergo desi-
liere ab equis aduersarij, mulieres, quæ de
more exercitum suum sequebantur, proijce-
re pepla in terram iussit, quibus impliciti
per calcaria equites, priùs extincti sũt, quàm
pedem expedire valerent. Ipse deinde Mu-
scam petijt ad Lusmitium amnem positam,
ex qua *Copius*, & *Vlrichus* fratres veræ fidei
cultores, eiusque loci domini non modicam
populi multitudinem cum hæreticis sen-
tientem eiecerant. Eam *Zischa* quadrage-
simæ nocte aggressus, armis expugnat, in-
cendit. Eadem vi Licio castello potitus
(quò se *Vlrichus* receperat) *Vlrichum* cum
tota familia gladio occidit, vno tantùm viuo
relicto, qui reliquos obtruncaret. Cumque XXX.
ciuitatem, quam incoleret, muro cinctam
non haberet, locum natura munitum ad
eundem amnem elegit, mœnibus cinxit,
Thabor indidit nomen. Nam & comites
eius *Thaboritæ* appellabantur tanquàm
cum tribus Apostolis Christi transfiguratio-
nem in monte vidissent, indeque suas opi-
niones mutuati essent. Cumque apud eos
nullus esset adhuc equorum vsus; *Nicolaus*
magister monetæ, quem *Sigismundus* ad res
curandas in Bohemiam miserat, primus
omnium Thaboritis copiam fecit equo-
rum, qui cum mille equitibus in vico, cui
Vogize nomen est nouis *Zischæ* moribus
occursurus confederat. In hunc nocte ipsa
Parasceues *Zischa* ex improuiso prorum-
pens equos ademit, arma surripuit, vi cum
incendit. *Nicolaus* vix fuga in arcem eua- XXXI.
sit.

an. 1419 sit. Tanta perfidia irritatus *Sigismundus*, coactis Slesiæ Ducibus, Bohemiam armatus ingreditur. Cenchonem ad reddendam arcem Pragensem multis promissis impellit, quatuor millia equitum, qui vrbem infestent, in arce collocat. Præsto adfuit cum Thaboritis *Zischa*, vrbem continuò in potestatem accipit, arcem acerrima obsidione circundat. Accurrit *Sigismundus*, ferro viam aperit, commeatum in arcem importat. Mox accersitis ex Germania *Alberto* Austriæ Duce genero suo cum Principibus Saxonum, & Regulis Brandeburgicis cum auxiliaribus copijs, cæpit vrbem vexare diebus quadraginta duobus. Interim in æde metropolitana ab Archiep. *Conrado*, (qui Vesphala gente natus in hæresim postea concidit,) sacris solemnibus rite peractis, coronatur, dum assiduis velitationibus fideles cum infidelibus decertarent, *Sigismundo* ferè semper infaustis. Græcium Reginæ namque Thaboritæ expugnauerant: Mons Vidichonis, qui vrbi imminebat, ne à fidelibus occuparetur, à *Zischa* præsidio munitus, irrito labore, & notabili suorum iactura à Misnensi Regulo tentatus fuit. Quare *Sigismundus* desperata victoria Cuthnam reuertitur. Regecedente, *Zischa* vrbanam adeptus potestatem, basilicas demoliri decreuit, quod vni Deo dicerent Thaboritæ templum dicare fas esse. Cœnobia itaque multaque sacra sacerdotum collegia vno impetu euersa, totiusque vrbis decor fœdatur. Hoc ægrè ferente ciue, seditio sensim in vrbe oboritur. *Zischa* intestinum bellum formidans, inde recedens in Pracatum intulit arma, vbi non sexui, nec ætati parcens, vniuersam oppidanorum multitudinem, quæ in templum confugerat, iniecto igne combussit. Laborabant interea Pragenses præsidiarij vltima inedia, vnde deditionem pacti, ni *Sigismundus* ad diem præstitutum adesset. Item hæc adiecta conditio, vt veniente Rege, Vissegradenses quiescerent. Adfuit ad diem præstitutum *Sigismundus*, sed conditionis ignarus. Per angustum sub arcem locum cum ingressum peteret, vnde à suis facile defendi poterat, oborto à Pragensibus impetu, magna suorum cæde redire re infecta coactus fuit. Sic arcem Pragensibus prodidere: dum *Zischa* vbique victor excurrens, cænobia, ædificia, populos igne absumebat. Pœnas tamen suæ temeritatis dare cæpit; cum Rabum obsidens oppidum, & luscus esset, alterum, qui supererat oculus sagitta confossus amisit. Pragam extemplò translatus, curato vulnere, lumine caruit. Non proptèrea militiæ curam omisit, quin & eo magis cæcus cæco populo ductor placuit. Brunna vbi magnum *Sigismundus* præsidium imposuerat, expugnata à Pragensibus, in vtranque ætatem sæuitum. Eadem fortuna Broda Theutonica, Cuthna cum alijs vrbibus in deditionem acceptis, vsque ad Pontem oppidum victor excurrit; ibi in scopulum impacta Thaboritarum victoria occurrentibus Saxonibus, quorum vires *Zischa* formidabat, breui tamen alas resumpsit. Nam cum admonente *Sigismundo*, omnes Romani imperij Electores ex compacto Bohemiam armari adorirentur in festo D. Bartholomæi, quo die etiam *Sigismundus* cum Hungaris adesse promiserat aduersùs eam Bohemiæ partem, quæ spectat ad Oceanum, nec adfuisset, castra soluere coacti fuere. Porrò *Sigismundus* collecto ex Hungaris, Morauis, & Australibus exercitu, ad Saluatoris natalia Bohemiam inuasit, vbi nonnullis oppidis expugnatis, Cuthnam in deditionem accepit. Sed mox irruente *Zisca*, reformidato agmine cæci, in primo ferè congressu terga vertit, magna nobilitatis parte cum impedimentis amissa. Cuthnam incendio absumpsit, quam ob argenti fodinas, Antichristi crumenam appellabant. Victoria *Zischa* insolenter elatus, quòd Romanum fugasset, & spoliasset imperatorem, multo quàm antea furiosiùs in sacra templa desæuit. Hoc bellorum successu cum magnos animos concepissent plurimi Bohemiæ reguli ad *Vitoldum* Lituaniæ Ducem miserunt hortantes, vt regnum capesceret. His repugnabat *Zischa*, quòd liberos populos in seruitutem asserere, nefas diceret. *Vitoldus* non defuit, *Coributum* patruelem cum duobus millibus equitum in Bohemiam transmisit, qui à Pragensibus honorificè exceptus, Rempublicam in meliorem statum redegit. Ponè eius aduentum Senatui placuit, castellum in monte situm oppugnare, quem *Caroli* siquidem appellant, vbi *Sigismundus* quatuor militum centurias collocauerat. Trinis castris consedere, in sextum vsque mensem obsidio producta, die noctuque continuata quin-

Margin notes: an. 1419 — XXXII. *Zischa orbatur.* — XXXIII. *Sigismundus fugatur.* — XXXIV.

an.1419 quinque baliſtis, quibus grauia iactabantur
ſaxa, collidebant: vaſorum circiter duo mil-
lia rabidis cadaueribus, humaniſque excre-
mentis completa, in hoſtem emiſſa, vt eum
pernicioſo fętore conficerent, ex quo fa-
ctum, vt omnibus ferè dentes caderent. Ob-
ſeſſi tamen omnia ſuſtinuere fortes vſque in
hiemem, donec *Friderico Brandeburgenſi*
regulo cum ingentibus copijs populante
Bohemiam, ſtatiua ſoluere Pragenſes coacti
ſunt. *Vitoldus* etiam *Vladislai* Poloniæ Re-
gis precibus adductus, qui cum *Sigiſmundo* fę-
dus percuſſerat, *Coributum* ex Bohemia re-
XXXV. uocauit. Non propterea reſipuere, ſed ma-
gis furentes primùm intra Bohemiæ fines
omnes de catholica religione rectè ſentien-
tes afflixerunt: deinde regni finibus egreſſi
finitimos omnes bello vexarunt, in Auſtriã
vſque *Ziſcha* excurrente victore gladio, cal-
lido ingenio. Ad ripam excurrente Danu-
bij, cum omnes accolæ in proximã inſulam
coactum tranſmiſiſſent pecus, vt prophani
populatoris vim euitarent; *Ziſcha* ad oppo-
ſitam ripam vitulos, ſueſque nonnullos, qui
per negligentiam vagabantur, adduci iubet,
& diuerberari, donec pecus audito ſobolis
mugitu, præ nimio deſiderio tranauit, & à
collocatis circumuentum inſidijs in Bohe-
miam abactum eſt. Ita vbique infelix *Sigiſ-
mundus* cum Morauiam tueri non poſſet,
dono dediſſe dicitur *Alberto* Auſtriæ genero
XXXVI. ſuo. Venerunt ea tempeſtate ad *Sigiſmun-
dum* è remotiſſimis regionibus auxilia nec
profuere. *Ziſcha* ab omni religione, & hu-
manitate deſtitutus, eo felicius quotidie in
Imperatorem bella gerebat. *Ericus* Rex Da-
ciæ, *Petrus* Luſitaniæ Regis germanus, am-
bo domi, militiæque præſtantes optimo in-
ſtructi equitatu ad *Sigiſmundum* venere, hæ-
reticorum excitati ſæuitia, quam perpeti ne-
XXXVII. fas cenſebant. Auxiliaribus copijs fortis *Si-
giſmundus* Lucemburgũ Morauiæ oppidum
caſtra mouit, per tres menſes continuata ob-
ſidione, in caſſum tamen, quia *Procopius*
Huſſitarum labe infectus, & *Ziſcha* ſocius,
cui Morauiæ præfecturam hæretici contu-
lerant, inuito *Sigiſmundo*, milite, & com-
meatu oppidum impleuit. Eodem tempo-
re *Ziſcha* inita pugna aduerſus *Fridericum*
Miſnenſium Principem, & *Landgraphium*
fratrem poſt varium, & cruentum martem,
ſuperior tandem euaſit, ex fidelibus nouem

millibus deſideratis, amiſſaque Auſta, quam an.1419
Ziſcha funditùs euertit. Mox in Pragenſes
conuerſus, quia imperata non fecerant, iram
effundens, agrum latè populatur. Occurren-
tibus Pragenſibus, quòd ſe imparem intelli-
geret, prælium detrectauit. Ad Albim pro-
fugus, in hoſtium manus cecidiſſet, ni
Georgij pater, qui deinde regno potius eſt,
per Pogiebracium oppidum tranſfugium
dediſſet. Non tamen cędem euaſit. Nam
Albi traiecto Pragenſes per alios pontes, vl-
timum agmen *Ziſcha* cohibentes non ſine
clade in fugam verterunt. Quum ad mon-
tium perueniſſet anguſtias, occupatis fauci-
bus *Ziſcha* prælium reintegrauit, cæſis tri-
bus millibus Pragenſium, quod iniquo mar-
te pugnantes aciem explicare non poſſent.
Mox Cuthnam feſtinans Pragenſium præſi-
dio munitam vi capit, incendit vrbem, ho-
mines. Inde Pragam reuerſus, ad ſecundum
ſtadium metatur. Hac diſcordia breui peſ-
ſum iri Thaboritarum vires ſperabat *Sigiſ-
mundus*; cum *Ioannes* quidam, cui *Rocheza-
na* cognomen erat, & verbum Dei in vrbe
publicè profitebatur, Conſulatu aſſentiente,
ad *Ziſcham* venit, & continuò vrbi virum
reconciliauit. Audita reconciliatione *Sigiſ-* XXXVIII.
mundus ita animo conſternatus eſt, vt de- *Sigiſmundus petit*
ſperato armorum auxilio, ignobilem homi- *cũ Ziſcha*
nem, ſenem, cæcum, prophanum, ſacrile- *reconci-*
gum, omniumque ſcelerum auctorem lar- *liari.*
gitionibus non dedignaretur expugnare Im-
perator. Supplex itaque rogat, vt perpetua
Bohemiæ prætura contentus, magiſtra-
tum quoque equitum, ac ingens quotannis
ſtipendium acciperet, dummodò Regem
Sigiſmundum nominaret. Accepit condi- *Ziſcha*
tionem auarus *Ziſcha*, & quum ad Cæſarem *obit.*
iter faceret, ad Potzoniam peſtilentia conta- XXXIX
buit, diuino forſam beneficio, ne tanta Au-
guſto nota inureretur. Sic feritatis mon-
ſtrum quod conficere manus nequijt huma-
na, Dei digitus è medio ſuſtulit. Rogatus an-
te mortem, vbi ſepeliri mallet, reſpondit: *Se
iubere, cute corpus exui: exutum volucribus ex-
poni, curata cute tympanum obtendi, eoque duce
bella geri, quod vbi hoſtes audiuerint, fugam
rapturos illicò ariolabatur.* Thaboritæ *Zi-
ſchæ* imaginem, Angelique calicem tenentis
effigiem ſupra portam vrbis inſcripſere, ſta-
ta quotannis huic ſacra decreuere. Eius mor-
tem deplorauit exercitus, quia ei parem in-
ueniri

an. 1419 ueniri non posse dicerent. Eo mortuo, in duas partes diuisi milites. Pars vna *Veterum*, altera *Orphanorum* dicta est. *Veteres* sibi *Procopium* cognomento *Magnum* optauere. *Orphani* selectos quosdam habuere, quorum communi consilio bellum gerebant. *Scelectorum* princeps alter *Procopius* erat cognomento *Minor*. Inter se quamuis dissentirent, ingruente tamen necessitate, iunctis castris bella gerebant. Ciuitatem abominati cum liberis, & vxoribus in castris vitam degebant, carris pro vallo vtentes. Hi duo exercitus, alter Silesiam, Morauiam alter populabundi infestarunt. Bohemiam terram promissionis dicebant, Teuthones partim Philistæos, partim Idumæos appellabant. Erat & tertius *Orobitarum* exercitus, cui *Bedricus* præsbyter Strasmicensis Dux erat, *Thaboritis*, & *Orphanis* in Austriam erúpen-
XL. tibus occurrit Dux *Albertus*, qui cum hæreti-
Pugna cum Alberto Austrio. cis inito certamine, quatuor horis ita variante fortuna dimicauit, vt primis vtrinque bellatoribus amissis ad extremum is castris exutus, & hostes amissis curribus abirent. Paucis post diebus, *Procopius*, cui *Rasa* cognomen erat, Rhetium obsedit, expugnauit, incendit, *Burgraphium Madeburgensem*, qui oppido dominabatur, Pragam abducit, vbi diem obijt extremum. *Sigismundus* verò ægrè ferens abrogatum sibi auitum regnum, indicto cōuentu Pisonium proceres acciuit Bohemiæ. Conuenere sed extra vrbem, ad quos ægressus *Sigismundus*, multa de suo iure loquutus, iniquo se bello quærebatur impetitum. Asperitatem, si quæ fuisset, cum corrigere offerret; responderunt Bohemi
XLI. *à Romana Ecclesia causam rebellionis exortam, à qua se hæreseos iniustè asserebant damnatos*. Benignè reposuit Sigismundus, *Generali synodo omnia posse componi, in qua suam tuerentur innocentiam*. At illi, qui armis, non argumentis talia disserere consueuerant, ad disputationis angustias redigi recusantes, re infecta discesserunt. Hæc cum accepisset *Martinus* Pontif. Max. Christianæ fidei succurrendum ratus, Cardinalem Vintoniensem, regia Britanniæ stirpe natum in Germaniam cum summa auctoritate legauit, vt finitimas vndique gentes in refractarios compelleret. an. 1419 Paruere primùm Saxoniæ Duces cum vrbibus, quas *Stagnales* dicunt. Alterum exercitum coegere Francones cum Brandeburgensi Principe: Tertium habuere Rhenenses Duce *Othone* Treuetensi metropolita. Bauari, Sueui penetrata sylua, ad Misam posuere castra, quam superiori nocte *Prichichus Cleuonensis* hęreticorum princeps è fidelium manibus eripuerat: hanc mox reformidato hostis aduentu deseruere, Taconiam venientes, vbi bellica deposuere tormenta, quæ mox panico terrore correpti turpiter amisere. Hostes adauctis è victoria animis, in Misniam erumpunt. In Franconia Bambergensibus pretio dedere pacem. *Sigismundus* rem malè gestam cum accepisset, fortunæ nolens cedere iniquæ, Norimbergæ noua Principum auxilia comparat, & cum Cardinali *Iuliano* ad octauum Cal. Iul. expeditionem decernit. Belli summa *Fridericus Brandeburgensis* accepit, vt quà ad XLII. Templam est iter, Bohemiam adoriretur. *Albertus* Austriæ princeps, *Christophorusque* Bauarus, & *Fridericus* Dux Saxoniæ cum legato Apostolico per Morauiam iter facerent. Adfuere Herbipolensis, Bambergensis, Estetensis Episcopi cum Sueuorum societate, quam Diui Gregorij vocant. Augustalium vrbium, & Moguntini, Treuerensis, Coloniensis conuenere auxilia. Ad Equitum quadraginta millia, peditum paulò minus fuisse prodiderunt. Cal. Aug. irruptio facta est in appēdices Bohemiæ relictis passim crudelitatis, & auaritiæ vestigijs. Bohe- XLIII. miam tamen penetrare non ausi, proditione *Fugatur Sigismundus.* vel timore correpti, quòd venirent hæretici. Nondum enim hoste conspecto, positis armis in syluas se proripuerunt, insequente Bohemo, qui incruenta victoria ditatus, impedimenta omnia occupauit. *Albertus* qui à Morauia, & ipse Bohemiam inualerat, audita sociorum fuga, & ipse in Morauiam reuersus, eò Bohemos adegit vt de Orthodoxa fide sentire promitterent, quod synodus futura decerneret.

BASILEAE CONCILIVM. *Sal. Anno* 1431.

XLIV. **P**Ost hæc frequentissimus Basileæ conuentus, præsidente *Iuliano* Propontifice cogitur. Norimbergæ tunc *Sigismundus* degebat, & Romanam designabat protectionem, vt insignia susciperet Augustalia. Bohemis hoc significauit, dicens *se sperare eis*

An. 1431 *eis non fore, ingratum, si pro Rege; Cæsarem recipiant Augustum. Initam interim adirent synodum, nec plus sapere contenderent, quàm Romana iubeat Ecclesia, sua cum Sacrosancto Concilio communicent dogmata, ne ab Orthodoxa fide desciscant. Sibi demum ex Italia redeunti regnum quod fraternum, quod paternum, quod auitum fuit, sine dissensione referent.* Synodus ipsa ad Bohemos scripsit exorans, vt legatos mittant. Dissentientibus tandem Orphanis, Thaboritis, & plebe honestissima legatio ad Synodum destinata, trecentorum equitum comitatus huic additus. *Gulielmus Kozka, Procopius* cognomento *Rasus*, *Io: Rochezana*, *Nicolaus Galetus*, Thaboritarum sacerdotes, & *Petrus Anglicus* fuere legati. Quum Basileam venissent benignè in conuentum admissi, quatuor ad synodum retulere articulos, *De communione sub vtraque spetie facienda. De ciuili Dominio clericis interdicto. De Libera Verbi Dei prædicatione. De publicis delictis nulla ratione tolerandis.* Selecti ex Bohemis doctores quatuor, ex patrum ordine totidem, diebus quinquaginta disputatum. Victi Hussitæ,

Legatio Bohemorum ad synodum.

XLV. pertinaces adhuc noluerunt cedere. Mitius tamen agendum cum patribus videretur. Misit synodus in Bohemiam viros doctissimos, hi cum Bohemis agere cæpissent, Inter agendum ciuilis discordia perdidit *Thaboritas*. Proceres, & nobiles, cui *Mainardus* præerat, querebantur aduersus *Thaboritas*, quòd postquam Regi abrogassent imperium, in *Procopij Rasi* inciderant seruitutem; qui pro libidine cuncta gerebat, nobilitatem iuxta ac plebem habebat, & more tyranni Rempublicam familiæ substrabat. Quare de instauranda Reipublicæ forma sermone instituto, in ea *Mainardus* censuit è media nobilitate Ducem deligendum, viros huic consultissimos cum Senatu adhibendos vt consulto omnia faceret. *Alscio Rosemburgensis* Dux declaratur. Hæc cum accepisset *Procopius* continuò cum *Orphanis*, & *Thaboritis* ad Pelezinum vrbem castra mouit, quam fideles incolebant, dum Pragæ intestina arma tractarent Nobiles, Orphani, & Thaboritæ. Victoria cessit *Mainardo*, & *Alscioni*. Clade suorum *Procopius* audita, soluta obsidione Pragam venit, dimicauit sed infelix cũ *minore Procopio*, & cæso Orphanorum, Thaboritarumq; exercitu, pari fato succubuit. Multa captiuorum millia è perfida multitudine cum capta superfuissent, mandante *Mainardo*, in horrea redacta ab armatis cohortibus circumuenta, immisso igne absumpta deprauatæ religionis pœnas expendit.

Ex Synodo legati ad Bohemos.

SIGISMVNDI CORONATIO ROMANA. *Anno* 1432.

XLVI. ANno qui fuit 1431. *Sigismundus Rex Romanorum (ait Krautzius) coronam ex vrbe petiturus, Italiam ingreditur. Sciebat sensatus princeps luctantem mutuis viribus Italiæ nobilitatem: expectabat si fortè per mutuas vires attritis, ipse inuocaretur. Mediolanum venit, & ibi ferrea accepta corona ab eius loci Archiepiscopo, à Philippo V.C. iam duce per reliquam Italiam cum copijs perduci*

Lib. 11. Saxon. c. 19.

XLVII. *expectabat. Signa hæc erant (vt Blondus ait) non iam inclinantis, & ruentis, sed collapsi Imperij: quod nimis esse verum Germanicæ nationis detrimenta quotidiana testantur. Tum verò Italia inter manus paucarum communitatum laborabat. Veneti, & Florentini, quique ad sua Reipub. amplificationem nitebantur, reliquas vrbes aut deditas acceperant, aut in societatem suæ quisque partis adducebat.*

XLVIII. *Vnus erat Philippus Mediolani tyrannus potius quàm legitimus Princeps, ex Vicecomitibus, potente Vrbis familia progenitus: cuius primùm familia audaciam, deinde potentiam nostri principes sua dissimulatione aluerunt, donec in contemptum prouecta sederet.*

Potentia Philippi Mediol.

XLIX. Mortuo *Ioanni Galeatio* filius *Ioannes Maria Galeacius* successerat, omni vitio clarus. Humanam Innocentium carnificinam cum in delicijs haberet, inescatos humana tenebat carne molossos, qui aliquandò humanitate imbuti, quam Princeps exuerat, in prædam sibi à tyranno obiectam reformidarunt sæuire.

Io. Maria Galeatius inhumanus.

L. Occisus (celeriùs forsam scelera exposcebant) est primo triduanarum supplicationum die, cum in D. Gothardi æde, sacrum audiret. Illatum templo cadauer mulier vna, quæ corpore quæstum faciebat, operuit rosis, propter quod à *Philippo Maria* mortui fratre, & successore, honestis fuit tradita nuptijs.

Occiditur.

LI. Is ille Philippus, qui *de Italiæ principatu luctatus, inuitauit Sigismundum in Italiam* (Krantzius) *diù tamen ille distulit aduentum. Sed quum*

veni-

veniret, ab illo magnificè excipitur, coronaturque de more, ferrea, Romæ auream suscepturus. Promissa sua Philippus differebat: non enim apparebant copiæ, quæ Regem dedu-



cerent per reliquam Italiam: quam solebat suis olim viribus peruadere Rex Romanorum. Habebat tum Sigismundus aliquam suorum Hungarorum, & Theuthonum manum, sed non eam, quæ sufficeret Regem per impacatas, quales tunc erant in Italia, prouincias deducere: Florentini arma sua iactabant, ausi se in campis ostentare Alemannis: sed ab illis impetiti, didicerunt suo malo modestius agere.

LII. Sigismundi coronationi non adfuit *Philippus*, Placentiæ interim morbum simulans, iamque à *Sigismundo* abalienatus, quia proniorem erga Venetos suspicaretur, & Florentinos hostes suos. Fraudato itaque auxilio promisso, nec potestatem fecit introeundi cum paucis in arcem Mediolanensem visendi causa. Celebrabatur interim Basileæ concilium, cui se adhærere protestatus, cæteros exemplo sui incitare non destitit, edita

LIII. *Aurea bulla*, in qua *de adhæsione inconcussè facienda* mandauit. Mediolano postea discedens, Placentiæ, & Parmæ hybernauit, vbi certior factus de dissolutione Concilij Basilieēsis ab *Eugenio IV.* Papa mandata, per literas eiusdem Pontificis, vehemēter turbatus, protinus & tumultuariè rescripsit *nullam esse causam legitimam dissoluendi concilium, nec reconciliationem Græcorum (quæ adstruebatur) tantam esse, vt dubia & incerta, sæpeque frustra tentata, calamitati præsenti, vnde totius fidei pendet arcarum, præferatur. Non eludendos insuper Bohemos ad Concilium vocatos, cuius timore vel spe, non adhuc tota est abrupta concordia. Bohemiam, Saxoniā armis hæreticorum fatigatas, si & concilium videant dissolui; in partem abituras inimicorum quis non videt? Quantæ laicorum querelæ, si dissoluto concilio, religionem videant in speciem vsurpari? Pax quæ est in ianuis, proh dolor, corruet; & erit error nouissimus peior priori. Reges, principes, nationes S.V. dissolutionem fermentare resonabunt, vnde clades, hæreses, ac totius religionis discrimen vni imputandæ, cuius culpa concilium tanto labore congregatum, dissoluatur.* Paulo post legatos etiam direxit.

LIV. ## *QVORVM INSTRVCTIO.*

PRimo exponatur, qualiter ad aures Regias peruenerit, quod Sanctitas Domini nostri gentes suas armigeras miserit contra Maiestatem Regiam, & subditos suos, ac terras sibi & Imperio subtractas, absque culpa regia, & nulla offensa, & rationabili causa præcedente. Et quamuis hucusque nunquam crediderit Sanctitatem suam erga Maiestatem Regiam aliquam indignationem velle aut posse concipere, seu facere, licet Nicolaus de Tole-

Tolentino, qui se per expressum Capitaneum generalem Ecclesiæ scripsit, aliàs veniens cum Florentinis gentibus ante Lucam, gentibus Regijs, vt debitum erat, Papam defendentibus, publice clamari fecerit, Viuat Ecclesia: *tamen iam habetur certius, qualiter Nicolaus de Fortebrachijs contra terras Imperio subiectas nouiter insultauerit, & illas nomine suæ Sanctitatis, & Ecclesiæ postulauerit. Qualiter etiam memoratus Nicolaus de Tolentino in Maricim Senensem pridem patrauerit, eadem Sanctitas persentiet in schedula cum præsentibus ostendenda, quæ tamen Maiestas sua à dicta Sanctitate minime sperasset, cum talia numquam demeruerit, sed semper studuerit omni solicitudine suæ Sanctitati, & Sedi Apostolicæ summa deuotione, & filialiter complacere: nec ab eo vmquam compertum est contrarium. Non potest non mirari, quis Sanctitatem suam contra suum Aduocatum, & filium sine causa commoueat. Et si subditi suæ Maiestatis, & Imperij sacri eandem Sanctitatem aut suos in aliquo molestassent, fas fuisset, eam ante auisare: & ipsa fuisset quàm parata, nedum eidem Sanctitati, sed & cuique de subditis suis iustitiam ministrare, quod profecto in aduersum paternalius, & clementius actum fuisset, quàm tali indignatione prorumpere, cum continuo eadem Sanctitas suæ Maiestati scripserit, ac latissime nunciauerit, ac nouissime per venerabilem Iacobum Archiepiscopum Ebredunensem Principem Triscamerarium suum dici fecerit, se erga eandem Maiestatem optime esse dispositam, eamque multum amare, nec aliud vnquam sperauit, & adhuc, quod sua Sanctitas clementius, & paternalius cogitabit, & aget, vt in eadem sperat.*

2. *Item Regia Maiestas suscepit reuerenter, & vidit, ac audiuit diligenter Bullas suæ Sanctitatis per Dominum Archiepiscopum allatas: sed quia negotia illa magni sunt ponderis, & extra potestatem Regiam, nec posset super illo suæ Sanctitati eadem Maiestas efficaciter respondere, cum illa potius pertineant ad sacrum Basileense Concilium, prout aliàs Oratoribus Apostolicis Parmæ constitutis clare dixit eadem Maiestas, tales res Concilium tangentes, ibidem quæri debere. Et sic denuo ibidem dicet, & adhuc cooperabitur omni posse, vt res illæ bene cedant. Verumtamen petit & obsecrat eandem Sanctitatem filialiter deuote in Domino Iesu Christo, quatenus eadem limitationes, & modificationes capitulorum in Bulla expressorum, defendendo illud Concilium ad laudem Dei, & salutem suæ sanctæ Ecclesiæ, dignetur simpliciter, & indistincte manutenere & fouere, vt super articulis & rebus, pro quibus congregatum est, procedat liberè iuxta formas, & modos in retro generalibus Concilijs tentos. Quod si eadem Sanctitas faceret, vt sperat eadem Maiestas, prouidebit indubie saluberrime honori, & dignitatibus suis, & extolletur ad æthera, & sub eius regimine eiusq; præsidio in Ecclesia Dei, nunc vndique impugnata, tot bona sequutura sunt, scilicet reductio Hæreticorum atque Hæresum extirpatio, quæ in foribus est, & sine generali Concilio nullatenus fieri potuit, & alia bona innumera, habebitque Maiestatem Regiam deuotam semper, & obedientem filium in auribus suæ Sanctitati gratum, & Ecclesiæ Dei accommodum. Nam profecto si id non fiet, prout eadem Maiestas sæpius scripsit & dixit ac protestata est, indicibilia scandala exinde, proh dolor, sunt euentura.*

3. *Item regratiatur summopere Sanctitati suæ de paterna affectione, & clementi oblatione Sanctitatis suæ erga Maiestatem eandem, quemadmodum in schedula parua contentum est: quoniam Maiestas sua, quia Dominus Archiepiscopus Ebredunensis conclusit cum reuerendissimis Dominis Cardinalibus deputatis per Sanctitatem D. N. ad facta illorum, qui sunt in Basilea, idem Dominus noster vult habere literas a Domino Romanorum Rege attentius cum sigillo Maiestatis, & subscriptione propriæ manus suæ, quod si illi non consentirent, & postea in aliquo contrafecerint, idem Dominus Rex promittit & iurat sub fide Regia, persequi eos tamquam homines turbatores pacis, & quietis Ecclesiæ, & totius Religionis Christianæ, ad simplicem requisitionem ipsius Domini nostri, sicut ipse per iuramentum est obligatus, & adhærebit suæ Sanctitati tam in Concilio per eandem suam Sanctitatem tenendo, quam alibi.*

4. *Item quod idem Dominus Ebredunensis asserit, præfatum Dominum Regem affectare accedere ad Vrbem Romanam, & præfatum Dominum visitare, quem semper præcipua charitate dilexit, & sperat quod per communicationem ipsorum ad inuicem multa potuerunt fieri congruentia, concernentia fidem ipsorum, & Ecclesiam & totam Christianitatem.*

5. *Item Dominus noster contentatur de accessu*

cessu

cessu suo, cum ipsum à tempore Concilij Constantiensis, quo cognouit eum, semper fuerit magna dilectione, & amore prosequutus, dummodo eius aduentus pacificus sit, id est, cum illis de domo sua tantum, vt aliàs tactum fuit. Et certificatus de tempore aduentus sui, mittat obuiam sibi vsque ad confinia terrarum Ecclesiæ duos ex reuerendissimis Dominis Cardinalibus, & alios Prælatos, & Clericos ad ipsum associandum honorificè, & ipsum securè conducent, & tenebit per Dei gratiam, & remittet cum honore, pace & benedictione Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum Apostolorum eius Petri ac Pauli, ac sua. Et si voluerit in comitatu suo habere de gentibus armigeris præfati Domini nostri, tam in veniendo quàm in reuertendo: etsi petierit, quod dictæ gentes faciant conueniens prædictæ materiæ, contentatur Dominus noster, quod fuit hoc declaratum, quod antequam intret terras Ecclesiæ, præstabit iuramentum, quod de iure præstare tenebatur antequam intraret Italiam, iuxta formam Clementiam.

6. *Item ad ostendendum charitatem, amorem & beneuolentiam erga personam Domini Regis, consideratis magnis expensis habitis per futurum Dominum Regem, Dominus est paratus subuenire eidem Domino Regi, postquam intrauerit terras Ecclesiæ: & eum illa paternali charitate amplecti, qua pater bonus filium optimum complecti debet, prout per Oratores suos aliàs oblatum fuit. Et super hoc Dominus noster paratus est deputare aliquos, qui habeant tractare cum deputandis per Dominum Regem, & infallenter sperat quod erunt in bona concordia cum Dei adiutorio.*

LV. Eisdem iniunxit, vt coronationem Romæ peragendam cum Pontifice concordarent: in Apostolico consistorio, *Sigismundi* nomine iurarent *Ecclesiam, & Fidem catholicam pura fide, totis viribus conseruare, & reuerenter defendere, omnemq; hæresim, schisma, & hæreticos quoslibet, fautoresque eorum exterminare pro posse, ac nunquàm cum Saraceno, Pagano, Shismatico, seu quolibet alio Catholicæ fidei communionem non habente, vel alio Ecclesiæ inimico vel rebelli, seu eidem manifestè suspecto, vnionem quamlibet, parentelam, aut fœdus inibit, sed tam personam Pontificis viuentis, quàm successorum, honorem, statum manutenebit, defendet, ac conseruabit contra omnes homines cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ. Insuper iuramento adijcerent, quod Cæsar manutenebit priuilegia omnia a prædecessoribus regibus, & imperatoribus concessa quocumque tempore, specialiter Constantino, Carolo, Henrico, Othone IV. Friderico II. atq; Rudolpho. Libertatem seruabit Ecclesiasticam; nec ecclesiæ vassallos vllatenus offendet.* Cum hæc iurassent *Thatiko Ckeuinensis, & Caspar Slik* oratores cæsarei Anno 1433. die VII. LVI. Aprilis coram *Eugenio IV.* Rom. Pontif. sequentibus conuenerunt. *Aprili mense Viterbium veniret Sigismundus, vbi dilectus filius Pontificem visitabit.* Renouabit personaliter iuramenta *ab oratoribus præstita. Veniet cum sola familia, nec vllum hostem secum ducet Ecclesiæ Romanæ.*

Romam itaque appropinquanti *Sigismundo* Pontifex *Eugenius* obuiam illi destinauit aliquos Cardinales, & plures Prælatos, ac Romanorum proceres, qui magno honore eum deduxerunt, Clero, populoque ingenti plausu comitante. Ipse Pontifex ad gradus Vaticanæ Basilicæ cum magno apparatu excepit ad pedis, & oris osculum, ipso die Dominicæ Ascensionis, XII. Cal. Iunij. Pridie verò Calend. nempè Festo Pentecostes, solemnibus cæremonijs coronatum, Imperatorem Augustum appellauit; præstito priùs iuramento de Fidei catholicæ, & Rom. Ecclesiæ, aliorumque iurium defensione ac conseruatione. Redeuntem à Vaticano, vbi coronam accepit, ad Lateranum vbi diuerterat, Pontifex vsque ad pontem Hadriani comitatus est eques equitem, sed stratoris munere in ascensu Pontificis, & aliquot passuum incessu pedibus de more functum. Eponte redeunte Pontifice ad S. Petrum, ibi Imperator, vti mos erat, multos tum Italos, tum Germanos in equestrem ordinem asciuit. Moratus aliquandiù pacificè Romæ, per Picentes Mantuam venit: vbi *Ioannem Franciscum Gonzagam* Mantuæ Dominum Marchionali dignitate additis imperij insignibus ornauit. Demùm trans Alpes abiuit tanta fortunæ varietate, vel animi, vt inimicissimus *Philippo Mediolanensi* abierit, cuius hortatu Italiam intrauerat. Venetorum autem, quibus maximè inimicus venerat, amicissimus. Basilæam repetenti obuiauerunt Patres, & magna lætitia eum ad publicum consessum deduxerunt.

LVII. LVIII. LIX. LX.

LXI. runt. Ibi imperiali paludamento, corona,
sceptro, aureo pomo, nudoque ense, cæterisque imperij insignibus ornatus sedit, & an-
LXII. nuit Patribus terminum assignantibus con-
Noua discordia cũ Papa. tra *Eugenium IV.* vt intra nonagesimum
diem adhæreret concilio. Vbi iam satis maturè cõuenerant ex omni Orbe patres, & præsideret in eo *Iulianus* Cardinalis S. Angeli vice, & auctoritate Pontificis. Eugenius ve-
LXIII. rò proposito mutato, Bononiam transferre volebat. Sed Concilium acceptis literis translationis, solemnes miserat in vrbem ad Papam legatos, qui ostenderent maioribus ex causis translationi non esse locum. Ille autem flecti non poterat. Cumque hinc inde legationes currerent, Partes obsecrauere Pontificem, vt à translatione discederet: alioqui iam esse in Constantiensi declaratum, Sacrum Concilium in Spiritu Sancto congregatum, in casibus habere auctoritatem supra Pontificem, qua vteretur, nisi ille ce-
LXIV. deret communi vtilitati Hac vtrobique immobiliter inhærente sententia, inuicem sibi inuehi cœpere, ille in Concilium, hoc in Pontificem graui scandalo, & fidelium commotione. Non cessauit porrò Imperator apud Pontificem instare, vt Sacro Concilio auctoritatem impartiretur, reuocans translationem: peruicitque vt Papa datis desuper literis translationem cassaret, & Basileensi redderet auctoritatem. Quibus acceptis Imperator, Rheno defluens nemine sciente, aut
Sedatur. sentiente vrbem ingreditur. Publicatis lite-
LXV. ris ingens exoritur gaudium. Quumq; paulò post vberiores in eam rem literæ prouenirent, obuiam egressus Imperator, literas ipse pertulit: omne Concilium obuiam effunditur, & in Ecclesiam solennibus hymnis deducuntur canentibus organis, & omni
LXVI. choro *Te Deum Laudamus*.

Hoc tempore Turcarum Imperator, perpetuæ pacis inito fœdere cum Imperatore Sigismundo, oratores Basileam misit, quos in Ecclesia imperialibus exornatus insigni-
Turcarũ legati. bus excepit. Ante Oratores ibant ferentes munera, viri duodecim, qui manu singuli gestabant aureos scyphos apertos Imperatori dono. Succedebant ferentes vasa aurea geminata, auro plena. Inde tertius ordo ferentium pannos preciosos. Post omnes, quidam ferebant vestem serico, auro, gemmis
LXVII. contextam. Quos non minori munificentia donatos *Sigismundus* remisit. Inde Ba- LXVIII.
silea discedens, venit in fines Bohemiæ, vbi
Thaboritarum audita clade, oratores ex- *Victoria in Bohemos.*
templò legauit in Bohemiam, qui suo nomine sapientiam Principum commendarent. Recentem congratularentur victo- LXIX.
riam, quod profanos, & immanes homines è medio tulerint. Propterea maximam à Christo gratiam iniuerint. Pro virili quisque partam sequeretur victoriam. Seq; demum Regem exciperent, quem fratri suc- LXX.
cessorem, & paterni regni hæredem ius gentium facit.

Interim Vlmæ sistens litem, quę gliscebat LXXI.
inter Marchionem Misniæ & Ducem Lauenburgensem pro Electorali dignitate *Mors Alberti Saxonis.*
composuit. Controuersiæ originem dedit mors *Alberti* Ducis Saxoniæ, & Electoris S. R. I. Is animi causa in saltus Lochauios abiens, in casam diuerterat rusticam, ex qua (orto nocturno incendio) vix nudus euasit.
Sed morbo ex terrore contracto, paucos LXXII.
post dies mortuus est, A. Sal. 1422. postremus ex *Bernhardi* posteritate, qui Ducis Saxoniæ munus, ac dignitatem primus apud *Fridericum Aenobarbum* virtute promeruit. Hac occasione vsus *Fridericus* Elector Brãdeburgicus nomine Imperatoris, ditionem Ducum Saxoniæ Electorum, cuius caput est *VVitteberga*, occupauit, impositoque præsidio muniuit, ne ab Imperatore recederet, qui successionem *Alberti* negabat patrueli *Erico Lauenburgensi*, propter quædam in ipsum contumaciter commissa delicta. Imo paulo post ditionem eam cum dignitate Electoratus *Sigismũdus* Imperator. Ann. Sal. 1423. die VI. Ian. contulit *Friderico*, cognomento *Strenuo* Marchioni Misniæ, excellenti inter cæteros prudentia, virtute, & potentia principi, pro nauata opera in bellis Bohemicis: hac tamen conditione, vt *Brandeburgico*, prò sumptibus ab eo in occupandam Imperatoris nomine regionem, insum-
ptis, solueret 28000. marcarum argenti. Li- LXXIII.
teræ datæ sunt Budæ in Hungaria: ad Electores etiam scripsit Imperator, vt hunc *Fridericum* in Electorum collegium reciperent. Hic est *Fridericus*, qui ex ruina *Academia Lipsiensis.*
scholæ Pragensis condidit Academiam *Lipsiensem*: cum inualescente errore Hussitico Pragæ apud Bohemos, reliquæ nationes Pontifici addictæ magno numero discesserunt.

An.1434 runt A C. 1409. Hinc factum, vt multi confluerent *Lipsiam*, quos *Fridericus* excepit hospitio, & ab *Alexandro V.* Papa priuilegia impetrauit, vt erigerent Accademiam. Mo-
LXXIV. ritur *Fridericus* Anno S. 1427. successorem habuit *Fridericum* cognomine *Placidum*: aduersus quem non defuere questus, præcipuè *Erici Ducis Lauenburgensis*, qui in Synodo Basileensi per oratores suos, eundem accusauit intrusum in præiudicium sui, cum ad se spectaret successio. Propterea Patri-
LXXV. bus. Scripsit Imperator, *vt spreta Erui insimulatione, honorem debitum Friderico vt Saxoniæ Duci, & S.R.I. Electori non denegaret; immo causam vti purè feudalem, & eiusdem ad Cæsarem remitterent, neque appellationem reciperent ob fori incompetentiam; nam si Ericus Dux Lauuenburgicus se grauatum asserit, ad Pares Germaniæ recurreret, quos more Imperialis Maiestatis intra fines Alema-*
LXXVI. *niæ vocare paratus erat Sigismundus, vbi ex stylo imperiali similes controuersias conuenit iudicare de quo publicè protestando, & eidem synodo intimando rogabat quatenus causam ipsam à se penitus synodus abdicaret, & ad forum Cæsaris remitteret, more, stylo & consuetudine Imperij, & Parium Curiæ Cæsareæ terminandam.* Hanc protestationem publicari mandauit *Sigismundus* Vlmæ Constantiensis S. Anno 1434. die 28. Iulij audiente aula Cæsarea, & Regum ac Principum Ora-
LXXVII. toribus.

Eosdem certiores fecit de *Taborritarum* cæde, ac Bohemorum reconciliatione in articulis fidei Ratisponæ concludenda, cuius gratia rogabat, vt petentibus Bohemis Episcopum Constantiensem vel alios in Bohemiam descendere, quorum interuentu reconciliatio fieret, Synodus annueret. Bohemi namque accepta *Sigismundi* legatione, coacto extemplo ingenti nobilium numero cum postulata se facturos asseuerasset, ad Ratisbonam *Sigismundum* conuenere, Romanum Imperatorem ac suum Regem salutantes; Iglariam pone cum venisset, synodalium legatorum conuenta probauit, vt scilicet Bohemis ecclesiasticam vnitatem complectentibus non negaretur communio sub vtraque spetie. *An verò ex præcepto Dei id fieri debeat?* hoc à generali Basileensi decerneretur concilio. Interim crederent tam sub spetie panis totum corpus Christi contineri, quàm sub vini. Pactum etiam, *vt ecclesiarum prædia occupatoribus iure pignoris relinquerentur, donec certa pecunia, reluerentur. Rochezanæ præsulatus Pragensis ecclesiæ promissus, de disponendo Ecclesiarum Bohemiarum regimine Pontifici data facultas.* His constitutis *Rochezana* nomine Cleri obedientiam Romanæ promisit Ecclesiæ. Sequenti die *Rochezana* non immemor suæ perfidiæ, postquam celebrauit, vni quem iusserat ex laicis adesse, sacramentum ex calice dedit. Et quamuis *Ioannes Polomor* alter ex concilio legatus in aliena ecclesia id sibi non licere assereret, eumque prohiberet, in proposito perstitit. Propterea noua lis, quæ tamen composita est ex eo capite, quo conuentum, ne paucis pacta violantibus communis concordia rumperetur.

HVNGARIS LEGES DAT SIGISMVNDVS. An. 1435.

LXXVIII. ANte vel post coronationem Bohemiæ, Hungaris leges dederit Imperator auctores dissonant. Posonij habuisse comitia, & ad pacem salutares dedisse leges
LXXIX. nemo dubitat; si vera profert *Bonfinius*. Re-
Sal. An. 1436. bus compositis, IX. Cal. Septemb. Pragam
Pragā petit. *incredibili pompa honorificentissimè inuectus est: vbi qui paulò ante Bohemorum hostis,*
LXXX. *spurius Antichristi filius habitus, & prophanus, cunctisque hominum votis perdendus esse censebatur, inauditis honoribus exceptus est. Iurauerunt in eius manus Proceres cuncti, vrbiumque Legati, se illius imperium nunquam detrectaturos. Constitutos ab eo magistratus, vltrò accepere. Certauere mox omnes obsequiorum officijs, atque ea tempestate Boemum, & persequendo & obsequendo immoderatissimum indicasse. E Basiliensi deinde synodo Legati Pragam missi, quorum Philibertus Constantiensis Episcopus princeps erat. Hi ecclesiasticos ritus introducere, restituere sacerdotes, corrigere sacra, & emendare, quibus plebis cantilenas olim adiecerant, item reuocare abrogatas diuorum imagines, sacras aquas referre, dicare fontes baptismatis, altaria ornare, ac demum spurcitias omnes abolere cæperūt. Quàm plurimi sanæ mentis paruere, obsistere Rochezanæ sectatores, item passim obloqui, maledictis non abstinere, publicis Romanam Ecclesiam, apostolicumque Senatum sermonibus la-*

niare, quin etiam Legatis plerumque synodalibus insidias tendere. Sigismundus pollutis se templis abstinuit. Iacobi ædem, quæ Minorum ordinis collegium olim fuerat, & quam in ærarium illi redegerant, sibi restitui poposcit: annuit ciuitas. E Mendicantibus etiam plerique rediere, vtputa Cælestini, Sclaui, serui diuæ Virginis, Hierosolymitani, & plerique sacrorum ordines: item Abbates nonnulli, & diui Georgij Antistites, necnon & Vrbanæ basilicæ canonicorum ordo: altaribus ornamenta reddita, diuini quoque ritus instaurati, ademptis olim basilicæ prouentibus, quibus templorum ministri alebantur, impensæ hebdomadatim collegio huic ex fisco datæ: quare cathedrali Ecclesiæ sex aureum milia quotannis hinc erogata. Multa cæteris templis donatiua ab Imperatore distributa. Ad extremum vi potius necessitatis, quàm voluntatis imperio, fœdus cum hæreticis ictum est. Pacata Boemia, multum sibi nominis Imperator comparauit. Maximus ac spectatissimus in Christiana republica habebatur. Congratulatum vndique Oratores ad eum veniebant, & hunc verum omnes Augustum ac Cæsarem prædicabant. Eugenius quoque Pontifex maximus, auream rosam ingratulationis, & lætitiæ speciem ab Vrbe misit. Quicunque autem superfuerant Taboritæ, in oppido conseruati, & hac in gratiam conditione recepti sunt, vt quinquennio tantum suis moribus vterentur, tributi nomine quotannis sexagenas argenti libras penderent, ius ciuitatis haberent, rubra cera literas obsignarent. Verùm in re diuina facienda, quum in nefandas cæremonias recidissent, castigaturum se eos propediem Sigismundus minatus est. Contrà verò profanam horum insaniam Rochezana assiduo hortatu confirmare, in dies se pertinacius agere, monachos redeuntes, dæmones appellare: demum Imperatoris minarum admonitus, clandestina se fuga præripuit. Eius Ecclesia Rapusconi viro probitate vitæ, & doctrina præstanti commissa, qui perturbatis iterum rebus, in exilium exactus est. Antequam Sigismundus Boemiam ingrederetur, Ioannes quidam Robacius, vir optimo genere, ac pessimo ingenio, non longè à Cuthnis montibus in edito colle castellum erexit, quem montem Sion appellauit, auguratus ex eo quandoque loco promanaturam esse veritatem, quæ Boemicam gentem in libertatem aliquando vindicaret. Quum cæteri Proceres, audito Imperatoris aduentu, Iglariam cum vniuersa nobilitate proficiscerentur, ut eum pro dignitate exciperent, hic domi remanens prædas exercebat. Infestat finitimos, & Regem demum lacessere non ueretur. Boues ac uina, quæ ex Vngaria ad Imperatorem aduehebantur, intercipit, formidolosa reddit itinera. Ad hunc latronem expugnandum Henricus Prascon à Sigismundo missus, qui quum menses quatuor castellum natura, & arte munitissimum oppugnasset, capto tandem Robacio, cæterisq; latronibus, expugnauit. Cum his etiam Hussitarum Antistes captus est, qui sacris apud eos operabatur. Pragam perducti, furcisq; deuoti, omnes laqueo enecti sunt: duo & nonaginta hos fuisse perhibent.

MORS SIGISMVNDI. *Anno* 1437.

ÆTate iam grauis *Sigismundus*, varijs
LXXXI. cæperat senectutis incomodis laborare. Hinc *Barbara* Imperatrix imperij cupidine illecta, *Henricum Prasconem*, *Alscionem Sterenbergium*, *Georgium Pogiebrachium*, & plerosque regulos, quorum auctoritas apud Bohemos præpollebat, ad se euocatos de proxima *Sigismundi* morte certiores facit. Porrò ad tollenda dissidia, haud ab re esse, si ante tempus de retinendo imperio prouideretur. Illud vnum consilium optimum futurum, si quum vidua fuerit, Poloniæ regi legitimè iungatur. Imperatricis placuit consilium, & pro illius
LXXXII. arbitratu fœdus ineunt. Impudens fœmina, licet iam annis effæta *Elisabetham* filiam *Alberto* Austriæ Duci iunxisset ea spe, vt in regnum succederet, propriæ tamen libidini obnoxia, molitur coniugium. Non latuere Imperatorem coniugis artes, cuius pudicitiam suspectam habuerat, & ab *Hernesto* Austriæ principe adamatam intellexerat. Interim commonefactus Cæsar vlti- LXXXIII.
mum instare diem, è Bohemia, quam perfidia laborare semper cognouerat, depexa coma, & viridante serto comptus, in bonæ valetudinis prætextum, in Morauiam concessit, vt antequàm è vita decederet, filiam, generumque videret. Illa audita graui genitoris ægritudine, Znoimam venit, ibique Imperatorem offendit. *Barbara* Imperatrix vnà cum *Vlrico* Ciliæ comite, ac fratre suo

virum

An. 1437 virum secuta, imperatoris iussu, custodiæ traditur. *Vlricus* initæ factionis conscius, capta sorore, mox aufugit. LXXXIV. *Sigismundus* quum se in dies grauius laborare intelligeret, & mortem instare propriùs, potiores Hungariæ, Bohemiæque proceres in cubiculum vocari iubet, qui vbi præsto adfuere. *Nouissimum* (inquit) *instare diem amici sentio. Pragæ me languor incessit, sed extemplo dissimulaui, vt vos tutius è perfida hæreticorum manu subducerem. Pericula euasimus; nunc priusquàm mihi vita tot laboribus vexata claudatur, agendum est socij, quo pacto hæc duo regna regantur.* Barbaræ *vos conatus admonuit, & nisi in tempore prouideatur multo grauiora præteritis mala supersunt. Rege vobis ac optimo moderatore opus est.* LXXXV. *Quem autem meliorem optare possum eo, quem mihi generum, filiumque delegi.* Albertus *est virtute, sapientia, & longa rerum experientia præpollens, nobilitate quoque generis, ac morum excellentia vsque adeo præstans, vt etsi infensus nobis esset, res tamen nostras ipsi in tanta bonorum principum orbitate committere cogeremur. Superest filia,* Sigismundi *vestri reliquiæ quas in amoris mei monumentum colere debetis. Ad hoc nos* Alberti *iustitia impellit, & ingens in vos amor, quem apud me patronum vnicum, imò parem habuistis. Beatum imperium, si* Alberti *geratur auspicijs. In eo spem omnem collocaui, hunc vnum pacis, & iustitiæ ac ocij fundamenta, quæ ieci, in vtroque regno adaucturum esse speraui. Vos socij aliud sentire non credo, quando hunc atque me ipsum semper amastis, & vt quod nunc facio, facerem, sæpe mihi persuasistis; si pro arbitratu meo vitam prorogare fas esset, recusarem profecto tot malis absumptus: sed vestri charitas me remoratur in terris. Propediem tamen obeundum est iam collabante corpore; vnde per meam in vos pietatem, per vestram in me fidem, quæso per vtriusque regni salutem, per incolumitatem vestram pro qua maxima pericula pertuli, vt* Albertum, *quem vobis declaro Regem, cui coniugaui filiam, cui fortunas omnes iure legaui, hunc vos cunctis suffragijs habere velitis in Regem.* Elisabetham, *qua debetis fide, colatis; ne aliter quidem, atque nostra in vos officia postularunt.* His dictis conuersus in lacrymas haud plura loqui potuit. Annuere Proceres ad vnum omnes, & in manus eius iurarunt *Albertum* Regem, & Imperatorem. LXXXVI In *Alberti* denique manus ritè iuratum. Quū à lacrymis aliquantisper respirasset, legatos designauit, quorum principem *Gasparem Slickium*, vt post eius obitum in Bohemiam contenderent, & testamentum in concione recitarent. Postero die, quo D. Virginis conceptio Immaculata recurrit, *Sigismundus* compositis humanæ vitæ rebus, sacro instructus viatico, cum summo omnium desiderio, excessit humanis.

Post mortem ab omnibus est deploratus; LXXXVII Vniuersa adhuc Christiana Respublica sūmis laudibus effert. *Vir fuit probitate ingenita, Augustali genere, fausto aspectu, statura magna, pulchro corpore, quod augustæ multum referebat maiestatis, crines aurei, crispi à iuuentute, serenus erat obtutus, glauci quidem oculi, item prolixa barba multum sibi adijciens grauitatis, quam ad promerendam Vngarorum gratiam, qui prolixa barba vtebantur, in delicijs nutriuisse, & gestasse dicitur: quum nimium popularis esset, ad corporis decorum nihil adijcere amplius natura potuisset. Animo fuit perquam grandi & excelso, item profusæ liberalitatis, & magnificentiæ Princeps, amicis prodigebat omnia, & ita sæpe prouentus omnes erogabat, vt nihil etiam in his, quæ vitæ sunt vsui, sibi superesse pateretur.* Liberalis *Sæpe quum in regia nihil esset, quod suo prandio præpararetur opiparè, amicos inuitatus adiuit; sæpe etiam ab his symbola corrogauit. Item comitate, clementia & affabilitate tanta, vt cæteros ea tempestate Principes anteiret. Ad crudelitatem nunquam, nisi grauissimis iniurijs irritatus est. Christianam rempublicam, Ecclesiamque Romanam, plus omnium opinione dilexit.* Carolus & Othones equaturus erat *Sigismundus*, si ad pacis artes parem bellandi felicitatem addidisset. Virtutibus excelluit omnibus, vti ostendunt eius LXXXVIII.

APOPHTEGMATA.

Adulationem odit. Assetatores se velut pestem odisse cum diceret; *Brunenius Neronensis* respondit, *tamen nullum genus hominum magis amas, quàm adulatores.* Tum Sigismundus, *Vincis sanè* (inquit) *Ita enim natura comparatum est, vt cum vitandos esse adulatores dicimus, tum maximè illis adhæreamus. Nam nec tu tandiu mecum fuisses, nisi meis moribus* blan-

an. 1437 *blandiri assueuisses*. Æneas Syluius. Si-
LXXXIX. militer cum à quodam supra modum laudaretur in faciem,& Dijs similis prædicaretur, illi colaphum impegit;dicentique. *Cur me cædis*? respondit, *Cur me mordes adulator*?

XC. *Imperare quàm difficile.* 3. De Gubernatione solitus erat dicere. *Mirum esse cum omnes recusent exercere artes, quas non didicerint, imperare nemo recusat, quæ sit ars omnium difficillima. Chron. Carion.*

XCI. *Patientia.* 4 Cum accusarent apud eum purpurati maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ suo Principi passim obloqueretur, subridens respondit: *An vobis graue uidetur, illos malè loqui, cum nos malè agamus? Ibid.*

XCII. *Peculatus cur frequens.* 5 Interrogatus, cur apud liberas ciuitates peculatus crimen adeo frequens inueniretur? idcirco (respondit) *quod nudos honores uiribus commendant, populus autem ad lucrum inhiat. Si honoribus starent decreta stipendia, vnde ministri decore viuerent, sibi ex publico thesauro per nefas haud prospicerent.*

XCIII. 6. Aiebat *Sigismundus* eos, quibus ioci haud displicent,esse sapientes: qui promptè iocari sciunt, ingeniosos. *Domenichi.* Coram *Sigismundo* cum gloriabundus quidam eques *Vrbanos* Magistratus parui faceret, tribunosque militum in Cœlum laudibus
XCIV. *Militia nobilior.* tolleret: *Tace* (inquit) *nulla nobis, ô Thraso militia opus esset, si suas quique ciuitates prætores, cæterique Magistratus moderatè iustèq; gubernarent.* Syluius.

XCV. *Fænus.* 7. Cum ac ociosus homo fœneratores plurimum laudasset:quod dormientes etiam pararent ex rebus lucrum: *at tu* (inquit) *vigilando, omnia consumis.* Idem.

XCVI. *Dignus imperio.* 8. Rogatus *Sigismundus*, quem regno aptum existimaret? (inquit) *quem neq; secunda extollerent, neque aduersa deprimerent.*

XCVII. *Amor Literarum.* 1. Linguarum peritiam ac literarum ita amauit, viros eruditione præstantes tanti fecit, vt nobili loco natis anteferret. Interrogatus à Principibus, cur humili pago ortos eis præferret? respondit: Se quidem dignitatem equestrem, nobilitatem, aliosque honorum titulos conferre posse, doctos verò à solo *Deo* creari. Cumque præstantissimum I. Consultum *Georgium Fiscellinum* Equestris ordinis insignibus decorasset, & ille Basileæ in celebri Ordinum conuetu animi dubius hæreret, vtrum Equitibus, vel I. Consultis se se coniungeret, tandemque ad Equites velut honorificentiores concederet: *Stulte agis* (inquit Sigismundus) *quòd literis militiam præfers; Nam ego mille equites vno die crearim; doctorem verò vnum mille annis non fecerim.* Dubrauius. an. 1437

Diuitiarum contemptor. Acceptis ex Hungaria 40000. aureorum cogitantem, in quénam vsum pecuniam conuertat, somnus destituit. Tum ille excitatis cubicularijs: XCVIII
ocius Consiliarios, Ducesque omnes militum accersiri iubet. Venere media nocte trepidi XCIX.
(timebant ne quid aduersi accidisset) quæ causa sit tam repentinæ vocationis, inquirunt, *Videte* (inquit) *carnifices meos* (loculum numos continentem demonstrans) *qui mihi somnũ eripiunt: accipite eos, & inter vos diuidite.*

Veterano militi promissa exigenti, cum C.
diceret: *At immoderata fuit petitio tua.* Respondit miles: *Poteras negare, cum peterem; non autem sine turpitudine, quod promissum est, rescindere poteris.* Tum Sigismundus, *si ex duobus alterum me ferre oportet, leuius rerum, quam famæ iacturam subibo.* Syluius.

3. Flumen transeunte *Sigismundo*, cum equum quo vehebatur, vrinam mitteret, propè equitans vnus ex aulicis ministris, probatæ fidei homo, *Equus* (inquit) *Domino* CI. *Virtutis præmia facto dantur.*
similis est. Imperatori causam quærenti? Respondit: *Equum proijcere vrinam in locum abundantem aquis: Sic Imperatorem effundere beneficentiam in diuites; negligere egentes.* Intelligens Imperator se festiuè accusari, quòd ministri benè meriti rationem habuerit nullam. Duas pyxides magnitudine pares impler, vnam auro, alteram plumbo, vt & pondere fierent æquales; has ministro proponit,& vt eligat, iubet. Minister plumbeam arripit. Viso plumbo, inquit, Imperator: Agnoscis ergo, mihi non benefaciendi voluntatem,sed tuam fortunam defuisse.

Omnia contingunt nobis bonitate superna:
A Domino, quidquid possidet, omnis habet.

4. *Niconi Gario*, viduæ illius filio, cuius CII.
opera è carcere Hungarico euaserat, vxoris suæ sororem in coniugem dedit, eumq; Palatinum fecit. Fratrem quoque eius *Iohannẽ* Archiep. Granensem, summumque regni sui præsidem fecit.

5. *Pippum Spannum* Florentinum (qui in Turcas felix sæpè pugnauerat) tantis honoribus extulit, vt secundus videretur à Rege: & tanti faceret, vt diceret, quod cum illi *Pippus* pro scipione esset, nudus non formida-

an.1437 ret in hostes ægredi. *Friderico* Burgrauio Noribergensi, de Repub. merito vt gratiam rependeret, *Marchiam* vendidit *Brandeburgensem* quater centennis millibus aureorum, ea conditione, vt si sibi Imperatori filius nasceretur, vtraque dignitas redimeretur; sin minus, vtramque retineret. Testamentum conditurus *Frider.* filijs aduocatis *Iohanne*, *Friderico*, *Alberto*, & altero *Friderico*; natu maximum *Iohannem* ita alloquitur. *Primus ego dignitatem Septemuiralem acquisiui à Sigismundo Imper. Nunc cum ex hac vita euocer, curæ mihi est, nè decus tantum in familia nostra vilescat. Tibi cum quietis sit studium; & in munere Septemuirali præter sollicitudines, & labores nihil sit, si tua uoluntate possum, munus hoc testamento concedam Friderico, qui tibi ætate proximus est, sed ad labores, firmior esse videtur.* Cui Iohannes, *Existimaui ante hoc tempus cariorem tibi multo Fridericum, quàm me esse, cum illi sæpius blandireris, nec id non ægre ferre potui. Nunc sententiam muto, & te pater amo, eoloq; qui mihi ocium, & illi negocium suprema voluntate dimittis.* Geminum hic exhibetur exemplum, *Sapientiæ* in patre rebus publicis, ac priuatis consulente. *Modestiæ* & *obedientiæ* in filio, dum pressa libidine imperij, voluntati paret paternæ. *Chron. Carion.*

CIII. *Asperi Sigismund.* *Clemens.* Prima ætate asperior fuit *Sigismundus*, nam ducta in vxorem *Margarita* Regina Hungarorum, triginta duos equites decollari iussit, quod vxorem regno deturbare tentauerant; asperitatem tamen ætas leniuit. Ideo *Laurentio* Hungariæ Palatino interroganti, cur victis hostibus non solùm vitam, & opes relinqueret, sed etiam eos inter amicos reciperet, *Tibi* (inquit Sigismundus) *videtur vtile, inimicum occidere; neque enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum*

CIV. *occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo. Chron. Carion.*

CV. *Fortis.* Coniurati Hungarorum proceres in *Sigismundum*, vt carceri traderent, vel occiderent; cum armati in aulam irrumperent; euaginato gladio *Sigismundus*, constans obuiam processit, exclamans: *quis vestrum me traditurus est? quid mali feci, vt me Regem vestrum occidatis? Exurgat qui mecum audet decertare, & iusto bello confodiamur.* Hisce

CVI. territi, recesserunt omnes. *Bonfinius.* Quemadmodum Deus (aiebat) vult amari, & timeri; ita & Reges. *Domenich.* Sacro igne cum an.1473 cruciaretur, Medico consulente, iussit digitum amputari, ne totum corpus inficeret. CVII. Sed tanta constantia, vt nec gemitum ederet. *Idem*

Venerabilis: Illustrem *Sigismundi* aulam nemo satis admirari potuisset, quò tanquàm CVIII. ad Procerū viuaria, ex omnibus Europæ partibus viri clari confluebant. Inter quos Lusitaniæ Regis filius; & *Georgius* superioris Mysiæ Princeps (quem *Despotem* nominant) qui CIX. *Sigismundi* beneficentia victus, Albam Regiam ad Danubij ac Saui confluenta sitam (vbi Taurinium olim fuerat) in perpetuæ fidelitatis pignus Imperatori spontè dono dedit. Contra ille, ne benè merendo cederet, hæc illi castella in regno rependit, Zalonkemem, Beckiem, Kelpem, Vilaposuarum, Tochaium, Monkachum, Thaalliam, Rhegezum; oppida verò, Zathmar, Bezermem, Debreczem, Thur, Varsam, & pleraq; alia: Budæ autem magnificas ædes, quæ Regiæ loco haberi possent. *Bonfinius.*

Religio, Pietas, clarissimè ostenditur in pacanda Rom. Ecclesia; Quam breuiter simul, CX. & copiosè laudat eum *Trithemius*, *dicens amatorem Dei, defensorem Cleri, & pauperum aduocatum; sepultumque non sine opinione sanctitatis.* Paulus Langius *virum Christianissimum, vrbanum, humilem, deuotum dicit, vt non immeritò Sanctorum catalogo adscribi possit.* Reum dicunt, quod frequenter alienos thoros maculauit: cumque vxorem suam CXI. sæpius in adulterio deprehendisset, adulter adulteræ ignouit. Inter Constitutiones illa est pia *De priuilegijs, & Immunitatibus Clericorum*, qua à maioribus priuilegia concessa CXII. firmauit, & ampliauit.

Inscriptio Sepulchralis, quæ Pragæ legitur.

Cæsar & Imperium tuus en ego Roma Sacratū
Rexi non ense, sed pietatis ope. CXIII.
Pontificem summum feci, spretis tribus, vnum
Lustraui Mundum, Schisma negando malū.

II. ex Vrsino Velio.

Pace Sigismundus, quàm fortunatior armis,
Plurima decessit post benefacta Senex.

SYMBOLA. CXIV.

1 *Sic cedunt munera fatis*

2 Mundi Globus, desuper corona Imperialis sub lemmate, *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Vide supra pag. 132.

Sigismundi Monetam vide sup. pag. 132. CXV.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Iuſtitia Diſtributiua Sigiſmundi de dignitatibus, quæ ſunt Reipublicæ munera tractatum excitant ſub titulo

LABOR IN PVRPVRA.

1. Mundi ſtatus qualis. 2. pœna & premium fulcra Reipublicæ. 5. 17. 3. honor virtutis præmium. 7. aliena eſt honorum diſtributio. 9. Rempublicam perdit qui immeritis honores dat. 10. eius via ſanguine parta. 13. Manibus non manib. dantur dignitates. 27. honor inuitis dãdus. 28. 34. 41. auro et epulis acquiritur. 43. malè diſtributæ dignitatis incomoda. 44. damnum eſt dantis, & accipientis. 47. paueat qui immeritò extollitur. 49. eſt veluti iumentum inſipiens. 6. Iuſtitia equa rerum permutatio, & diſtributio honorum. 7. differt à miſericordia. 8. Abraham cur ſeruum non duceret ad ſacrificandum in montem. 10. Virtus porta honoris. 11. Agnus occiſus prælatus Leoni rugienti, quid ſit? 12. purpura rubeſcit ſanguine innocentium. 14. ſolius Dei eſt, regere per miniſtrum imbellem. 16. Mare non ſol cur iuxta thronum Dei. 20. Angelus cur non Archangelus mittatur ad Virginem. 21. meſpilli in aula Veneta quid? 22. Thronus Salomonis cur ſuper omnes extollatur. 31. eius in ſumitate cur duæ manus? 23. Federics III. Imper. iuſta diſtributio honorum. 25. Cur ſolum in morte Chriſtus commendaret matrem diſcipulo. 26. Indignus ſacerdotio, niſi ordinetur inuitus. 26. dignitas contemnitur, quia venditur. 28. Ioſeph ab Arimathea cur audacter aſcenderet ad Pilatum. 33. Virtus parum proficit. 36. ſine patrono vileſcit. 33. Cato repulſam paſſus in petitione Conſulatus. 49. pila ludit. 37. aulæ incomoda. 38. Indocti felices; 39. Iudæi cur Chriſtum quærerent? 40. Moyſes quomodo ſaluatus in flumine. 48. cur eius ſepulchrum abſconditum. 41. Petro præcurrens Ioannes ad monumentum quid ſit? 42. Ioſeph cur Beniamin reliquis fratribus præferret? 46. cur domi odioſus; foras verò adoratur. 44. Pygmei in turribus Tyri quid? 45. dignitas ſpeculũ eſt, in quo homo cognoſcitur quãti ſit. 48. nemo ſuam ſferã egrediatur.

I. *Mundi ſtatus.* SAcra deambulabat in aula Salomon; cumque in Cœlo prope Leonem Berenicis comam locatam ſuſpiceret: tumidos in Dromedarijs ſeruos: ſtare canos, ſedere canes: aſinos portare myſteria; exclamauit: *Eccl. 10.* *Eſt malum quod vidi ſub Sole: vidi ſtultum poſitum in dignitate ſublimi.* II. *Pœna & præmium fulcra Reipub.* Quæ enim ſtare Reſpublica poteſt, vbi nullum bonorum eſt, & malorum diſcrimen.

Ipſe decor recti facti, ſi præmia deſint
Non monet, & gratis pęnitet eſſe probum. *Iuuen.*

Reipublicæ non familiæ munera Plato appellauit honores; manu parantur, non tranſmittuntur.

III. *Honor virtutis præmiũ.* Romæ ſuccubuit Carthago? quod Romanis plurima fuerint incitamenta virtutis, *præmia*: apud Carthaginenſes nulla: IV. *Cur ceciderit Carthago.* imò ea pecunijs vendiderint. Interroganti Perſæ quam probaret Rempublicam? reſpondit Lyſander: *Eam in qua fortibus uiris ac meticuloſis, congrua redduntur.* V. *Plutar.* Senſit virtutem inuitari præmijs, ignauos excitari ignominia. *Optima Reſpub.* Hoc eſt, quod apud Homerum ſtomachatur Achilles, idem honoris haberi fortibus, ac ignauis: nullumque diſcrimen haberi inter viros vtiles Reipublicæ, & ſuæ viuentes vtilitati.

Iuſtitia, quæ Regem diſgregat à tyranno, non minùs æquam rerum exigit permutationem, quàm munerum & pęnarum diſtributionem. Munera cum Rector diſtribuit, non ſua ſed aliena diſtribuit: & rationẽ villicationis tenetur reddere vſque ad vltimum quadrantem. VI. *Sedere ad dexterã, vel ſiniſtrã, Nõ eſt meũ dare uobis*, Chriſtus Zebedæi filijs. Si imago Dei Princeps eſt, qui *Solẽ oriri facit ſuper bonos, & malos*, inter Iuſtitiã, & Miſericordiam diſtingue. Illa crimina diluit, hæc officia diſtribuit; illa indulget, hæc iudicat; illa præterit, hæc inquirit. VII. *Princeps Dei imago.* Qui neſcit diſtinguere, ne ſcit imperare. Ex 72. diſcipulis, duodecim Ieſus elegit Apoſtolos, ex duodecim tres teſtes diuinitatis aſſumpſit; reliquos nec conſilij participes fecit, nec tantæ pares credidit Maieſtati.

VIII. *Gen. 22.* Iuſſus Abraham filiũ ſacrificare aſſumptis duob. ſeruis, cũ abijſſet in mõtẽ dixit ad pueros: *Expectate hic cum aſino, ego & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adorauerimus, reuertemur ad uos.* Veniemus & nos, aiunt

serui;

serui; minimè inquit Abraham *expectate hic*
cum asino. Sed cur eos vsque ad montem du-
cere? si filium immolaturus, debebat eum
prius vinculis alligare, *eum alligasset Isaac fi-*
lium, posuit eum in altari: conscendant serui;
nam Abraham annorum 135. non poterit
senex vincire iuuenem annorum 35. qualis
erat Isaac: Non conscendant, *expectate hic*
cum asino. Mons enim sacrificij. *Mons est*
Maiestatis; famuli vt genus ignobile regi-
mini non appropinquet; sed longè secedant
IX. cum *asino*, quem plebem intelligo, *Diuina*
sunt ista iudicia (diceret Cassiodorus) *non hu-*
mana, ut quem superna ad tempus debitum
opus coluerunt perducere, merito uideatur, &
laboribus sui premia suscepisse. 7. Var. n. 30. Ex
aduerso Rempublicam perdidit (aiebat
Diogenes) qui immeritis officia distribuit
non minùs quàm equus Troianos. Non te-
X. merè Romani *Portam Honoris* in templo
posuere *Virtutis*, quia hæc gradum faciat
ad aram dignitatis. Salebrosa, & sanguine
parta hæc est via. Exposito in Cœlis libro
XI. *signato sigillis septem Ap. 5.* Insonuit An-
Agnus si occisus Leoni pręfertur. gelus. *Quis est dignus aperire librum?* Plu-
rimi cum subijssent discrimen, Venit *Leo de*
tribu Iudæ, & tanto cœpit tonare rugitu, quòd
vti victori seniores plauderent: *ecce uicit Leo*
de tribu Iuda, Plausus tamen euanuit; nam
& secessit Leo robore suffusus. Et ecce
Agnus *accepit librum. Et cum aperuisset, qua-*
tuor animalia, & seniores eeciderunt coram
agno. Sistite Principes; cur agno diadema
proijcere, qui negastis Leoni triumphum?
Perpende librum tunc mysteria cognosces:
liber est Maiestatis, Arcana claudit Reipu-
blicæ, regimen est Ecclesiæ signatum sigillis
septem, id est Sacramentis, quod absconde-
re bonum; *Sacramentum Regis abscondere,*
bonum est. Quid ergo in Quirinali Ecclesiæ
non vigilabunt Leones, sed agni iacebunt
occisi? Non Leones sedebunt, sed agni si ta-
men occisi. Agni qui sanguine rubricati,
portent in manu palmas martirij. Agni, qui
ferant in humeris principatum. Non Leo-
nes qui rugitu amicorum, affinium clamori-
bus honores extorqueant. *Dignus es Domi-*
ne aperire librum, quoniam occisus es, & rede-
misti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo
nostro regnum. Abeant Leones, qui pauperum
carnificina rubescunt; & purpuram induunt
non muricis tinctam sanguine, sed paupe-
rum, innocentium. *Sit Leo de tribu Iudæ,* XII.
fulgeat scilicet pontice longo: Agno nō per-
mittatur tamen primatum vsurpare, vt ado-
lescenti (aiebat Antigonus) paterna postu- XIII. *Manibus non manibus dantur.*
lanti stipendia, *Manibus non manibus dantur*
honores. Princeps est quidem imago Dei, sed
cum viribus regat humanis, aulicorum in-
diget ministerio, quorum ignauia est Regis XIV.
interitus. Solius Dei est imbelli manu regna *Moyses cur linguæ tardus.*
subuertere, & imperia nouare. Moysem cum
Deum Pharaonis constituit, *impeditioris, &*
tardioris linguæ fecit, quia *illud* ait Theodo-
retus *Omnipotentiam diuinam magis illustra-* XV. *Legati*
bat. Idem habes in preconibus Euangelij, *Euang.*
quos non Reges, sed piscatores destinauit. *nō Reges sed Piscatores.*
Cœlorum aulam Ioannes pingit: sedet in
throno Deus: Stipant latera Maiestatis vi- XVI. *Apoc. 4.*
gintiquatuor seniores sedentes. Est Iris in cir- *Cur mare*
cuitu sedis. *In conspectu sedis erat mare ui-* *iuxta*
treum simile chrystallo. Mare iuxta thronum *thronum*
Dei symbolum fortunæ rotantis? Mare in *Dei.*
discordia concors, & inconstantia constans,
vbi fremunt immani murmure venti, stri-
derque sollicitum refluentibus vndis, poni-
tur scabellum Dei; qui cum sit, non mutatur,
Ego sum Deus, & non mutor? Solem dicat
Ioannes iuxta thronum Dei, quia *in Sole po-*
suit tabernaculum suum. Psal. 18. Non Mare. *Psal. 18.*
Arcanum Euangelistæ in mari latet. Illud
intuere cum primo cœpit albescere vento;
seseque tollit, & altiùs erigit vnda, imoque
assurgit ad Æthera fundo. Exultant vada,
atque æstu miscetur arena. Tunc instabili
procumbens pondere nauis, raptat aquas,
remique cadunt in pectus inanes. Aguntur
ventis tabulæ, iactantur corpora ponto. Ar-
ma virum, eorumque gazæ dispersæ natant
per vndas. Hisce hostijs Numina placata
marina, fluctus mulcent, subsidunt vndæ,
fugiunt vasto æthere nimbi; collectæ fu-
giunt nubes, solemque reducunt. Sed vbi
gaza, arma, crateræ, pulchrique tapetes? hos
tenet mare, & vasto sorbet hiatu; Gemmæ,
lapilli in Pelago latent profundo. Conges-
sit in viscera, fouetq; in vlnis. Vtres verò, de-
functa corpora quæ vita iacent exanima; euo-
met in litore trunca; eiectat vidulos, vacuaq;
corycia, bulgas. Modò habes cur in *mari* Io-
annes erigat thronum Dei; Dauid autem *in*
Sole idest *in Virgine*, vbi redemptionis be-
neficio Solem suum oriri facit super bonos,
& malos: In Apocalypsi thronus pingitur
Maie-

Maiestatis, Deus inter Principes, qui coronas distribuunt, & munia: ideò non in Sole, sed iuxta mare, quia ad similitudinem maris cadauera euomentis & vtres; gemmas verò in sinu fouentis, segnes respuit, & desides: graues promouet, sedulos, ac fortes dignitatibus donat. Hoc solo arcano Thraces debel-
XVII. *Plutar.* landos Pausanias Græcis exhibuit; *si aiebat qui uir optimus est, eum belli ducem delegerimus.* Quod si Paridem imitati pomū, quod honorum est hieroglyphicum, non digniori sed pulchriori dederimus, actum de Re-
XVIII. publica credas. Exemplo sint barbari, quorum Luna penè totum impleuit orbem, quia & gregarij milites, si fortiter agant, Regiam scandere possunt dignitatem.

XIX. *Cur Angelus non Archangelus mittatur ad Virginē.* Maturo iam Redemptionis mysterio, conuenit sacrosancta, & indiuidua Trinitas, vt ad Mariam Legatum mitterent, qui in eius vtero annutiaret Deum hominem fieri. Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubin, Seraphim occurrerunt; Ex vltimo tamen ordine missus est Gabriel, cū ex primo Seraphinorū *Gregor. Homil. 3. in Euāg.* choro *supremum uenire dignum esset.* Si Seraphim excubias agunt in Paradiso terrestri, cur ad eam virginem, cuius caput stellæ circundant; sub pedibus eius Luna radiat, mittitur Angelus? descendite superbi Seraphim, coronas proijcite ante illam Virginem, quæ seruato Virginitatis candore, paritura est hominem Deum. Recede Gabriel, imò pergat, imperat Pater Æternus. Vadat Angelus, qui ad Danielem Prophetam in antris leonum, ad Zachariam in altari, ad Annam legatione functus, fidei iam ac so-
XX. *Tom 6. de gratia. Francon. Abbas.* lertiæ præclara edidit testimonia. *Nuntius eligitur, tanto Rege dignus, tanto mysterio idoneus, tam amicæ legationis peritissimus.* Venetijs, super gradus (quos vocant *Gigantum*) quà Regiam itur in aulam, duos est videre calathos non lilijs vel racemis, sed me-
XXI. *Mespilli in gradibus Gigātum Venetijs.* spillis plenos. Fructus sunt isti, qui longiori tempore maturescunt in palea; ibique positos voluere primi, vt nobiles ascendentes, & descendentes quotidie habentes præ oculis, non auderent intempestiuè in palestram descendere, vt honoribus decertarent; sed viris iam sæpè facto maturis periculo locum relinquerent; nè dignitas ipsa vilesceret. Thronum intuere Salomonis, quem *vestiuit auro: & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus. Nō est factū tale opus in vniuersis regnis.* XXII. *3. Reg. 10. n. 18.*
Hercle riget aurū, albescit ebur, fulget argētum, sed in opere suo nimium superbit Salomon, *Simile opus factum non esse in vniuersis regnis.* Præconium est mercenarium, & Cœlum territat. Quid si incrustasset iaspides, sardines, & smaragdos? Calcant adamas Persæ, & sub aurea vite, ex qua turgent margaritæ, sedent Reges; ibi tamen nec Rhodus, nec saltus. *Non est factum tale opus in vniuersis regnis?* Simile sapientia respuit, non materia. Eam vt videret, venit Regina Saba, non aurum, non aromata, *sed Sapientiā.* Meditare ordinē, & arcana tenebis enigmatum. Duodecim *leunculi* stant *super gradus.* Duo *Leones iuxta manus.* Leunculi, hoc est inexperta iuuentus, ad thronum non permittuntur ascendere; saltellant sed in gradibus; & ætate crescente, gradatim conscendunt. Validi autem leones, clari facinore, ætate fortes circundant Principem, nec est, quid timeat. Thronus mirabilis: *non est factum tale opus in vniuersis regnis,* iure scribit Cronista. *Duo leones stabant iuxta manus singulas: erant statuæ magnæ, ita vt supereminerent duodecim leonibus, qui erant in gradibus.* Ca- XXIII.
ietanus. Senem oppido cum præfecisset Imperator *Fridericus III.* iuuenes mussitabant præfectura, esse amouendum; quibus Fridericus. *Senem amicum oppido, non oppidum amico commendamus.* Æneas Syluius. XXIV.
Tepescit Respublica, vbi ciuibus seruit ciuitas, non ciuitati ciues. Si vineā otiosis non locamus agricolis, cur Rempublicam ignauis prodimus? qui patriam distrahant, quandoque perdant? Ascensurus Christus ad patrē XXV.
discipulū vocat, quem diligebat, vt Virginē *Cur in morte solum Christus matrem Ioāni commēdaret.*
cōmendaret matrem; cū idem agere Galileæ potuisset inter nuptias; vel in cœna in qua testatum dicit Augustinus, & peccatores ex asse fecit hæredes corporis sui. Cur ergo de matre silentium? Inofficiosum, insanæ mentis est testamentum, in quo mater præterita. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & *Io: 19.*
scientiæ Dei; quàm inscrutabilia sunt arcana tua domine; edoce me, cur nouissimo loco matris sermo recurrit, cui prima debetur tabula testamenti? Latronibus ipsis consulis, priusquàm de Virgine cogites? quis matri superent? nemo. Iam consumpta humanitas, expirauit, priusquàm verba commendatitia re-

resonarent in aure discipuli. Cœlestem gazam (respondet Christus) ærarium Spiritus Sancti haud poteram discipulo tradere, ni prius fidelitatis eius atque constantiæ periculum fieret. Si etiam Ioannes relicta sindone fugit, quo merito Virginis custos poterat declarari, priusquàm in Caluario existimationem redimeret. Cum verò Ioannem vidit iuxta crucem, constantiæ religione recepta, dixit matri suæ, *Mulier ecce filius tuus:* Deindè dicit discipulo: *ecce mater tua.* Mater vestra (Respublica est) Dynastæ; & minus cruciatur si inter hostium turmas sola lugeat,
XXVI. quàm si inter cognatos vilescat, & fiat san-
a *l. 31. C. de Ep. & Cler.* guinis pretium. Vt indignus est sacerdotio (ait *a* Imperator) nisi ordinetur inuitus; sic
b *Lamprid. in Seuer.* teste Seuero *b* inuiti, & nō ambientes sunt in Repub. collocandi. Galba non nisi *c* recusan-
c *Sueton. in Galba.* tibus equestria, & senatoria dabat officia. Nā qui precio, vel libidine ad dignitatem aspirant, vera testantur se virture carere; quæ per sordes non inclarescit, Imperium cœpit cō-
d *Vopisc. in Aurel.* temni, cum cœpit vendi. Romam Iugurtha *d* venalem dicebat, & citò perituram, modò maturè habuisset emptorem: quia tanta ho-
Dignitates Venales. mines inuaserat honorum cupiditas, vt vel Cœlum ruere, dummodò magistratum adi-
XXVII. piscerentur, optarent. *Homo quidam* (scribit Matthæus) *induebatur purpura, quia erat*
XXVIII *Diuitijs, & epulis ad dignitatē ascēditur.* *diues, & epulabatur quotidie.* Quia erat diues ab Atimathæa Ioseph, audacter accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Apostolorum verò solus Petrus ingreditur in atrium Pontificis, quia sæpe piscator Synagrides, Muræ-
nas, siluros offerret Pontifici. Cum aulæ vos
XXIX. tenet cupido, hanc vnam discite artem, *fallere, & falli.* Petrus se mori offert cum Christo, & coram Christo peierat non nouisse hominem. Honoris templum habuit quondam portam speciosam *Virtutis,* in qua fas erat clamare, *argentum, & aurum non est*
XXX. *mihi, quod habeo* (idest virtutem sanandi, claudos & cæcos) *hoc tibi do.* Modò gloriamur in diuitijs, & præter clauem auream non est, quod referet. Ni auro abundes, cum Diogene comitare, marmoreas Athenarum
XXXI. salutatum statuas, vt moderatè feras repulsas, etiam eum iure petis. Inter ipsos Angelos, ni hominem habeas, qui te in piscinam mittat dignitatum, senesces sed in grabato. Thronum Salomon cui similem terra non habuit, construxit. Ascendebatur per sex gradus, erat in summitate subsellium, quod
duæ veluti protensæ exornabant manus, & XXXII. *Manus in throno Salomonis quid?*
duæ manus hinc atque inde 3. *Reg. c.* 10. Harum vsus? Fortasse (putat *Sanctius*) Salomon cum ascenderet, illas apprehendebat manus, quarum adminiculo minus difficultatis habebat assensus. Sed vndè Pallas scipione indiget, cui inhæreat; & quasi claudicās haud Cœlum ingreditur, sed extollitur. Quia iam Cœlo pulsa, locum pellicibus dedit. Cœlum non audet repetere, ni *manus* amicorum,
brachia potentum Sapientiam subleuent. XXXIII.
Salomon ipse non ascenderet, vel tardius ascenderet, ni manus amicorum suffraga-
rentur. Cato quia, *nec per se, nec per amicos Ci-* Plutar.
uium animos demereri voluit, in petitione *Cato repulsam passus.*
Consulatus succubuit. Annona populum, militem donis, largitionibus principem, muneribus Deos onerare opus est, si vis honorari. In foro salutari si cupias, hæ tibi erunt artes: *Cum tristibus seuere* (aiebat Catilina) quùm aduersus patriam instrueret iuuentutem) *cum remissis iucundè, cum senibus gra-*
uiter, cum iuuenibus comiter, cum facinorosis Cicero pro Cecilio.
audacter, cum libidinosis luxuriosè viuat, qui amat primos recubitus, & suprema subsellia.
Tribuenda (Cassiodorus) iustis laboribus XXXIV. *artes acquirendi honores.*
compensatio præmiorum: quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athle-
tam populus palma designat esse victorem sudores bellicos ciuica corona testatur: expectant XXXV. 2. *Var.* 28.
etiam equi præmia sua, & tanta iustitiæ vis est, vt nec illis tardius detur laboris præmium, qui sentire non poterant denegatum. Purpuram togati meruere sudores, cathedram litterariç vigiliæ, sed venali in campo plus valet pa-
trocinium quàm meritum. Notissima vox XXXVI. *Iustus sine præmio.*
eius qui in cultu Regum consenuerat; *Quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem?* respondit *Iniurias accipiendo, & gratias agendo.* O Canes ad seruitutem paratos quāta vos tenet ambitio: *Subduc te istis occupationibus si potes, sin minus eripe: satis multum temporis sparsimus, incipiamus in senectute vasa colligere. Numquid inuidiosum est? in freto viximus, moriamur in portu.* Abhorreas tandem locum illum, vbi pęnitet esse probum. *Quoniam non cognoui literaturā, introibo in potentias Domini.* Meritis diffisus adhibet fauorem populi, largitiones, conuiuia. Hoc bellè Tertullianus hominum genus appellauit *feliciter stultum*, pro eruditione

est

est præfectura. *Magnū imò rerum omniū maximum, tibi purpura videtur: ex quā tu sapiēs exiſtis.* Cōquire diuitias; dat enim census ho-
XXXVII. *Nazianz.* nores. Dapes instrue, Amicitias parāt, & munia. *Quæritis me* (Christus Iudeos increpat,
XXXVIII. cum cognouisset, quia venturi essent, vt facerent eum Regem) *non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Sed cur apud Pilatum non respuit regium diadema, qui in solitudine tanto præuentus studio fugit in mōtē? Rex erat Christus, licet turba coronari noluerit, ne videretur ob præstitam alimoniam, more humano ad dignitatē euectus. Putrescebat Lazari defuncti cadauer, eum ab inferis reuocat, sororibus reddit, in astantibus tamen nil excitat præter curiositatem. Venerunt, *non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent.* Saturati Regem ambiunt, & pretio coronam exponunt.

In gentem Hebraicam efferatus Pharao, iniquum vulgat edictum, legem in naturam armat, & nulla humanitatis cōmiseratione, omnes Hebræorum masculos iubet submergi. Vbique erant genituræ speculatores, fluuius sæuitia tumescēs, exequebatur carnifex imperia Tyranni. Hoc in discrimine Moses
XXXIX. flumini traditur, vt Lethes esset prò lauacro Plus regios ministros, Parentes quàm aquarū vortices verētes, arculā fluctib. exponūt marinis. Pharaonis filia, quæ tūc lauādi mœroris gratia stabat in ripa; arculam conspicata, ancillam mittit visum, quid arculæ inesset. *Perexit* Maria (fuit ista soror Moysis quæ inter puellas educabatur). Perrexit hæc, *& vocauit*
XL. *matrem, quæ brachium extendens tulit eam.* Eius pulcritudine capta filia Pharaonis adoprauit. Moyses non perijt, quia sororem penes principem habuit. Parum aliter innocentiæ merita profuissent. Audita Christi resurrectione discipuli *currebant* ad monumētum Petrus Apostolorum caput, & Ioannes.
XLI. Is tamen *præcurrit*: quia *debiliores vires* Petrū posteriorem fecerunt. Æquales sint meritis, senior si debiliores habeat vires & viros, pa-
Toletus. tronos .f. sit destitutus & pecunia, præcurret iunior. Ad munera respicitur, & ad personā. Fame fatigati fratres Iosephi, eum adeunt in
XLII. Ægypto. *Attollens Ioseph oculos, vidit Beniamin.* Vndecim erant, & minimus inspicitur. Cur non in Rubem benemeritum, qui omnē mouerat lapidem, vt à parricidio fratres
XLIII. retraheret? Quia arctiori vinculo sanguinis tenebatur cum Beniamin. Erant omnes ex vno patre sed matre diuersa. Solus Beniamin erat frater vterinus Hoc est malū, quod XLIV.
vidit Salomon, graue danti, grauissimū possidenti. Tyrum recogita insulam illam, quæ tori dominabatur mari. Habitatores Sydonis *Zech. 2.*
& Aradij remiges eius: *Sed in turribus Pygmei.* Gigātes crederem, ni *Pygmeos* propheta diceret. Pygmęi in turribus Tyri: humani Barachi, homines cubitales, quorum mulieres quinto anno pariunt, octauo senescunt? Ausi in grues conserere, fugati Thracia nouas quæsiere sedes. *Iuuenal.* Homines erant *Satir. 13*
proceri (ait *Pradus*) bellatores strenui, *sed præ altitudine turrium infra stantibus homines nō videbantur.* Humili stantes in loco homines XLV.
sunt, si in cacumen erigas, Pygmæi. Dignitas speculum est, in quo & maculæ minuræ refulgent. Cum *Dagon* (iuxta eum Philistini arcam Dei reposuerant) iacere inuenissent, *suo stare* Cronista dicit *in loco.* Si iacet in terra, quomodo *remanserat in loco suo*? Locus Idoli erat ara maxima, nō in limine templi? Iure tamen superbit de loco, dum iacet: quia leuigatum lignum dum humi iacet, in ara sedet. Tremuit Cœlum, cum ei Hebræus victimas tulit; cum lætari potius deberet, quia *Ier. 2.* *Euchem.* *4. Reg.*
diuini ei darentur honores. Contremuit tamen, quia vidit sibi dari honorē indebitum, & famulatum debitum conditori cæca deuotione præuerterent. Oblatam legationem in Pharaonem respuebat Moyses, quia supra vires cognosceret: nec præuideret in argumentum Omnipotentiæ indoctum legari. Moysis cum sermo recurrat, videamus cur eius tumulum Israeli staret ignotum? *& non* *Deut. 34*
cognouit homo sepulcrum eius? Forsam ne qui tam Deo charus, immerita adoratione vilesceret. Ascendenti Zachæo in præaltam Sycomorum iubet Christus festinè descendere, licet benè conscenderat: quia *Præcurrens* ascenderat, nondum fide stabilis. Adā æqualem se Deo putans euasurum, si ex fructu *Luca 19.*
sumeret vetito, diuinā deleuit imaginē, principatū amisit, perdidit quod erat, quia quod non erat, vsurpauit. *Testimoniū excellentiæ cū* *Angelicus p. 2. q. 2. ar. 2.*
sit honor in honorato; præstantior sit tibi merendi gloria, quàm cōsequēdi felicitas. Quod si fato *Metelli fiant Consules Romæ*: repulsa nō cruciet, vt P. Rutilium qui mortē subijt repēntinam. *Cato, & Pedaretus* repulsam passi, ille pila lusit: is ridens discessit: Percōnctanti *quid rideret*? respondit, *Gratulor huic Reip. tercentos stare viros meliores.* *Valer. l. 6.*

FINIS.

